EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

Digitized by Google

9.6.289.

Digitized by Google

METAPHYSICÆ VETERIS & NOVÆ
PARS SECUNDA,
COMPLECTENS
METAPHYSICAM PARTICULAREM,
SEU
PNEVMATOLOGIAM.

AUTHORE

P. HERMANNO OSTERRIEDER,

ORD. MINOR. S. FRANC. CONVENTUAL.
PRO TEMPORE
IN STUDIO MINORITICO RATISBONENSI
PHILOSOPHIÆ LECTORE
ORDINARIO.

Cum Licentia & Approbatione Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus Matthæi Rieger, Bibliopolæ.

RATISBONÆ,

TYPIS JOANNIS MICHAELIS ENGLERTH,
Aulici & Epiſcopalis Typographi.
M. D. CC. LXI.

Duplex quæſtio eſt, una de ANIMA, altera de DEO: prima efficit, ut *noſmet ipſos* noverimus, altera ut *originem noſtram*: illa nobis dulcior, iſta charior: illa nos dignos beatâ vitâ, beatos hæc facit: prima eſt illa *diſcentibus*, iſta jam *doctis*. Hic eſt ordo ſtudiorum ſapientiæ. S. AUGUSTINUS *l. 2. de ordine c. 18.*

PROPOSITIO I.

Locus corporum intrinſecus & abſolutus, ſive primarius, eſt ſpatium ab ipſis corporibus occupatum.

CCCXXIX. PROBATUR. Spatio conveniunt omnes *proprietates* loci, *materialiter* conſiderati: ergo. p. A. Nam 1. Vere corporea univerſi moles univerſo huic ſpatio, vel intervallo, coextenditur, ſive commenſuratur; cum vulgo dicatur, omne corpus certo *ſpatio* comprehendi ſive *contineri*. 2. Eo ipſo, quia vera cujuslibet corporis extenſio alicui *certæ*, ſibique *æquali*, ſpatii parti reſpondet, etiam verificatur, totum locatum toti loco, vel ſpatio, ſingulas item locati corporis partes ſingulis loci, vel ſpatii partibus convenire, & conſequenter locum a corpore *repleri*. 3. In hoc intervallo, ſive ſpatio, variæ *partes* concipi ſive diſtingui poſſunt, corporibus ipſis æquales: ergo, dum corpus modo *hanc*, modo *illam* ſpatii *partem* occupare concipitur, tunc corpus ipſum *moveri*, hoc eſt, ex loco uno in alium tranſire dicitur: partes tamen ipſæ ſpatii, qui-

Locus corporũ intrinſecus, & primarius.

bus ſucceſſive corpus coextenditur, ſive quæ ſucceſſive a corpore penetrantur, *immobiles* ſunt, fere prout muſca v. g. ſi in vacuo alicujus aulæ ſpatio volitaret, varias ejusdem ſpatii partes ſucceſſive occupare, ſive replere intelligeretur, etſi partes illæ ſpatii *immobiles* ſint.

Confirmatur ab *analogia*, qua Gaſſendus *locum* cum *tempore* (de quo paulo poſt) accurate comparat, videlicet, 1. ſicut *tempus* optime a nobis concipitur velut *duratio* quædam *ſucceſſiva*, quæ ab initio mundi usque ad illius finem *immobiliter* extendetur, atque omnes interjecti temporis differentias in ſe complectetur: ita quoque *locus*, aut *ſpatium*, quod occupatur ab univerſo, concipi poteſt ut extenſio quædam, quæ ad extremos usque univerſi limites extendatur, atque extenſiones omnes particularium corporum in ſe *contineat*. 2. Sicuti, cum res aliqua *eſſe in tempore*, vel *in tempore moveri*, intelligitur, nihil fit aliud, niſi quod in hac imaginaria, & immobili temporis extenſione partem aliquam deſignemus, cui reſpondeat, *commenſuretur*, & coextendatur duratio particularis illius

rei:

: ita prorſus aliquod particulare rpus *in aliquo loco exiſtere* dicitur, cum rtem aliquam illius negativæ extennis ipſum *occupare* concipitur, & 3. emadmodum res diverſas *diverſis nporibus extitiſſe* intelligimus, cum eadem *immobili* totius temporis tenſione diverſas, ac ſejunctas veti *Partes* concipimus, quibus illarum rum duratio reſpondeat, ſic & diver corpora *diverſis in locis exiſtere* dici ſſunt, cum diverſis partibus ejusm ſpatii incorporei reſpondent. 4. enique ſicut res, quæ in tempore iſtunt, *variabiles*, & *contingentes* adeo nt, ut illæ aliquando prorſus inteant, omnis tamen temporis extenſio nnino eadem, & *immobilis* perſevet, ſic etiam, licet corpora movei, locumque mutare poſſint, univertamen mundanæ molis extenſio ſemr eadem immobiliter eſſe perſeve-.

CCCXXX. *Corollarium* I. Nomine tur *ſpatii* intelligitur *negativa penetrais*, *interminata penitus*, *atque immois ſecundum trinam dimenſionem extenſio*, qua corpora modo exiſtentia ſunt ſita, quamque, ſi corpora in nihi- Spatium quid ſit?

lum redigerentur, ipſa relinquerent. (a S. AUGUSTINO *ſpatioſum nihil*, ab aliis quoque *intervallum*, aut *capedo* dicitur) concipit nempe Gaſſendus, ab hac univerſa corporum congerie, quam *mundum*, aut *univerſum* vocamus, illud ipſum *ſpatium* occupari, quod ante mundi creationem ibi extitiſſe concipitur, ubi deinde mundus eſt conditus: unde æqualem prorſus in ejusmodi ſpatio, ac in univerſo extenſionem intelligit, tantumque diffundi ſpatium exiſtimat; quantum ipſa mundi, vel univerſi moles extenditur; eo fere modo, quo inter vaſis latera, vel inter aulæ parietes ſpatium, capedo, ſive capacitas quædam eſſe intelligitur, quæ occupari ſive repleri poſſit a corpore, quod æqualiter ac illa extendatur; unde etiam *ſpatium* a non nullis definiri ſolet, quod ſit mera *poſſibilitas corporum ponendorum.*

Poteſt dari vacuũ ab omni corpore.

CCCXXXI. *Corollarium* II. Poſſibile eſt *ſpatium* ejusmodi *negativum*, in quo nullum plane corpus exiſtat; potuiſſet enim v. g. DEUS, antequam mundi machinam conderet, duo tantum corpora *ſphærica* in illa producere, eaque ita ſibi conjungere, ut mutuo

Artic. I.

ió ſe tangerent: (aut quis omnipo-
entiæ Divinæ iſtud denegare audeat,
olo verbo omnia, *quæcunque voluit*,
roducenti?) jam vero, ſi dentur duo
ejusmodi corpora, ſe ſe in *puncto* mu-
uo tangentia, dabitur revera aliquod
patium ſive intervallum, in quo non
it corpus, ſcilicet in *aliis* circumfe-
rentiæ punctis, a nullo corpore cir-
cumdatis: eo ipſo, quia *duo* tantum
corpora creata ſupponuntur, & qui-
dem in *puncto* ſe tangentia.

CCCXXXII. *Corollarium* III. Hoc ipſo, quod ejusmodi ſpatium ſit *poſſibile*, inferri poteſt, quod *actu* detur; nam, quia non eſt aliquid *poſitivum*, ſed mere *negativum*, idcirco nequit eſſe terminus alicujus actionis *productivæ*, utpote quæ terminatur ad ſolum *poſitivum*: (CCLXVIII.) ergo, ſi nondum *exiſteret*, etiam produci non poſſet per Deum, & conſequenter vel non eſt *poſſibile* ejusmodi ſpatium, vel, ſi eſt poſſibile, *ſuo modo* exiſtere debet, ſcilicet *negative*, cum neque ſit ens *phyſicum* nec *metaphyſicum*, (CLV.) dicens tamen verum & *realem conceptum* a parte rei. (CLVI.)

Spatium negativũ actu datur.

Spatii natura magis declaratur.

CCCXXXIII. *Corollarium* IV. Quando ſpatium aliquando denominatur *æternum*, *immenſum*, & *independens* &c., nullo modo accipi debet in ſenſu *poſitivo*; ſic enim illa attributa ſoli Deo competunt, ſed in ſenſu tantum *negativo*, in quantum illi nempe competunt meræ negationes *mutabilitatis*, *mobilitatis*, *generationis*, *corruptionis*, *finis* &c., fere, acſi diceretur v. g. *iſtud vas habet ſpatium inane pedis quadrati*, *vel cubici*, ubi ſenſus eſt: *in illo ſpatio pedis cubici*, *vel quadrati*, *nullum eſt corpus quadratum vel cubicum*, ſive aliter: *pedalis hæc extenſio vacui*, *ſive nihili*, *dicit negationem corporis in ſpatio pedali*. Sic & *extenſum* ac *menſurabile* dicitur corpus, eodem fere modo, quo *umbra* v. g., quam corpus opacum, a ſole illuſtratum, projicit in partem adverſam, dicitur *extenſa*, & *menſurabilis*; id eſt, *extenſum* & *menſuræ capax* dicitur ſpatium, quatenus extenſum & menſurabile *corpus* poteſt in illo ſpatio collocari. *Imaginarium* denique appellari etiam ſolet, non ideo, quaſi a ſola *imaginatione* dependeat; cum etiam *negationes* dentur *actu*, (CLVI.) ſed, quod illius dimenſiones, ut ait Gaſſendus, *inſtar corporearum*, quæ in ſen-

ſenſus cadunt, *dimenſionum*, nobis *imaginemur*.

Spatium male a Carteſio confunditur cum corpore.

CCCXXXIV. *Corollarium* V. Carteſius male confundit *corpus* cum *ſpatio*, dicens, quod *eſſentia corporis* conſiſtat in *triplici extenſione*, (ſecundum *longum*, *latum*, & *profundum)* æque ac *ſpatium*, indeque deducens, ſpatium ab omni corpore *vacuum* etiam ſupernaturaliter implicare, ibique, ubi eſt *ſpatium*, *corpus* quoque tripliciter extenſum adeſſe, eo ipſo, quia tam *ſpatium* quam *corpus* eadem eſſentiâ, hoc eſt, triplici extenſione gaudeant &c. Sed *contra eſt*. 1. Corpus eſt extenſum *poſitive*, & *impenetrabiliter*, tanquam ens *phyſicum;* ſpatium vero ſolummodo *negative*. Neque inſuper eſt ens *phyſicum*, nec *metaphyſicum*. (CLV.) 2. *Spatium* abſolute loquendo vere poteſt ſine omni corpore exiſtere, (CCCXXXI.) idem autem absque ſe ipſo exiſtere nequit: (X.) ergo corpus & ſpatium differunt. 3. Corpus poteſt *moveri* de loco in locum, non vero *ſpatium*: (CCCXXIX.) poteſt item unum corpus alteri motum communicare, uti ſenſus communis teſtatur, econtra ſpatium nullius *actionis* eſt

capax. 4. Poſtremo unum quoque corpus, cum ſit *impenetrabile*, (CXCI.) *reſiſtit* alteri corpori, ſpatium vero non ita reſiſtit corpori, ſed cum ſingulis poteſt *penetrari* &c: Ergo.

PROPOSITIO II.

Locus extrinſecus, & ſecundarius, ſive reſpectivus, eſt corporis ambientis ſuperficies.

Locus corporũ extrinſecus, & ſecundarius.

CCCXXXV. PROBATUR. Actu in hoc univerſo non datur *corpus*, ab altero ita diſſociatum, ut vacuum intercedat: (CCCXL.) ergo omne corpus eſt ab altero circumdatum; *aër* enim & *materia ſubtilis* ſe inſinuant omnibus omnino corporibus, & concavam eorum ſuperficiem efficiunt: conſequenter locus *extrinſecus*, *ſecundarius*, & *reſpectivus* eſt corporis ambientis ſuperficies. Nempe id, a quo corpus quodcunque alterum *primo* & *per ſe* excludit, eſt *ſpatium negativum*, in quo illud corpus exiſtit, & a quo ſpatium negativum determinatur, ut non amplius ſit pro tunc *indifferens* ad aliud corpus locandum, (CCCXXIX.) *ſecundàrio* autem & *per acci-*

accidens, (quia ſcilicet non poſſunt duo corpora, qua *impenetrabilia*, una eademque concava *ſuperficie* contineri) ratione quoque diverſæ ſuperficiei, qua ambiuntur, mutuo ſe ab eodem loco excludunt.,

Confirmatur. Superficiei iſti competunt vere tria illa *loci* munera: (CCCXXVII.) ergo. p. A. ſuperficies enim illa 1. a corpore locato *repletur*, 2. atque illud in ſe continet, 3. denique eſt *immobilis*; illud enim corpus, aut illa ſuperficies juxta Peripateticos eſt *immobilis*, quæ eandem ſemper diſtantiam a centro, & a polis Mundi; ſive a puncto *Zenith* vel *Nadir*, invariabiliter ſervat. Sic quia turris v. g. aut aëris ſuperficies, illam ambiens (licet *materialiter* & *phyſice*, reſpectu hujus vel alterius columnæ aëreæ ambientis, mutetur) in eadem ſemper diſtantia ab ejusmodi punctis perſeverat, *formaliter* & *mathematice*, (columnam ſcilicet ambientem aëream in ſola ratione ſive conceptu *extenſionis* concipiendo,) illa *immobilis* haberi debet. Quin etiam, ſi moveatur corpus aliquod in ſpatiis *imaginariis*, (qualiter ea vulgo appellari ſolent, quæ extra

hujus univerſi limites concipiuntur, aut quæ certe fierent, ſi mundus nunc deſtrueretur) corpus ejusmodi *diverſa loca* etiam tunc occuparet, quia novam ac diverſam diſtantiam a punctis illis, quæ ſunt, aut fuerant in univerſo, in eo quoque caſu acquireret.

Nec dicas. Ultimum cœlum, itemque tale corpus in ſpatiis imaginariis motum, a nulla alterius corporis ſuperficie tunc continerentur: ergo non forent *in loco*, quod abſurdum eſt dicere. Nam *contra eſt.* Ipſa ultimi cœli, & corporis illius ſuperficies loci, ſaltem *continentis* vel *ambientis*, munera vere obire poſſunt, etſi ab alia non *contineantur*; quemadmodum enim *primum movens* ab alio moveri non debet, ita nec etiam *primum continens* ab alio contineri debet. Hinc ultimum cœlum, illudve corpus in vacuo agitatum equidem proprie loquendo non eſſent in loco *reſpectivo*, *extrinſeco* & *ſecundario*, eo ipſo, quod *ſuperficiem ambientem* non haberent, eſſent tamen revera in loco *abſoluto*, & *primario*, ſive in ſpatio negativo. (CCCXXIX.)

Corpora poſſunt

CCCXXXVI. *Corollarium* I. Poſſunt corpora mutare locum *abſolutum*, *pri-*

ma-

marium, & *intrinſecum*, quin mutent *reſpectivum*, *ſecundarium*, & *extrinſecum*; homo enim v. g. ſedens in navi propter *eandem* corpoream ſuperficiem, ipſum immediate & continuo ambientem, non mutat locum *reſpectivum*, bene vero *abſolutum*, eoquod ſcilicet navis ſemper alteri & alteri *ſpatio* præſens ſit: econtra poteſt eadem turris v. g. alia & alia aëris ſuperficie circumdari, ſicque continuo mutare locum *reſpectivum*, ſeu externam *ſuperficiem* ambientem, ut tamen ſimul immota ſtet in eodem *ſpatio*, tanquam loco *abſoluto*, *primario*, & *intrinſeco*. Et hoc modo ambæ illæ ſententiæ optime conciliantur. (CCCXXVIII.)

mutare locum abſolutum, qu mutent reſpecti vum;

Et econ tra.

CCCXXXVII. *Corollarium* II. Pariformiter dici poteſt, quod *Angeli*, & *animæ ſeparatæ* non ſint in loco *ſecundario*, *extrinſeco*, & *reſpectivo*, quia (cum ſint *ſpiritus* impenetrabilitate carentes) intra nullam corporis *ſuperficiem* continentur, ita ut ab ea vere circumdentur, & tangantur: neque corpus ex ſpatio, quod occupant, excludunt; attamen vere dicendi ſunt eſſe in loco *abſoluto*, *primario*, & *intrinſeco*, ſeu in *ſpa-*

Angeli, animæ paratæ ſunt in loco abſ luto, no reſpecti vo,

ſpatio, cum non ſint ſpiritus *immenſi*, prout ſolus Deus eſt.

Locus naturalis, connaturalis, & violentus.

CCCXXXVIII. *Corollarium* III. Diviſio loci in *naturalem*, *connaturalem*, & *violentum* itidem de loco *extrinſeco*, *ſecundario*, & *reſpectivo* eſt intelligenda; nam cum *ſpatium* de ſe ſit *uniforme*, ſeu non habeat aliquam diverſitatem *poſitivam*, (CCCXXX.) hinc perinde eſt corpori, in quocunque ſpatio exiſtat: adeoque ex hac ratione quilibet locus abſolutus eſt corpori *naturalis*: econtra (reſpectu loci *extrinſeci*) in loco *connaturali* corpus tunc eſſe dicitur, ſi quidem non exiſtat in loco ſuo *naturali*, hoc eſt, illo, quem alias *ordine naturæ* petit, attamen adhuc ſitum ſeu ſuperficiem habeat, *æquivalentem* illi loco, quem alias peteret. Sic v. g. lapis in manu portatus, eſt in loco *connaturali*, licet alias ad centrum terræ, tanquam locum ſuum *naturalem*, tenderet. In loco porro *violento* corpus tunc eſſe enuntiatur, ſi eum ſitum inter corpora minime ſervet, quem alias ex ordinatione naturæ ſervare deberet, e. g. ſi lapis in medio aere libere pendeat.

AR-

ARTICULUS II.

An actu in hoc univerſo detur locus, ab omni omnino corpore vacuus?

CCCXXXIX. Vacuus in ſenſu *Philoſophico* dicitur ille locus, qui ab omni prorſus corpore, etiam *ſubtiliſſimo* eſt deſtitutus; unde v. g. vas aliquod, materia ſolum *viſibili* orbatum, dicitur tantum *ruſtice* vacuum, non *philoſophice*. Et Philoſophi quidem *Neoterici* vacuum diſtinguere ſolent in *coacervatum*, ſeu, ut Gaſſendus vocat, *grandiuſculum*, & in *diſſeminatum*. 1*mum* vocant *notabile* aliquod ſpatium intra univerſi ambitum, a nullo penitus corpore occupatum. 2*dum* vero appellant *ſpatiola* quædam, corpuſculis materiæ ſubtilis ſeu æthereæ, vel etiam, ut plurimi docent, *fluidorum* quorumcunque corporum particulis, ſive globulis, intercepta, quæ non alio corpore qualicunque repleta, ſed penitus *inania*, omnique adeo corpore vacua ſint. Atque de hoc ſecundo vacuo Phyſica aget: de primo vero ſeu de vacuo *coacervato* ſit.

Locus vacuus quis ſit?

Vacuum coacervatum, Et diſſeminatum

PRO-

PROPOSITIO

Vacuum coacervatum in rerum naturâ actu non datur.

Vacuum coacervatum in rerum natura non datur.

CCCXL. Probatur. Ex univerſali *inductione* & *experientia*, quæ teſtatur, quemlibet locum, ſi uno corpore evacuetur, repleri ab alio, ſic v. g. ſi aerem ore quis extrahat ex tubo, aquæ immerſo, mox aqua tubum ingredietur, id quod etiam in Siphonibus contingit. Item in Recipiente vitreo, exhauſto per Antliam pnevmaticam aere, materia ſubtilis per vitri poros ſuccedit; vel ſi nimium evacuetur, per aerem exterius prementem, in mille etiam fruſta abit Vel denique ſi ſit corpus apprime ſolidum ejusdem aeris externa preſſio non niſi difficillime vinci poteſt, ut patet in Hemiſphæriis Magdeburgicis, de quibus, & multis aliis utiliter non minus quam jucunde in *Phyſica Experimentali* tractari ſolet &c. *Confirmatur.* Ubique datur *lumen*, itemque *materia electrica*, vel ſaltem dari poteſt, prout ex *Phyſica* pro certo ſupponi ſolet: ergo omnia debent eſſe actu repleta. p. c. Vel *lumen* & illa *materia electrica* ſunt

ſunt *effluvia ſubſtantialia*, prout volunt Neoterici, vel ſunt *accidentia*, in ſenſu Peripateticorum? ſi 1*mum*? ergo eo ipſo *ubique* diffuſa erit aliqua *ſubſtantia* materialis. Si 2*dum*: ergo *ubique* erit *ſubjectum* illorum accidentium, cum accidens naturaliter ſine ſubjecto eſſe nequeat. (CLXXIII.)

CCCXLI. *Corollarium* I. Igitur Newtonus, qui vult, tota cælorum ſpatia eſſe corpore quocunque, tam ſolido quam fluido, *vacua*, attamen alibi docet, *lumen* conſiſtere in *effluvio* quodam igneo, aperte ſibi contradicere videtur; nam illa ipſa *luminis* ſubſtantia per omnia cœlorum ſpatia, usque ad remotiſſimas ſtellas fixas, indeque ad nos propagatur: ergo eo ipſo in cælorum ſpatiis *vacuum* non datur, ut ex terminis liquet.

Newtonus vacuum admittens, ſibi contradicere videtur.

CCCXLII. *Corollarium* II. Quod vero ſaltem *ſupernaturaliter*, dari in rerum natura queat vacuum, etiam *coacervatum*, ex antea dictis (CCCXXXI.) colligitur; quid enim impediat omnipotentiam divinam, quo minus v. g. in aliquo vaſe, aquâ vel aere undique repleto, & clauſo, poſſit annihilare con-

Carteſius pariter non probat, vacuum etiam ſupernaturaliter repugnare.

contentam in vaſe materiam? utpote quæ ab illa in ſui conſervatione unice dependet: ſi igitur Deus concurſum hunc ſuum ſubtrahat, eamque conſervare deſinat, plane in nihilum recidet. Nec etiam *ratio* reddi valet, cur Deus ſervare non poſſit illa vaſis latera, ne a premente aere infringantur, ut arguit Carteſius, cum Deo nihil queat reſiſtere.

Nec dicat Carteſius. Illa corpora ſunt plane *contigua*, & nullo modo a ſe *diſtantia*, inter quæ *nihil interjacet* : atqui in eo caſu, quo inter 4. vaſis latera *vacuum* intercederet, nihil interjaceret: ergo illa corpora forent *contigua*, & conſequenter etiam ſupernaturaliter repugnat vacuum *coacervatum*. Nam *contra eſt*. D. M. Inter quæ nihil poſitivum vel negativum interjacet C. M. ſi ſpatium ſaltem negativum interjacet. N. M. &c. Cæterum ipſa Dei manus in eo caſu impediret, ne aer ſua gravitate latera comprimeret, ſimulque ſpatium negativum, nullo corpore poſitivo repletum, ibi conſervaret: adeoque per abſolutam Dei potentiam tolleretur omnis *contradictio*.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

CCCXLIII. Ob. 1. Absque vacuo non poteſt *motus* explicari ullus: atqui hoc eſt abſurdum: ergo debet admitti vacuum. p. M. Motus fieri nequit, niſi materia antrorſum pellatur, & quidem ultra infinitam prope mundi oram, ac proinde niſi reſiſtentiam vincat, viribus ſuis longe majorem: atqui ultra vires agere nón poſſunt corpora mota: ergo ſine vacuo, in quo corpora moveantur, nequit motus explicari ullus. R. N. M. cum *prob.* & contrarium oſtendo in piſce natante; poteſt enim iſte, in clauſa etiam piſcina, in omnem partem ſe movere: nempe dum actu ſe movet, partes aquæ anteriores aliquantulum comprimuntur, (nam ſi comprimi nequeant, prout fit e. g. in aqua conglaciata, neque piſcis amplius natare valet) atque antrorſum pelluntur, mox autem laterales quoque aquæ partes æquali celeritate poſt tergum recurrunt, ad reſtituendum particularum æquilibrium, adeoque nulla ſpatii pars relinquitur a piſce, quæ non immediate occupetur ab aqua, poſt tergum recurrente: ſed neque pars illa aquæ

Motus ſine vacuo explicari valet.

anterior *ultra infinitam mundi oram* propellitur, ſed ad latus tantum, & tergum, ſe ſe recipit, conſequenter motus ille absque *vacuo coacervato* ad captum explicari valet. Porro an non ſaltem vacuum aliquod *diſſeminatum* in materiis ejusmodi fluidis intercedat? Ad *Phyſicam*, ut dixi, pertinet.

Ex laminæ politæ, alteri impoſitæ, motu perpendiculari vacuum nō probatur.

Ob. 2. Si lamina quædam ſumme polita, & alteri ſimiliter politæ impoſita, perpendiculariter ſurſum moveatur, certe in medio debet, pro aliquo ſaltem inſtanti, *vacuum* aliquod intercedere: ergo. p. A. Aër externus laminam circumdans omni ex parte ſe ſe intrudere conatur: ergo, cum hoc in inſtanti indiviſibili fieri non poſſit, ſed ſucceſſive, in medio ſpatium aliquod vacuum relinquetur. R. 1. N. A. Probabiliter enim *materia ſubtilis*, de qua itidem in *Phyſica*, corpora omnia, eorumque poros celerrime pervadit, & replet. R. 2. N. *ſuppoſ.* Quod lamina ita celeriter moveri poſſit, ut ſingulæ laminæ partes a partibus alterius laminæ, pariter ſingulis, in *unico* inſtanti indiviſibili ſeparentur, fit enim *ſucceſſive* tantum, utut *ſenſibiliter* illa ſucceſſio diſcerni nequeat: exemplum capi

pi poteſt ab ipſis antea dictis Hemiſphæriis Magdeburgicis, quæ nulla vi a ſe invicem ſejungi poſſunt ſimul, quoad omnes partes, & ſecundum lineam *perpendicularem*, ſed ſolum ſucceſſive, oblique, & ſecundum lineam *Horizontalem* trahendo. Cæterum de *metu vacui* itidem in Phyſica dicetur.

ARTICULUS III.

An duo corpora poſſint eſſe in eodem loco?

CCCXLIV. Quæſtio hæc procedit de corpore localiter *extenſo* & *impenetrabili;* quod enim duo *ſpiritus* naturaliter in eodem loco eſſe poſſint, ex eo manifeſte patet, quia, cum ſint *penetrabiles*, neutiquam ſe *per entitatem ſuam* e loco pellunt; ſic enim v. g. multa quandoque dæmonum millia in eodem hominis obſeſſi corpore compenetrata ſunt. Dixi *per entitatem ſuam;* nam utique per *voluntatem*, a Domino DEO *adjutam*, ſive per *imperium*, & *ſuperiorem poteſtatem*, quam a DEO accepere angeli, in choro altiore conſtituti, poſſunt Angelos inferiores e locis quoque ſuis — Status quæſtionis.

expellere eisque reſiſtere. (CCLXXVI.) Itaque in priore ſenſu, ſit

PROPOSITIO.

Duo corpora localiter extenſa ſimul in eodem loco naturaliter eſſe non poſſunt; bene vero ſupernaturaliter.

Compenetratio corporũ naturaliter implicat,

CCCXLV. PROBATUR 1. *pars.* Cuilibet corpori competit *impenetrabilitas*, ſeu vis illa, quæ cætera corpora expellit e loco, in quo ipſum reperitur: (CXCII.) ergo naturaliter impoſſibile eſt, ut duo corpora ſimul in eodem loco reperiantur, ſive *compenetrentur.* *Dein* quilibet locus ab uno corpore *ſufficienter repletur*: ergo inutile, adeoque naturaliter impoſſibile (XIII.) eſt, ut ab alio ſimili corpore repleatur.

Non vero ſupernaturaliter.

PROBATUR 2. *pars.* Eſſentia corporis non eſt *actualis* impenetratio, ſeu partium extra ſe poſitio, ſed *exigentia* impenetrationis; (CXCII.) illaque eſt *ſecundaria* tantum *proprietas*, & affectio, vel potius *effectus ſecundus* quantitatis: ergo ſaltem divinitus ab iſta ſepara-

parari poteſt, ſicut a DEO ſeparata fuit *combuſtio actualis* ab igne in fornace Babylonica, vel ſicut virtute Divina *actualis* motus abeſſe valet a corpore *gravi* &c., quocunque demum *modo* a parte rei iſta contingant. CONF. SS. Patres, & Theologi communiter docent, Chriſti corpus in ſua reſurrectione cum *lapide* ſepulchrali, e quo exivit, itemque cum *januis* clauſis, per quas ad Diſcipulos intravit, actu *compenetratum*, atque in eodem plane cum ipſis loco fuiſſe, ita ut *ſpiritus* ab Apoſtolis putaretur: atqui ab *actu* ad *potentiam* bona eſt argumentatio: ergo.

Solvuntur Objectiones.

CCCXLVI. OB. I. *Contra* I. *p.* Ignis ſolis naturæ viribus undique penetrat ferrum candens, lux vitrum denſiſſimum &c.: ergo naturaliter duo corpora poſſunt ſimul in eodem loco exiſtere. R. N. C. Nam quando ferrum candeſcit, plane non recipitur ignis *in eodem loco*, in quo eſt ſubſtantia ligni, ſed plurimi potius in ferro *pori*, ſive ſpatiola tenuiſſima reperiuntur, quæ, cum antea ab aëre vel æthere repleta ſint, poſſunt dein

Ignis philoſophice non compenetratur cũ ferro candente.

ejusmodi aëris vel ætheris particulæ expelli ab ignis particulis, vi ſua motuque perturbato, & expanſivo, poros ferri pervadentibus, ac facillime penetrantibus: cumque tota ferri ſubſtantia innu meras fere ignis particulas hac ratione in ſe recipiat, propterea candere, & velut igneſcere videtur. Sed & plures inſuper in ferro particulæ reperiuntur, quæ inflammabiles ſunt; unde tunc, cum ferrum candet, nulla fit *penetratio*, (in ſenſu *philoſophico* loquendo) ſed ſolum inſinuatio ignis in poros ferri, vel converſio earundem particularum in ignem, ac vehemens aliarum calefactio. Adde, quod etiam ignis, in ferro latens, lumen fortius ad nos vibret, quam ipſa ferri ſubſtantia de ſe viſum afficiat, unde & de ferro tunc parum aut nihil videtur. Quod lumen vitrum penetret, cauſam Peripatetici vulgo aſſignare ſolent, quia lumen non eſt *ſubſtantia corporea*, ſed *qualitas*; aſt Neoterici volunt, quod lumen in *ſubſtantia* longe ſubtiliſſimo, apprime elaſtica, & celerrimo, vibratorio, ac rectilineo motu, a fonte lucido ad nos usque per impulſum continuum per vitri *poros* propagata conſiſtat; de qua in *Phyſica.*

Neque lumen cum vitro.

Inſt.

Inſt. In vaſe cineribus pleno tantundem fere aquæ recipitur, quantum in vaſe ipſo omnino vacuo alias contineri ſolet: ergo cinis & aqua in eodem loco penetrantur. R. N. C. Similiter enim plurima ſunt *ſpatiola* in particulis cineris, quæ antea replebantur *aëre*, deinde vero aquæ particulis repleri poſſunt: quin etiam dici poteſt, non exiguam aquæ quantitatem in *vapores* abire, dum aqua cineribus commiſcetur &c. aſt de his aliisque ejusmodi *Experimentis* & *obſervationibus* phyſicis ſuo loco. Nec denique aqua cum cineribus.

Ob. 2. *Contra* 2. *p.* Impenetrabilitas eſt *ratio formalis* corporum: ergo neque ſupernaturaliter auferri poteſt. (LII.) R. D. A. Impenetrabilitas radicalis C. A. actualis. N. A. (LXIX.) & C. Per compenetrationem, ſupernaturaliter factam, ſola aufertur *actualis* extenſio, tanquam effectus *ſecundarius*, & conſequenter ab ipſo corpore ſeparabilis. **Impenetrabilitas radicalis eſt eſſentia corporis, non actualis.**

Inſt. 1. Sic omnes corporis utriusque partes poſſent v. g. compenetrari in minimo acûs vel digiti puncto: atqui ſequela nequit admitti: ergo nec id,

unde ſequitur. p. m. Sic enim pars foret æqualis toti, & totum parti: atqui hoc non: (CCXXV.) ergo. R. N. m. ad *prob.* D. M. pars foret æqualis toti, hoc eſt, totum non eſſet *actualiter* magis *extenſum*, quam pars C. M. non eſſet *radicaliter* & *entitative* magis extenſum, ſive non haberet plus materiæ, extenſionem majorem naturaliter *exigentis*. N. M. &c. Dein utique totum Chriſti corpus, ut fides docet, ſub *minima* hoſtiæ particula *compenetratum* latet ſine implicantia: ergo a pari.

Inſt. 2. Omnis *ſpiritus* ex eſſentia ſua debet eſſe *actualiter* penetrabilis: ergo a contrario omne *corpus* debet eſſe *actualiter* impenetrabile. R. N. A. Potuiſſet enim v. g. Deus ante omnes alias res creare *unicum* ſpiritum, in illo autem caſu certe ſpiritus ille cum nullo corpore fuiſſet *actualiter* penetratus: ergo *actualis* quoque penetratio æque ſpiritibus *eſſentialis* non eſt.

Inſt. 3. Partes horæ neque per Deum poſſunt compenetrari: ergo nec partes corporis. R. N. C. *Diſp.* eſt, quia hora, & omne tempus eſt aliquod eſſen-

tia-

tialiter *ſucceſſivum;* de natura autem entis ſucceſſivi eſt, ut habeat partes *poſt* partes: econtra de eſſentia *corporis* non eſt, ut ſit *actualiter* extenſum; alias nec corpus Chriſti lapidem ſepulchralem, aut januas clauſas, penetrare potuiſſet.

Inſt. 4. Poteſt dici cum DURANDO, quod Chriſtus corpus ſuum extenuaverit, & in partes ita tenues diſſolverit, ut per exigua lapidis & januæ foramina pertranſiret. Et certe in Reſurrectione Chriſti textus Evangelicus oppoſitum innuit, quia *mulieres*, quæ venerant mane, ad ungendum eum, *viderunt revolutum lapidem*, & conſequenter Chriſtus non eſt cum eo *penetratus*. R. D. A. Poteſt hoc dici abſolute loquendo. Tr. A. Conformiter menti SS. Patrum, & S. Scripturæ interpretum. N. A. & C. Plane non licet quævis *pro libitu* fingere, contra *litteralem* S. Scripturæ ſenſum, & communiſſimam Patrum ſententiam, qui illa S. Scripturæ loca de tranſitu Chriſti, *per veram compenetrationem* facto, intelligunt, ut pluribus oſtendit Cl. *Cornelius a Lap. in c.* 28. *Math.* Dein ipſa etiam ejusmodi partium conſtrictio, in

ſententia Durandi, ſine *penetratione* fieri vel concipi nequit, factaque inſuper fuiſſet cum gravi corporis ejusdem *alteratione*, quod certe corporibus *glorioſis* (quorum ſunt præcipuæ dotes *agilitas*, & *impaſſibilitas*) convenire non poteſt, ut ait Cl. Corsinus *Phyſ. Gen. Tract.* 3.c.4. §.15. Porro quod Chriſti Domini Reſurrectio non ex omni parte convincat, penetrationem duorum corporum eſſe poſſibilem, ipſus quoque fateor cum Cl. Barone Scotiſta. *Phyſ. Apolog. de loco. Act.* 5.

Quid agere poſſent corpora compenetrata?

CCCXLVII. *Scholion.* *Quidnam* de cætero, & quonam *modo* agere poſſent duo ejusmodi corpora, divinitus *compenetrata*? non facile decidere, aut declarare valet humana *ratio*, utpote quæ ſibi ideam claram de re *inſenſibili*, (qualis in eo caſu forent illa corpora) facere tamdiu nequit, quamdiu a *ſenſibus* dependet. Id certum eſt, quod Deus, qui non niſi *finem optimum* in patratione alicujus *miraculi* ſibi præfigere ſolet, (CCLXXVIII.) etiam in circumſtantiis particularibus *abſurdas* ſequelas omnes longe ſit remoturus. Quomodo autem Chriſtus in Euchariſtia, ſub minima hoſtiæ particula contentus, vitaliter

liter

liter operetur? Theologis diſcutiendum relinguo, ex quibus Emin. Cardinalis Cienfuegos, in *vita abſcondita*, tenet, quod ille vere ibi videat, audiat, omnesque operationes vitales *actu* eliciat, quæ *fidei* non obſtant, nec pietatem noſtram circa auguſtiſſimum hoc Myſterium diminuere, aut extinguere valent; prout v. g. fieret, ſi is actu loqueretur, aut motum progreſſivum exerceret &c. Nihilominus tamen pro certo habendum eſſe ait, quod omnes *cognitiones*, & quoscunque *actus vitales*, in hoc SS. Sacramento, æque ac in cœlo, ſi non naturaliter, ſaltem ſupernaturaliter, elicere *poſſit.*

ARTICULUS IV.

An idem corpus ſimul in pluribus locis exiſtere poſſit?

CCCXLVIII. Si quando una & eadem res, ſimul & ſemel, in pluribus locis adæquatis & interruptis exiſtat, dicitur *replicata.* e. g. Si quis ſimul & ſemel ſit Ratisbonæ & Auguſtæ, quarum civitatum quælibet eſt locus *adæquatus*, hoc eſt, ſufficiens ad aliquod corpus, ſecundum totam ſuam extenſio- Replicatio

nem

nem, in ſe recipiendum, & *interruptus*, hoc eſt, ita conſtitutus, ut in ſpatio, inter utramque urbem interjacente, hominis ejusmodi replicati corpus nequaquam exiſtat. Qua de cauſa *anima rationalis* nequit dici *replicata* in corpore humano, etſi ſimul in pluribus partibus vulgo morari dicatur; nam illæ partes ſive loca nequaquam reſpectu animæ ſunt diſſita, & *interrupta*, vel *adæquata*: cum *totum* corpus ſe potius habeat ut ſpatium *continuum*, animæ proportionatum, & *adæquatum*. Bene vero eadem anima diceretur replicata, ſi v. g. in *amputato* pede aut capite ejusdem hominis ita perſeveraret, ut ſimul etiam in aliis membris *continuis*, & non interruptis, exiſtere perſeveraret.

Circumſcriptiva. CCCXLIX. Replicatio triplex paſſim ſtatuitur; pro diverſitate nempe *modi*, quo res aliqua in loco exiſtit, qui itidem triplex eſt, 1. *circumſcriptive* res dicitur eſſe in loco, cum ita a corporis ambientis *ſuperfice* (CCCXXXV.) continetur, aut in *ſpatio negativo* (CCCXXIX.) exiſtit, ut *tota totum* locum vel ſpatium occupet, & *pars* illius alicui ſimiliter *parti* loci vel ſpatii reſpondeat. Sic quodlibet *corpus* eſt

eſt in loco. 2. *Definitive* ens dicitur eſſe in loco, cum ita *toti* loco eſt præſens, ut in *ſingulis* etiam *partibus* totum contineatur; unde ſubſtantia *ſpiritualis*, (cui ſoli hic modus in loco exiſtendi competit) v. g. *anima humana* dicitur eſſe *tota in toto* corpore, & *tota in qualibet parte* corporis, ejus ſcilicet paſſiones ubique ſentiendo, eo, qui in *Pſychologia* explicabitur, modo. Definitiva,

3. Modus denique exiſtendi in loco *mixtus* ille eſt, quo res aliqua in uno loco adæquato *definitive*, & in alio adæquato *circumſcriptive* exiſtit. Sic unum & idem SS. Chriſti corpus in cælo exiſtit *circumſcriptive*; ſub hoſtiis vero conſecratis *definitive*, eoquod ſit totum in tota aliqua S. Hoſtia, & totum in ſingulis ejus particulis, diviſione facta. Hæc Chriſti Domini præſentia vocatur etiam *Sacramentalis*, ideoque a Cl. P. *Corſino Phyſ. Gen. tr.* 3. *c.* 4. *n.* 13. Definitur, eſſe illam, *quando una ſubſtantia ſub accidentibus alterius ſubſtantiæ continetur*: *ut ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti ſub accidentibus panis & vini.* Porro alius adhuc modus exiſtendi in loco eſt illa admirabilis & infinita præſentia, qua Deus *ubique* eſt præſens, Et mixta, ſeu ſacramentalis.

&

& *immenſitas* appellari ſolet, de qua Theologi.

Tres ſententiæ de replicatione.

CCCL. Circa hanc quæſtionem tres extant opiniones. 1*ma* Cum Calvino, ejusque ſequacibus, tenet, omnem omnino *replicationem*, tam *circumſcriptivam*, quam *definitivam* & *mixtam* (etiam per abſolutam Dei potentiam) implicare ſed hæc ſententia, quæ negat replicationem corporis Chriſti *definitivam* in SS. Euchariſtiæ Myſterio, ex definitione Concilii Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. tanquam hæreſis condemnatur, ejusque econtra poſſibilitas ſupernaturalis a Theologis Catholicis, ad quos ſpectat, ſolide defenditur. 2*da* Eſt *Thomiſtarum*, qui quidem ob præfatum SS. Euchariſtiæ Myſterium admittunt, poſſe unum & idem corpus in uno loco eſſe *circumſcriptive*, & in altero *definitive*; non vero in pluribus locis ſimul *circumſcriptive*. 3*tia* Denique eſt *Scotiſtarum*, qui etiam per Deum poſſibile eſſe defendunt, ut idem corpus *circumſcriptive* in pluribus locis adæquatis & interruptis exiſtat. Quibuscum ſit

PRO-

PROPOSITIO.

Nequit idem corpus naturaliter exiſtere circumſcriptive in pluribus locis adæquatis ac interruptis; bene vero ſupernaturaliter.

CCCLI. PROBATUR 1. *pars.* Conſtat ab experientia, quod nullum corpus naturaliter poni queat in alio ac novo loco, niſi per *motum localem*: atqui, ubi datur motus localis, ibi relinquitur locus prior, juxta ipſam definitionem *motûs localis*, qua dicitur *tranſitus unius corporis de loco in locum.* Accedit *ſenſus intimus*, quo omnes judicant, *phyſicé* repugnare, ut aliquid, *loco* ab altero *ſeparatum* atque ſejunctum, non ſit ſimul etiam *realiter diſtinctum* &c. nec ullus timet, ne hic numero florenus v. g. quem in ſuo marſupio tenet, ſimul in alterius loculo contineatur. Replicatio circũſcriptiva dari nequit naturaliter;

PROBATUR. 2. *p.* Juxta omnes Catholicos SS. Chriſti corpus poteſt exiſtere *circumſcriptive* in cœlo, & ſimul *definitive* in locis innumeris hoſtiarum confecratarum, quod eſt *majus*, imo maximum miraculum: ergo etiam poteſt Bene autem ſupernaturaliter.

teſt aliud corpus quodcunque, virtute divina, ſimul & ſemel exiſtere in duobus locis adæquatis *circumſcriptive*, quia hoc eſt *minus*: a *majori* autem ad *minus* bona eſt argumentatio. Juxta *Log.* ergo. CONFIRMATUR I. Non videtur magis excedere potentiam DEI infinitam, ſive Chriſtus in corpore ſuo humano ſe circumſcriptive replicet, ſive aliud corpus v. g. Beatiſſimæ Virginis, aut alterius ſancti, virtute Divina circumſcriptive replicetur: atqui *primum*, juxta mentem SS. PP. & Eccleſiæ, *actu* contigit, & adhuc contingit: ergo etiam *ſecundum* fieri non implicat. p. m. Chriſtus Dominus, qui tamen ante extremi judicii diem, prout complures interpretes, ex *Act. Apoſt.* c. 1. v. 11. Deducunt, non derelinquet, ſæpius in terra apparuit, ſub exiſtentia *circumſcriptiva*, e. g. *Act.* 9. *v.* 5. apparuit Saulo, unde & idem Apoſtolus 1. *Cor.* 11. *v.* 8. ſcribit *ſibi viſum eſſe Chriſtum, uti viſus eſt aliis poſt Reſurrectionem.* Certum eſt autem, quod Chriſtus Dominus ab iis ſit viſus *circumſcriptive*: ergo. CONFIRMATUR II. *Principio contradictionis* neutiquam repugnat, aliquid *duobus locis ſimul eſſe præſens*, cum non ſit *negatio ejusdem de eodem*, ſed *duplex*

affir-

affirmatio ejuſdem de eodem in diverſis locis: & ideo quam plurimi in ſenſu *proprio* accipiunt non nullas hiſtorias, omni exceptione majores, quæ habentur de quibuſdam Sanctis, ſimul & ſemel in duobus locis exiſtenibus, prout vel maxime legitur in vita THAVMATURGI noſtri S. ANTONII de PADUA, itemque S. FRANC. XAVERII &c.

Reſpondet Cl. P. CORSINUS *loc. cit.* cum *Thomiſtis*, 1. allata de Chriſto & Sanctis quibuſdam exempla nihil probare; nam, quemadmodum Angeli in corpore apparere poſſunt, quamvis omnino corpore deſtituantur, vel quia corpus aëreum aſſumunt, vel quia potius eadem ſpecies & imago divinitus in ſenſibus noſtris imprimitur, quæ imprimeretur a corpore, ſi revera corpus illud adeſſet, (CLXXXI.) ita quoque Chriſtus in aliquo caſu vel corpus aëreum aſſumere poteſt, vel etiam Angelum ſubſtituere, (id quod in replicatione Sanctorum locum potiſſimum habere volunt *Thomiſtæ*) vel denique imaginem illam oculis imprimere, quam imprimeret, ſi in proprio corpore appareret. 2. Ad illam vero paritatem inter præſentiam *ſacramentalem*, qua Chriſtus ſub innumeris SS. Hoſtiis exi-

exiſtit, & *circumſcriptivam*, qua pluribus in locis aliquod corpus localiter exiſteret, ait *diſparitatem* eſſe, quia in *primo caſu* tota ratio, cur ſubſtantia corporis Chriſti ſit in pluribus locis *ſacramentaliter*, eſt *converſio* ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, adeoque, cum ejusmodi converſiones *multiplicari* poſſint, poteſt etiam illa *præſentia* multiplicari: at vero, quia in *ſecundo caſu* tota ratio, cur aliqua ſubſtantia localiter, ſive *circumſcriptive*, in aliquo loco ſit præſens, ſit *quantitas* ipſa, impoſſibile eſſe affirmat, ut remanente *eadem quantitate* talis *præſentia* multiplicetur. Sed

Contra eſt. Ad 1mum. Equidem facile conceſſero, quod per abſolutam Dei potentiam res ſic *poſſit* contingere, aſt nego, quod neceſſario ita evenire *debeat*, ut non etiam altera explicatio, qua dicitur, id fieri per *veram replicationem*, locum habere queat: & hoc propter allatum argumentum *a majori ad minus*. Ad 2*dum* ſimiliter dico: quodſi *converſio* realis, quæ fit per verba Sacerdotis, adeo *multiplicare* poteſt Dominici corporis *præſentias*, cur non etiam ab omnipotenti *verbo Dei*, quo *cœli*

fir-

ſirmati ſunt, & orbis, *remanente eadem quantitate*, (quæ itidem in illa replicatione Sacramentali *eadem* eſt) corpus aliud ita replicari valeat, ut *entitative* maneat idem, attamen ſecundum diverſas præſentias *locales* pluries multiplicetur? Certe ſi corpus Chriſti, manens in Cœlo *circumſcriptive*, nihilominus replicari in terra poteſt per ſimplices præſentias, & quidem *definitivas*, plane etiam dicendum eſt, quod locus *circumſcriptivus* non ita limitet aliud quodcunque corpus, quin poſſit *per abſolutam Dei potentiam* exiſtere alibi ſecundum plures præſentias *circumſcriptivas*, quæ non adeo miraculoſæ ſunt ſicut priores.

Solvuntur Objectiones.

Contra 2. p.

CCCLII. OB. 1. Idem locus nequit ſimul eſſe *adæquatus*, & *inadæquatus*: (X.) atqui in hac ſententia id contigeret: ergo hæc ſententia nequit admitti. p. m. Eſſet enim *adæquatus*, ut ſupponitur, & *non* eſſet *adæquatus*, quia eſſet etiam alius præter illum, in quo corpus exiſteret: ergo. R. N. m. Uterque enim foret

In eo caſu uterque locus foret adæquatus; & neuter inadæquatus.

adæquatus, id eſt, *totum* corpus locaret, & conſequenter non foret *affirmatio & negatio unius de eodem*, prout ad contradictionem requiritur, (IX.) ſed potius duplex *affirmatio*, ſeu poſitio ejusdem *entitative* corporis in duobus locis, ſecundum duas præſentias *locales*, ut antea dictum eſt.

Et quantitas ſolũmodo localiter eſſet multiplex, non entitative.

Ob. 2. Si idem corpus in duplici loco *circumſcriptive* poſſet exiſtere, tunc eo ipſo haberet duplicem quantitatem: atqui hoc non: ergo. p. m. Si enim haberet duplicem *quantitatem*, eo ipſo quoque foret *duplex corpus*, quia *quantitas* juxta Neotericos non diſtinguitur a *corpore*: atqui hoc eſt contra ſuppoſitum: ergo. R. D. ſ. M. Haberet duplicem quantitatem *localem* C. ſ. M. *entitativam*, N. ſ. M. &c. ad *prob.* ſimiliter D. A. foret duplex corpus entitative. N. A. Secundum duplicem præſentiam *localem* C. A. & N. C.

Inſt. 1. Sic idem corpus divideretur a ſe ipſo: atqui hoc eſt impoſſibile: ergo & id, unde ſequitur. R. D. M. Si entitative multiplicaretur C. M. Si tantum ſecundum duas præſentias locales. N. M. Et ſic D. m. N. C. Dein *retorq.*

de

de SS. Chriſti corpore, penitus ſecundum *entitatem* indiviſo, etſi innumeras habere poſſit *locales præſentias* &c.

Inſt. 2. Per replicationem pars fieret æqualis toti, ſi nempe dimidium ligni palmaris v. g. bis exiſteret: atqui hoc eſt contra illud evidens axioma, quo dicitur: *totum eſt majus ſua parte*: ergo. R. D. ſ. M. Pars replicata, ſeu bis poſita, fieret æqualis toti, (ſicut v. g. *unitas* bis ſumpta efficit *binarium*) C. ſ. M. pars non replicata N. ſ. M. & D. m. ſeu Axioma: *totum eſt majus ſua parte* non replicatâ C. m. replicatâ. Subd. in entitate C. m. localiter. N. m. & C. In tali caſu augmentum, per replicatum ſemi-palmum ligno palmari adjectum, (cum *in ſe* non ſit duplex, ſed una tantum & eadem dimidia *entitas)* non ſe habet ut *pars* palmi *entitativa*, ſed ſolummodo *toti æquivalet* per duplicem *locationem*, divinitus factam.

Inſt. 3. Nequit idem *diſtare a ſe ipſo*: atqui hoc pariter in noſtra ſententia contingeret: ergo. p. m. Ratisbona v. g. & Auguſta a ſe diſtant: ergo etiam idem Cajus v. g. ſi in utraque ur-

be ſimul & ſemel exiſteret. R. N. m. Diſtantia enim expreſſe involvit *præſentiam* in hoc, & *abſentiam* in alio loco, quod tamen in noſtro caſu non fieret, non enim v. g. Cajus eſſet *abſens* ab alterutra dictarum urbium (ſicut tamen una revera civitas ab altera abeſt,) ſed in *hac* foret, & in *altera* ſimul. Dein iterum *Retorq.* de SS. Chriſti corpore, in millenis locis ſimul exiſtente, nec tamen a ſe ipſo diſtante.

Declaratur, quænam in eo caſu enti replicato competere actiones poſſent?

Ob. 3. Si Cajus, v. g. Ratisbonæ exiſtens, Viennæ ſimul exiſteret, vel haberet hæc ipſa accidentia, quæ in primo loco habet, vel non? neutrum poteſt dici: ergo replicatio circumſcriptiva eſt prorſus impoſſibilis. R. N. m. Et dico I. quod unacum ipſo replicanda forent ea omnia, quæ *ex natura* ipſi unita ſunt, niſi Deus *novo miraculo* velit impedire, aut *ſpecialis ratio* in contrarium adſit; ordinarie enim *naturæ auctor*, ut axioma habet, *ſinit cauſas ſecundas motus ſuos agere*, & cum ipſis concurrit, quantum ratio ipſius eſſentiæ creatæ exigit; hinc unacum Cajo in noſtra hypotheſi replicarentur *corpus* & *anima*, ita ut 1. ejus *vita* aut *ſanitas*, in una civitate læſa,

etiam

etiam in altera ſalva conſiſtere non valeret &c., 2. Nec *vires activas*, quæ ab ipſius *eſſentia corporea* emanant, in uno loco majores haberet, quam in altero, etſi in hoc caſu illas magis applicare poſſet *diverſis* ſubjectis, in quæ, ex defectu neceſſariæ *approximationis*, antea agere non potuiſſet. 3. Nec poſſet Ratisbonæ *virtutibus*, & ſimul Viennæ *vitiis* ſe tradere, neque hic *velle*, & ibi *nolle* &c. quia hi actus contrarii *uni & eidem eſſentialiter animæ* nequeunt competere. II. Etſi plerique ex Scotiſtis admittant, quod Cajus replicatus poſſit habere alia accidentia, *a loco*, ut ajunt, *dependentia* Ratisbonæ, & alia Viennæ, e. g. quod poſſet *ſedere* hic, & *ſtare* ibi, ibi *frigere*, hic *calere*, videre *hoc* objectum in hoc loco, & *aliud* in alio &c.; attamen, cum iſtæ *modificationes* corporis, tanquam modi *phyſici*, ſint ab eadem *entitate corporea* (quæ ubique *eadem* eſt) omnino inſeparabiles pro eo tempore, quo corpus *actu* modificatur, (CX. ac CLXXIV.) & conſequenter non a ſolo *loco* dependeant, ſed ab ipſo *corpore*; (nam *calidum* v. g. aut *frigidum eſſe* certe ipſum *corpus* in alio ſtatu ponit: *ſeſſio* quoque & *ſtatio* neceſſa-

rio aliam nervorum & oſſium diſpoſitionem requirunt: *oculi* denique *retina* Ratisbonæ eſt *entitative eadem* cum illa, quæ lucis radios Viennæ recipit, ut adeoque eadem etiam objecti *imago*, quæ in uno loco ibi depingitur, efformari debeat in altero, niſi Deus novo miraculo radios lucidos pupillam ingredi prohibeat &c.) Hinc probabilius mihi videtur, quod Cajus (abſtrahendo, ut dixi, a novo ac iterato miraculo) Ratisbonæ id ipſum ſit acturus, & percepturus in organis ſenſuum, & corporeis nervis, ac fibris, quod Viennæ: ideoque v.g. *calor*, in uno, & *frigus* in alio loco perceptum, (niſi Deus, velut in fornace Babylonica, alterutrius effectum ſecundarium denuo *miraculoſe* tolleret, uti tamen facile poſſet) ubique replicarentur, ſatque ambæ ejusmodi qualitates ſenſibiles ſeſe invicem attemperarent, &, niſi alterutra in entitate prævaleat, *teporem* producerent; ſimiliter de diverſis *objectis*, in utroque loco conſpectis, dicendum eſſe arbitror. Sicque plurimæ abſurdæ ſequelæ, variæque cavillationes declinari poſſe mihi videntur.

In-

Inſers. Ergo eo ipſo S. Antonius de Padua non *per ſe*, ſed *per Angelum*, replicatus eſt, quia, ut in ejus vita legitur, in ambobus locis diverſas ejusmodi actiones exercere viſus eſt. R. D. Ill. Loquendo de nudo ac ſimplici replicationis miraculo. C. *Illat.* Loquendo de abſoluta Dei potentia, qui priori miraculo etiam alterum & tertium, ac plura (ſi principio contradictionis (XI.) non repugnent) ſuperaddere valet. N. *Illat.* Sufficit, quod replicatio *in genere* contradictionem non involvat, (CCCLI.) adeoque ſit *poſſibilis*, (XVI.) quamquam in caſibus *particularibus* melius vel per *Angeli* apparitionem, aut a ſolo Deo in organis noſtris ſenſoriis factam immutationem, explicari quandoque poſſit. Cæterum hic cum proportione applicari queunt dicta ſuperius. (CCCXLVII.) Poſtremo omnia adverſariorum argumenta poſſunt *retorqueri* in replicatum SS. Chriſti Domini corpus, quod *circumſcriptive* exiſtit in cœlo, & *definitive* ſub innumeris conſecratis Hoſtiis, prout &*circumſcriptive* viſus eſt Salvator poſt aſcenſionem ſuam D. Paulo Apoſtolo, 1. *Cor.* 15. *v.* 8., quin cœlum re-

liquerit: (CCCLI.) ergo *a majori ad minus* continuo argumentari licet.

SECTIO II.

De *Duratione entium, ſive de tempore.*

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quotuplex ſit duratio, ac tempus?

Temporis notio teſte S. Aug. obſcura eſt.

CCCLIII. Teſte S. Augustino *l.* 11. *Conf. n.* 17. tempus facillime quidem concipitur, ſed explicari tamen ac definiri vix poteſt; *quid enim familiarius & notius in loquendo commemoramus, quam tempus? & intelligimus quidem, cum id loquimur, intelligimus etiam, cum aliquo loquente id audimus. Quid eſt ergo tempus? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio: fidenter enim dico, ſcire me, quod, ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus; & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus.* Hæc ille. Et revera de tempore diverſiſſimæ extant Philoſophorum ſententiæ, clare teſtantes, quam ſit difficile, *claras* de illo ideas tra-

tradere; has igitur ex ſequentibus, ſi non *realibus*, ſaltem *nominalibus* definitionibus, quantum ſufficit, hauriendas ita propono.

CCCLIV. *Duratio in genere* eſt *actualis* & *continuata* entis alicujus *exiſtentia*. Adeoque duo in ſe comprehendit 1. Actualem rei *exiſtentiam*, 2. & exiſtentiæ *continuationem;* duratio vero *determinata* præter illa duo adhuc involvit certam *temporis*, quo ipſa *menſuratur*, differentiam. In primo ſenſu duratio dicitur quoque *abſoluta*, ac *intrinſeca*, in ſecundo autem *reſpectiva*, ſeu *relativa*, & *extrinſeca*. Duratio abſoluta, ſeu intrinſeca, reſpectiva, ſeu extrinſeca.

CCCLV. *Corollarium.* Omnis *duratio* importat quamdam *ſucceſſionem*, vel *metaphyſicam*, vel *phyſicam*. 1*ma* eſt ipſa continuata exiſtentia, quæ, ſaltem *quoad nos*, vel *ſucceſſione perceptionum*, vel *motione alicujus corporis* e. g. *ſolis*, menſurari utcunque valet. 2*da* eſt *ſucceſſio ſtatuum* in *re* durante, qualis defacto conſpicitur in hoc univerſo, quoad res *corporeas* & *phyſicas*, dum nempe aliæ corrumpuntur, & aliæ producuntur &c.; ſicut & *in mente*, ſeu ſubſtantia *ſpirituali*: utpote quæ pariter continuæ Importat ſucceſſionem metaphyſicam, vel phyſicam.

in-

intellectionum & *volitionum* mutationi obnoxia eſt.

Duratio menſuratur tum a noſtris cognitionibus,

CCCLVI. *Scholion* I. Nempe, uti rem explicat Ariſtoteles, 4. *phyſ.* eas res *durare* credimus, quæ *pluribus* noſtris *perceptionibus*, quarum aliæ aliis ſuccedunt, *coexiſtere* intelliguntur. Hinc venit, ut, qui eam perceptionum ſucceſſionem non advertunt, uti ſunt dormientes, aut uni objecto nimium affixi, rerum *durationes* non percipiant, facileque propterea judicent, ab initio e.g. ſomni usque ad vigiliæ initium, nihil durationis effluxiſſe; ſi id aliis argumentis, e.g. diei ortu, aut ex horologii indice, nequeant reſcire. Breve pariter tempus apparet, impenſum objectis gratis, v.g. jucundis ſpectaculis, aut ſonis harmonicis &c. Econtra *longum* eſt vel momentum, quod dolore, aut moleſto objecto, conſumitur, quia ſcilicet ideis affligentibus mens continuo alias nititur lætiores ſubſtituere: hinc ob multitudinem ſuccedentium novarum idearum, itemque ob animum, ad temporis revolutionem magis attentum, tempus, re ipſa *breviſſimum*, ſat diuturnum apparet. Præterea, cum etiam *duratio* foret, etſi nulla in nobis haberetur *cognitionum*

tum etiã a tempore.

ſuc-

ſucceſſio, aut ſi in *una* unica idea animus diu hæreret defixus; hinc durationem *motu* quoque metiri ſolemus, indeque ſit, ut, quemadmodum in motu ſucceſſionem obſervamus, ita & in *duratione* eandem eſſe *partium ſucceſſionem* affirmemus. Sicque hæc *ambo* ſimul ſucceſſionem *metaphyſicam* efficiunt.

CCCLVII. *Scholion* II. Hinc autem merito illa Ariſtotelis definitio, qua dixit, quod tempus ſit *numerus motûs ſecundum prius & poſterius l. 5. phyſ. c. 16.* a plerisque rejicitur, nam, etiamſi nullus ſit in rerum natura *motus*, dummodo res exiſtant, quæ *durent*, tempus eſt. Adde, quod *clarius* certe a nobis intelligatur, quid ſit *tempus*, quam quid ſit *numerus motûs ſecundum prius & poſterius*. Inſuper vero ſimilius dici poteſt, quod *motus* ipſe ſit *numerus & menſura temporis;* nam certe nos temporis durationem aliquo *ſolis* & *horologii motu* numerare, ſeu menſurare ſolemus. Poſtremo res non ſolum, cum *moventur*, ſed etiam dum *quieſcunt*, *durare*, atque in aliquo *tempore* contineri dicuntur: ergo tempus æque dici deberet *numerus & menſura motus & quietis &c.*

Tempus non bene definitur ab Ariſtotele.

Durationis tres ſpecies. Æternitas.

CCCLVIII. Durationis tres vulgo numerantur ſpecies 1. *æternitas*, eſtque duratio entis, cujus exiſtentiæ *neque initium* fuit, *neque finis* ullus futurus eſt, quæque nullâ æquari menſurâ poteſt, quantumcunque repetitâ. Hæc ſoli DEO proprie competit.

Oevum,

2. *Oevum* eſt duratio entis, cujus exiſtentiæ *origo* quidem eſt, ſed *nullus* futurus eſt *finis*, adeoque menſurari poteſt *a parte ante*, ut ſcholæ loquuntur; non item *a parte poſt*. Hæc competit rebus permanentibus, & ex natura ſua *incorruptibilibus*, ut ſunt *angeli*, & *animæ rationales*.

Et tempus.

3. *Tempus*, ſimpliciter acceptum, eſt duratio entis, quod & *originem* habuit, & *finem* eſt habiturum, ut ſunt res omnes *corporeæ*, in mundo exiſtentes.

Quomodo prædictæ ſpecies definiantur a Cl. P. Corſino?

CCCLIX. *Scholion* I. Allatas durationum ſpecies Cl. P. Corsinus *Phyſ. Gen. tr.* 3. *c.* 3. Aliter non nihil definit, nempe 1. *tempus*, inquit, eſt *ſucceſſiva rerum mutabilium duratio; ſive permanentia in eſſe rei mutabilis, tum quoad eſſe rei, tum quoad operari.* 2. *Oevum* ab eo dicitur *duratio vel permanentia in eſſe rei, invariabilis quidem quoad ſubſtantiam, variabilis tamen quoad operari*, 3. *æternitas* denique ab illo definitur

nitur *duratio vel permanentia in eſſe rei, invariabilis & immutabilis tum quoad eſſe, tum quoad operari.*

CCCLX. *Scholion.* II. Cum hac Cl. P. Corſini *æternitatis* definitione etiam coincidere videtur celebris illa, a Boetio dudum tradita, & ab omnibus paſſim Theologis acceptata notio, quod ſcilicet *æternitas* ſit *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Eſt nempe diſcrimen *æternitatem* inter & *tempus*, quod in *illa* partes aliquæ diſtingui non valeant, ſed ſit veluti *unicum inſtans*, quod omnes temporum differentias admirabili modo complectitur; in *tempore* vero *partes* plurimæ diſtingui poſſint, quarum quædam *præteritæ* ſint, aliqua *præſens*, & aliquæ ſint *futuræ*, ut dudum quoque aſſeruit divinus Plato *in Timæo*, dicens: *Duo ſunt, quorum alterum ſemper eſt, & nunquam ſit, ſcilicet Deus; alterum nunquam eſt, & ſemper ſit, ſcilicet tempus.* Cæterum id adhuc probe notandum eſt, quod *æternitas* ſaepedum a Theologis, ſed & ab ipſa S. Scriptura frequenter accipiatur pro longo tempore, uti videre eſt in *Lexico Biblico*, *Cl. P. Weittenauer*, V. *æternus.* Vox enim Hebraica *Keden*, Latine vertitur

Æternitas quomodo differat a tempore?

Sumitur quandoque pro longo tempore.

titur *antiquitas* ſimul & *æternitas.* Jam ex hucusque dictis fluunt ſequentes Propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Duratio abſoluta non eſt ens diſtinctum a re durante; relativa autem dicit relationem ad certam menſuram temporis.

Duratio abſoluta non diſtinguitur a re durante;

CCCLXI. Probatur 1. *p.* Duratio eſt continuata entis exiſtentia: (CCCLIV.) ergo, ſicut *exiſtentia* non eſt ens diſtinctum ab ipſo ente, quod exiſtit, (CXL.) ita nec *continuata exiſtentia*, ſeu duratio. Confirmatur. 1. Si duratio *abſoluta* eſſet ens diſtinctum a re durante, tunc admitti deberet *ens* quoddam *æternum*, a Deo diſtinctum, quod eſſet duratio entis æterni, ſeu *æternitas:* Jam vero, ſi ſtatuitur *æternitas* diſtincta a re æterna, tanquam ens ab ente diſtinctum, quæro: an hoc ens (*æternitas,*) *duret* in exiſtendo, nec ne? ſi 2*dum*: ergo eo ipſo non foret *ens exiſtens.* Si 1*mum*: rurſum quæro, an hujus quoque entis *duratio* ſit ens, ab ipſa *æternitate* diſtinctum? ſi *eſt*? ita quærendo abibimus in infinitum.

Si

Si *non eſt?* ergo poteſt ens etiam aliud *per ſe ipſum* durare, & conſequenter nulla eſt neceſſaria *duratio*, ab ipſo ente *diſtincta*, fere, uti ſupra de *exiſtentia* dictum eſt. (CXL.) CONFIRMATUR II. Si duratio in entibus factis a rebus *durantibus* diſtincta foret, tunc etiam *exiſtere* poſſet rerum duratio *ſine* rebus ipſis, aut econtra res ipſæ *ſine* duratione, (CIX.) quo nihil abſurdius fingi poteſt. *Demus* autem, inquit Cl. ANT. GEN. *Met. p.* 1. *c.* 12. §. 99. *exiſtere durationem, non res durantes, eamque eſſe, ut volunt, æternam, ſeu Dei æternitatem, rogo, an ex animo affirment, me durare in exiſtendo per ipſam Dei æternitatem? non, inquiunt, ſed tua duratio per æternitatem dignoſcitur: præclare! conſentiunt ergo, durationem abſolutam eſſe ipſam rerum continuatam exiſtentiam, relativam vero dignoſci ex exiſtentia & duratione aliarum rerum.* Inde

PROBATUR 2. *p.* Et patet ex ipſa durationis *relativæ* notione, *exiſtentiæ* enim *continuatio* neceſſario involvit aliquam *temporis* ſeriem, cui coexiſtat, nec in ſe ſola conſiſtit duratio, ſed in rei *exiſtentia*, prout *continuari* intelligitur. (CCCLIV.) Id quod magis patebit ex *Prop.* 3.

Relativa autem connotat aliquam temporis menſuram.

PROPOSITIO II.

In æternitate nulla datur ſucceſſio phyſica, ſed ſola metaphyſica.

In æternitate nõ datur ſucceſſio phyſica.

CCCLXII. Probatur 1. p. Succeſſio *phyſica* eſt quædam ſtatuum entis *mutatio*: (CCCLV.) atqui in ente æterno, utpote *immutabili*, nequit eſſe *mutatio*: ergo neque in *æternitate*, quæ eſt duratio entis æterni, (CCCLVIII.) quæque ab ente æterno diſtincta non eſt. (CCCLXI.) At vero

Sed metaphyſica tantum.

Probatur 2. p. Succeſſio *metaphyſica* eſt ſola *continuata* entis exiſtentia, (CCCLV.) quæ eſt inſeparabilis a duratione: (CCCLXI.) ergo, cum æternitas ſit duratio *continua* entis æterni, (CCCLVIII.) datur eo ipſo in æternitate ſucceſſio *metaphyſica*, vel, ut alii appellare eam malunt, *logica*. Nec iſta lædit *immutabilitatem* Dei, cum nulla propterea in ipſo admittatur *ſtatuum ſucceſſio*; nec ejus *ſcientiam*, quæ, cum *unica* ſit intellectio, adhuc infinita poſſibilia, eorumque durationem *uno intuitu* cernit, ut Theologi docent.

PRO-

PROPOSITIO III.

Menſura durationis ſive temporis intrinſeci eſt motus regularis aſtrorum diurnus & annuus, præcipue Solis ac Lunæ.

CCCLXIII. PROBATUR. Iſthæc revolutio regularis habet in ſe omnes proprietates *menſuræ*: ergo. p. A. Menſura temporis juxta omnes debet eſſe 1. *æquabilis* & *immutabilis*, (ſicut v. g. etiam determinata ſemper *ulna* in partes *æquales indeſinenter* debet eſſe diſtributa, ut pannus bene menſurari queat) 2. debet eſſe *communis*, & pro menſurandis *omnibus* mutationibus inſerviens, ſecus enim *incerta* foret, nec applicari poſſet, & conſequenter nec *regula* ſeu *menſura* foret. 3. Denique debet eſſe *fluens*, ſeu *ſucceſſiva*, quia etiam *tempus* eſt ſucceſſivum & fluens; menſurandis autem ſimilibus *ſimilis* menſura adhiberi debet. e. g. Ponderi libra, longitudini ulna &c.: atqui revolutio regularis aſtrorum habet in ſe iſta omnia: ergo. p. m. Nam 1. eſt *æquabilis* & *indeſinens*, ſeu immutabilis, ut patet ex obſervatione tot millium

Menſura durationis eſt motus Solis ac Lunæ.

annorum, in quibus nunquam erravit, aut defecit, (viâ ſaltem *ordinariâ*) eſtque inſuper in *partes æquales* rite diſtributa, ſcilicet in *annos*, *menſes*, *horas*, *minuta* &c. 2. Eſt menſura *communis*, omnibus nota, & ab ipſo Deo in hunc finem conſtituta, juxta illud *Gen.* 1. *fiant duo luminaria in firmamento Cœli*, & *dividant diem ac noctem*, & *ſint in ſigna*, & *tempora*, & *dies*, & *annos*. Indeque ex ipſa hac aſtrorum revolutione actu menſurantur, ſemperque menſuratæ ſunt durationes regnorum, vitæ, actionumque humanarum, ut præclare deducit *Cl.* Le Pluche *Spectac. Nat. T.* 4. *p.* 2. *Dial.* 1. *de Inventione Zodiaci*. 3. Eſt menſura *fluens* & *ſucceſſiva*, ut de ſe patet: Ergo.

Ad hanc menſurã reducuntur omnes aliæ.

CCCLXIV. *Corollaria*. I. Ad hanc aſtrorum revolutionem regularem ſpectant omnes aliæ menſuræ temporis intrinſeci, ut v. g. *clepſydræ*, *horologia rotata*, *feſta*, ut ajunt, *mobilia* &c., de quibus *Chronologi*. II. Quemadmodum autem in entibus *permanentibus* menſura, e. g. *ulna*, non eſt proprie *menſura ſui ipſius*, ita pariter curſus aſtrorum non dicitur ſui ipſius, ſed aliarum duntaxat re-

Art. Un.

rerum, menſura. III, Quare hæc ipſa duratiónis, ſeu *temporis intrinſeci, menſura* eſt id tantum, quod *tempus extrinſecum* in ſcholis vocatur; tempus enim *intrinſecum* cum *duratione intrinſeca ſeu abſoluta* (CCCLXI.) proportionaliter coincidit; quatenus ſcilicet ab ipſa *re durante* nullatenus diſtinguitur, dicens tamen (ut *relative* concipitur) aliquam *relationem*, vel, ut alii loquuntur, *connotationem* ad quamdam durationem extrinſecam, eſſentialiter ſucceſſivam, tanquam menſuram, & per hanc connotationem patet *tempus intrinſecum, proprie dictum*, differre ab *æternitate*, quæ per nullam plane menſuram menſurari valet, eoquod omni prorſus initio & fine careat; itemque ab *ævo*, utpote quod etiam (ſaltem *a parte poſt*) incommenſurabile exiſtit.

Tempus intrinſecum non conſiſtit in hac menſura, ſed ſolum extrinſecum.

IV, Veram ac genuinam *temporis extrinſeci* ideam tunc ſolum acquirimus, ſi attendamus ad regulares *aſtrorum motus*, vel etiam ad alias menſuras *naturales*, aut *artificiales*, ab iis dependentes, e. g. ad *horologia;* non autem illam temporis extrinſeci ideam nobis ingenerare valet *ſucceſſio idearum noſtrarum*, ut *Lockius* voluit, niſi & ipſa ſecundum

Temporis extrinſeci Notio unde acquiratur?

Syderum curſus dimetiatur; nam ſi ſola hæc ſucceſſio nobis menſuræ ratio foret, ſane nunquam homines conſentirent circa longitudinem aut brevitatem temporis; eoquod deſolatis ac mærentibus una unica *hora* multo quandoque longior eſſe videatur, quam alteri excitato & hilari atque felici *dies*. V. Si nullus etiam daretur, aut unquam exſtitiſſet aſtrorum motus ac revolutio, nullum quoque foret tempus *extrinſecum*, ſeu *menſura* durationis, daretur tamen adhuc *tempus intrinſecum*, ſeu *duratio*; (CCCLIV.) nam revera ante omnem Solis aut Lunæ curſum Deus jam *exſtitit*, atque *duravit*, & ſi Deus defacto ſolem & omnia aſtra deſtrueret, nihilominus ipſe *perduraret*: ſicut & Angeli, & animæ rationales in eo caſu *durare* valerent.

Sine aſtrorum motu daretur tempus intrinſecũ; non vero extrinſecum.

Scholaſticorum lites de natura temporis præſentis.

CCCLXV. *Scholion.* Scholaſtici quidam ſubtilius hic adhuc inquirunt, *per quid* tempus nobis ſit *præſens*? an ſcilicet per partes *diviſibiles*, an vero per mera *inſtantia*, ſeu puncta *indiviſibilia nunc*, *nunc*, *nunc* &c? difficultas, quæ in utraque ſententia non levis eſt, ex-

in-

inde oritur, quod *tempus* ſit aliquod *concretum*, (Log. *fol.* 104.) cujus partes conſtituentes ſunt *præſens, præteritum* & *futurum*; jam vero, ſi non per aliquod *indiviſibile* foret præſens, ſequeretur, quod foret præſens per *partes*, nempe per *præteritum* & *futurum*, quod in terminis implicat: econtra ſi per aliquod *indiviſibile*, ſequitur dari actu in rerum natura aliquod *diviſibile*, (nempe ipſum tempus) aggregatum ex meris *indiviſibilibus*: ſicque ex *non diviſibili* fieret *diviſibile*, quod rurſus implicare volunt Peripatatici plerique. Aſt de hoc (ſi tamen hæc quæſtio cum aliquo *emolumento* ac *commodo* ventilari meretur) in *Phyſica*. Hic interim ad *utiliora* pergimus, memores illius S. Augustini effati *l. de util. cred. c.* 11. *Intelligere ſemper ſine vitio eſt; intelligere magna & honeſta, vel etiam Divina, Beatiſſimum eſt; intelligere autem* SUPERFLUA *nihil nocet, ſed forraſſe diſcere nocuit, cum tempus* NECESSARIORUM *occuparent.*

Cæterum pro coronide hujus materiæ, totiusque *Ontologiæ*, juvat adhuc tyronem monere cum Eccleſiaſte *c.* 4. *v.* 25.

Duplex quæſtio eſt, una de ANIMA, altera de DEO: prima efficit, ut *noſmet ipſos* noverimus, altera ut *originem noſtram:* illa nobis dulcior, iſta charior: illa nos dignos beatâ vitâ, beatos hæc facit: prima eſt illa *diſcentibus*, iſta jam *doctis*. Hic eſt ordo ſtudiorum ſapientiæ. S. AUGUSTINUS *l. 2. de ordine c.* 18.

PNEUMATOLOGIÆ DISSERTATIO I. SEU PSYCHOLOGIA.

CCCLXVI.

Pſychologia, a græcis vocabulis ψυχὴ *anima*, & λόγοσ *ſermo*, quaſi *doctrina* de *anima*, vel etiam (ut in ſcholis ſat notâ phraſi ajunt) *Animaſtica* dicta, primam *Pneumatologiæ* partem conſtituit. (V.) in qua prope Divina illius ſubſtantiæ, per quam homo eſt homo, *natura* inquiritur, mira *vis* oſtenditur, & *immortalitas* demonſtratur. Inde autem vel maxime patet, quam *ſublimis* æque ac Pſychologiæ nomẽ & præſtantia.

ac *utilis*, quin & *neceſſaria* hæc pertractatio ſit; *nihil* enim *potentius iſtâ creaturâ*, (inquit Magnus D. Aurelius *Tract.* 23. *in Joan. n.* 6.) *quæ mens dicitur rationalis; nihil hac creaturâ ſublimius: quidquid ſupra iſtam eſt, jam creator eſt.* Et valvis olim templi Delphici, in quo *ſapientiæ* Præſes Apollo cultui proſtabat, trabalibus inſcripta litteris erant hæc verba: NOSCE TE IPSUM, quæ Plato Divinus in *Alcibiade* explicans, inquit: *animam noſſe* JUBET, *qui præcipit*: NOSCE TE IPSUM. Profecto Philoſophi nomen ille minime meretur, qui *alienis* quidem rimandis atque cognoſcendis plurimum temporis impendit, *ſe ipſum* vero, quis intus ſit? qualisve hoſpes domi ſuæ, hoc eſt, in corpore ſuo moretur? penitus ignorat. Igitur ut hoc a nobis probri genus avertatur, non obiter tantum, ſed exacte animæ noſtræ *naturam*, *originem*, ejusque cum corpore *commercium*, vires, ac *potentias*, quantum ad Philoſophum ſpectat, per partes inſpiciamus!

SE-

SECTIO I.

De

Natura mentis humanæ, ejusque origine.

ARTICULUS I.

Declarantur notiones generales animæ, & vitæ.

CCCLXVII. Bene Romanus Sapiens inquit: *habere nos animum, cujus imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen ſit animus, ille rector dominusque noſtri, non magis tibi quisquam expediet, quam, ubi ſit?* Seneca *l.* 4. *de placit Philoſ. c.* 2. Certe ſi animæ natura ex VV. Philoſophorum placitis repeti debeat, incredibile eſt, quanta in iis *varietas* atque *diſſidium* obſervetur, ideoque nec etiam mirandum, quod tot alia, plane abſurda ac paradoxa, libris ſuis inferre dogmata conſueverint; ab anima enim omnis, cæteras res cognoſcendi, facultas proficiſcitur, & hinc error, ſi quis contra illam contingit, profecto omnium *periculoſiſſimus* cenſendus eſt, utpote qui *Religionem naturalem* evertit,

Animæ natura priſcis Philoſophis pæne ignota.

PROPOSITIO II.

In æternitate nulla datur ſucceſſio phyſica, ſed ſola metaphyſica.

In æternitate nō datur ſucceſſio phyſica.

CCCLXII. PROBATUR 1. *p.* Succeſſio *phyſica* eſt quædam ſtatuum entis *mutatio:* (CCCLV.) atqui in ente æterno, utpote *immutabili*, nequit eſſe *mutatio:* ergo neque in *æternitate*, quæ eſt duratio entis æterni, (CCCLVIII.) quæque ab ente æterno diſtincta non eſt. (CCCLXI.) At vero

Sed metaphyſica tantum.

PROBATUR 2. *p.* Succeſſio *metaphyſica* eſt ſola *continuata* entis exiſtentia, (CCCLV.) quæ eſt inſeparabilis a duratione: (CCCLXI.) ergo, cum æternitas ſit duratio *continua* entis æterni, (CCCLVIII.) datur eo ipſo in æternitate ſucceſſio *metaphyſica*, vel, ut alii appellare eam malunt, *logica.* Nec iſta lædit *immutabilitatem* DEI, cum nulla propterea in ipſo admittatur *ſtatuum ſucceſſio*; nec ejus *ſcientiam*, quæ, cum *unica* ſit intellectio, adhuc infinita poſſibilia, eorumque durationem *uno intuitu* cernit, ut Theologi docent.

PRO-

PROPOSITIO III.

Menſura durationis ſive temporis intrinſeci eſt motus regularis aſtrorum diurnus & annuus, præcipue Solis ac Lunæ.

CCCLXIII. PROBATUR. Iſthæc revolutio regularis habet in ſe omnes proprietates *menſuræ*: ergo. p. A. Menſura temporis juxta omnes debet eſſe 1. *æquabilis* & *immutabilis*, (ſicut v. g. etiam determinata ſemper *ulna* in partes *æquales indeſinenter* debet eſſe diſtributa, ut pannus bene menſurari queat) 2. debet eſſe *communis*, & pro menſurandis *omnibus* mutationibus inſerviens, ſecus enim *incerta* foret, nec applicari poſſet, & conſequenter nec *regula* ſeu *menſura* foret. 3. Denique debet eſſe *fluens*, ſeu *ſucceſſiva*, quia etiam *tempus* eſt ſucceſſivum & fluens; menſurandis autem ſimilibus *ſimilis* menſura adhiberi debet. e. g. Ponderi libra, longitudini ulna &c.: atqui revolutio regularis aſtrorum habet in ſe iſta omnia: ergo. p. m. Nam 1. eſt *æquabilis* & *indeſinens*, ſeu immutabilis, ut patet ex obſervatione tot millium

Menſura durationis eſt motus Solis ac Lunæ.

annorum, in quibus nunquam erravit, aut defecit, (viâ ſaltem *ordinariâ*) eſtque inſuper in *partes æquales* rite diſtributa, ſcilicet in *annos*, *menſes*, *horas*, *minuta* &c. 2. Eſt menſura *communis*, omnibus nota, & ab ipſo Deo in hunc finem conſtituta, juxta illud *Gen.* 1. *fiant duo luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* Indeque ex ipſa hac aſtrorum revolutione actu menſurantur, ſemperque menſuratæ ſunt durationes regnorum, vitæ, actionumque humanarum, ut præclare deducit *Cl.* Le Pluche *Spectac. Nat. T.* 4. *p.* 2. *Dial.* 1. *de Inventione Zodiaci.* 3. Eſt menſura *fluens* & *ſucceſſiva*, ut de ſe patet: Ergo.

Ad hanc menſurâ reducuntur omnes aliæ.

CCCLXIV. *Corollaria.* I. Ad hanc aſtrorum revolutionem regularem ſpectant omnes aliæ menſuræ temporis intrinſeci, ut v. g. *clepſydræ*, *horologia rotata*, *feſta*, ut ajunt, *mobilia* &c., de quibus *Chronologi.* II. Quemadmodum autem in entibus *permanentibus* menſura, e. g. *ulna*, non eſt proprie *menſura ſui ipſius*, ita pariter curſus aſtrorum non dicitur ſui ipſius, ſed aliarum duntaxat re-

Art. Un.

rerum, menſura. III, Quare hæc ipſa durationis, ſeu *temporis intrinſeci, menſura* eſt id tantum, quod *tempus extrinſecum* in ſcholis vocatur; tempus enim *intrinſecum* cum *duratione intrinſeca ſeu abſoluta* (CCCLXI.) proportionaliter coincidit; quatenus ſcilicet ab ipſa *re durante* nullatenus diſtinguitur, dicens tamen (ut *relative* concipitur) aliquam *relationem*, vel, ut alii loquuntur, *connotationem* ad quamdam durationem extrinſecam, eſſentialiter ſucceſſivam, tanquam menſuram, & per hanc connotationem patet *tempus intrinſecum, proprie dictum*, differre ab *æternitate*, quæ per nullam plane menſuram menſurari valet, eoquod omni prorſus initio & fine careat; itemque ab *ævo*, utpote quod etiam (ſaltem a *parte poſt*) incommenſurabile exiſtit. *Tempus intrinſecum non conſiſtit in hac menſura, ſed ſolum extrinſecum.*

IV, Veram ac genuinam *temporis extrinſeci* ideam tunc ſolum acquirimus, ſi attendamus ad regulares *aſtrorum motus*, vel etiam ad alias menſuras *naturales*, aut *artificiales*, ab iis dependentes, e. g. ad *horologia;* non autem illam temporis extrinſeci ideam nobis ingenerare valet *ſucceſſio idearum noſtrarum*, ut *Lockius* voluit, niſi & ipſa ſecundum *Temporis extrinſeci Notio unde acquiratur?*

Syderum curſus dimetiatur; nam ſi ſola hæc ſucceſſio nobis menſuræ ratio foret, ſane nunquam homines conſentirent circa longitudinem aut brevitatem temporis; eoquod deſolatis ac mærentibus una unica *hora* multo quandoque longior eſſe videatur, quam alteri excitato & hilari atque felici *dies*. V. Si nullus etiam daretur, aut unquam exſtitiſſet aſtrorum motus ac revolutio, nullum quoque foret tempus *extrinſecum*, ſeu *menſura* durationis, daretur tamen adhuc *tempus intrinſecum*, ſeu *duratio*; (CCCLIV.) nam revera ante omnem Solis aut Lunæ curſum Deus jam *exſtitit*, atque *duravit*, & ſi Deus defacto ſolem & omnia aſtra deſtrueret, nihilominus ipſe *perduraret*; ſicut & Angeli, & animæ rationales in eo caſu *durare* valerent.

Sine aſtrorum motu daretur tempus intrinſecũ; non vero extrinſecum.

CCCLXV. *Scholion.* Scholaſtici quidam ſubtilius hic adhuc inquirunt, *per quid* tempus nobis ſit *præſens*? an ſcilicet per partes *diviſibiles*, an vero per mera *inſtantia*, ſeu puncta *indiviſibilia nunc*, *nunc*, *nunc* &c? difficultas, quæ in utraque ſententia non levis eſt, ex-

Scholaſticorum lites de natura temporis præſentis.

in-

inde oritur, quod *tempus* ſit aliquod *concretum*, (Log. *fol.* 104.) cujus partes conſtituentes ſunt *præſens, præteritum* & *futurum*; jam vero, ſi non per aliquod *indiviſibile* foret præſens, ſequeretur, quod foret præſens per *partes*, nempe per *præteritum* & *futurum*, quod in terminis implicat: econtra ſi per aliquod *indiviſibile*, ſequitur dari actu in rerum natura aliquod *diviſibile*, (nempe ipſum tempus) aggregatum ex meris *indiviſibilibus*: ſicque ex *non diviſibili* fieret *diviſibile*, quod rurſus implicare volunt Peripatetici plerique. Aſt de hoc (ſi tamen hæc quæſtio cum aliquo *emolumento* ac *commodo* ventilari meretur) in *Phyſica*. Hic interim ad *utiliora* pergimus, memores illius S. Augustini effati *l. de util. cred. c.* 11. *Intelligere ſemper ſine vitio eſt; intelligere magna & honeſta, vel etiam Divina, Beatiſſimum eſt; intelligere autem* SUPERFLUA *nihil nocet, ſed forraſſe diſcere nocuit, cum tempus* NECESSARIORUM *occuparent.*

Cæterum pro coronide hujus materiæ, totiusque *Ontologiæ*, juvat adhuc tyronem monere cum Eccleſiaſte *c.* 4. *v.* 25.

FILI CONSERVA TEMPUS! nam, ut inquit Seraphicus verbi divini præco S. BERNARDINUS *t. 4. ſer. 18. p. 1. tempus eſt majoris pretii omnibus aliis rebus mundi; imo* TANTUM VALET, QUANTUM DEUS; *quia, ſi diabolus haberet unum modicum tempus, in quo poſſet pœnitere, ſicut nos, ipſe ſalvaretur, & acquireret* DEUM: *& per conſequens* TANTUM VALET TEMPUS, QUANTUM DEUS!

FINIS ONTOLOGIÆ.

METAPHYSICA PARTICULARIS,

SEU

PNEVMATOLOGIA.

Duplex quæſtio eſt, una de ANIMA, altera de DEO: prima efficit, ut *noſmet ipſos* noverimus, altera ut *originem noſtram*: illa nobis dulcior, iſta charior: illa nos dignos beatâ vitâ, beatos hæc facit: prima eſt illa *diſcentibus*, iſta jam *doctis*. Hic eſt ordo ſtudiorum ſapientiæ. S. AUGUSTINUS *l. 2. de ordine c.* 18.

PNEUMATOLOGIÆ DISSERTATIO I.

SEU

PSYCHOLOGIA.

CCCLXVI.

Pſychologia, a græcis vocabulis ψυχὴ *anima*, & λόγος *ſermo*, quaſi *doctrina* de *anima*, vel etiam (ut in ſcholis ſat notâ phraſi ajunt) *Animaſtica* dicta, primam *Pneumatologiæ* partem conſtituit, (V.) in qua prope Divina illius ſubſtantiæ, per quam homo eſt homo, *natura* inquiritur, mira *vis* oſtenditur, & *immortalitas* demonſtratur. Inde autem vel maxime patet, quam *ſublimis* æque Pſychologiæ nomẽ & præſtantia.

ac

ac *utilis*, quin & *neceſſaria* hæc pertractatio ſit; *nihil* enim *potentius iſtâ creaturâ*, (inquit Magnus D. AURELIUS *Tract.* 23. *in Joan. n.* 6.) *quæ mens dicitur rationalis; nihil hac creaturâ ſublimius: quidquid ſupra iſtam eſt, jam creator eſt.* Et valvis olim templi Delphici, in quo *ſapientiæ* Præſes Apollo cultui proſtabat, trabalibûs inſcripta litteris erant hæc verba: NOSCE TE IPSUM, quæ *Plato* Divinus in *Alcibiade* explicans, inquit: *animam noſſe* JUBET, *qui præcipit*: NOSCE TE IPSUM. Profecto Philoſophi nomen ille minime meretur, qui *alienis* quidem rimandis atque cognoſcendis plurimum temporis impendit, *ſe ipſum* vero, quis intus ſit? qualisve hoſpes domi ſuæ, hoc eſt, in corpore ſuo moretur? penitus ignorat. Igitur ut hoc a nobis probri genus avertatur, non obiter tantum, ſed exacte animæ noſtræ *naturam*, *originem*, ejusque cum corpore *commercium*, vires, ac *potentias*, quantum ad Philoſophum ſpectat, per partes inſpiciamus!

SE-

SECTIO I.

De Natura mentis humanæ, ejusque origine.

ARTICULUS I.

Declarantur notiones generales animæ, & vitæ.

CCCLXVII. Bene Romanus Sapiens inquit: *habere nos animum, cujus imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen ſit animus, ille rector dominusque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quam, ubi ſit?* Seneca *l.* 4. *de placit Philoſ. c.* 2. Certe ſi animæ natura ex VV. Philoſophorum placitis repeti debeat, incredibile eſt, quanta in iis *varietas* atque *diſſidium* obſervetur, ideoque nec etiam mirandum, quod tot alia, plane abſurda ac paradoxa, libris ſuis inferre dogmata conſueverint; ab anima enim omnis, cæteras res cognoſcendi, facultas proficiſcitur, & hinc error, ſi quis contra illam contingit, profecto omnium *periculoſiſſimus* cenſendus eſt, utpote qui *Religionem naturalem* evertit,

Animæ natura priſcis Philoſophis pæne ignota.

tit, præſentiſſimumque *morum probitati* exitium affert.

Duplex ſententia antiquorum de anima.

Igitur (ut potiores Philoſophorum de animæ natura opiniones enarrem) I. Quidam eorum animam pure *corpoream* ac *materialem* eſſe voluerunt. Scilicet teſte Cicerone *Tuſc.* 1. *c.* 11. Democritus, Zeno, Epicurus & Leucippus putarunt *ignitum quiddam, ex levibus, rotundisque corpuſculis,* (atomis) *animam eſſe. Stoici* exiſtimarunt, eam eſſe *fervidum ſpiritum;* Heraclitus *vaporem mobilem*, Diogenes & Anaxagoras *aërem*; Hippocrates, Empedocles & Dicæarchus *ſubſtantiam, ex ſingulis elementis compoſitam.* II. Alii vero *puriorem* longe *nobiliorem*que animæ *rationalis* naturam exiſtere arbitrati ſunt. Nempe Thales Mileſius animam cenſuit *naturam irrequietam eſſe, & ſua vi citabilem,* Pythagoras *numerum ſe moventem*, Plato ſubſtantiam *intellectivam*, per ſe ſe *agitabilem*, numerum ſe *moventem, harmonice modulatum*: Ariſtoxenus Muſicus *Harmoniam*, & Alchmæus *mobile quiddam, quod immortale ſit, ſimile ſcilicet cœleſtibus mobilibus, & immortalibus.* Ita Plutarchus *l.* 4. *de placit. Phil. c.* 2.

3.

3. & 5. III. Ariſtoteles tandem ingenue teſtatus eſt, *penitus, & omnino difficillimum eſſe, aliquam de animæ natura fidem ſumere*, nihilominus tamen *l.* 2. *de anima. c.* 1. eam ita definiit: *eſt actus primus corporis Phyſici organici, in potentia vitam habentis.* Hæc definitio a Peripateticis, in quorum ſcholis ſat civitate donata eſt, ſic explicatur, 1. *actus*, græce Ἐντέλεχεια, latine *perfectio*, *quaſi continuata & perennis motio*, per quod a *corpore*, ſive ſubſtantia *corporea* differt, quæ potius *perfici* atque *moveri*, quam ſubjectum aliud *perficere* ac *movere* poteſt. Vulgo autem in ſcholis anima dicitur *forma ſubſtantialis*, per ſe primo informans, & ſpecificans. (CCLXXXI. & ſeq.) 2. *Primus*, ut a corporis animati *accidentibus* diſtinguatur, v. g. *gravitate*, *Elaterio* &c., quæ illud jam *animatum* eſſe ſupponunt, & *ſecundarias* ſolum perfectiones illi communicant. 3. *Phyſici* (ſeu *naturalis*, non *artificialis*) & *organici corporis*, in quo nimirum *organorum varietas* reperiatur, quæ functionibus rite peragendis inſerviat. 4. In *potentia* denique *vitam habentis*, hoc eſt, ut non modo partium, organorumque, varietatem habeat, ſtatuæ vel ca-

Definitio Ariſtotelica animæ.

da-

daveris inſtar; ſed etiam proxime *capax* ſit *vitæ*, ſive ut *perfectionem* illam, *actum*que *primum* recipere poſſit. Hanc porro Ariſtotelicam *animæ* definitionem Cl. P. Eduardus Corſinus *Phyſ. part. Tract.* 2. *Diſp.* 1. *n.* 4. *vitioſam* ac *ineptam* vocat propterea, quod illa, ut inquit, *obſcurior* ſit ipsâ re definitâ, & explicet *idem per idem*, *animam* nempe per *vitam*, quæ cum *anima* ipſa confunditur, vel ipſa certe nihilo clarior ſupponitur: unde aſſerere, quod *anima* ſit *actus corporis, in potentia vitam habentis*, ille arguit, idem fere eſſe, ac aſſerere, quod anima ſit *perfectio corporis, quod bujus perfectionis*, aut *animæ capax eſt.* Accedit, quod Ariſtoteles nullibi clare explicaverit, num *anima* ſit *ſubſtantia*, vel *accidens*, *corpus* aut *ſpiritus*? quinimo *cit. l.* 2. *de anima. c.* 1. ſcriptum reliquit, illos verum attingere, qui docerent, *nec animam eſſe ſine corpore, nec corpus ſine anima.* Porro

Novum circa animæ naturam delirium.

CCCLXVIII. *Scholion.* Necdum antiqui Philoſophi, Ethnicæ ſuperſtitionis tenebris atque erroribus aurium tenus immerſi, circa veram humanæ mentis naturam, ut noctuæ caligaverunt, ſed & moderno quoque ſæculo ingenii

nii ejusmodi cæcutientis partus, in quadamGermanniæ noſtræ provincia, naturalium ſcientiarum perfectioni tam avide inhiante, quam veræ ſanctorum ſcientiæ, ac fidei orthodoxæ ignarâ, non ita pridem apertam in lucem prodiit, ſceleſtus nimirum æternisque tenebris damnandus liber, Gallico idiomate conſcriptus ſub titulo: *L' home machine*, in quo heterodoxus quidam indifferentiſta voluit *animam rationalem* omnino e mundo eliminare, hominem nil aliud niſi meram puramque eſſe *machinam* impie aſſeverans. Adeo nempe, qui a vera ſemel fide aberrant, a rationis quoque ductu, naturæque lumine deviare ſolent. Cæterum

CCCLXIX. Etymologia *animæ* primario derivari videtur a græca voce ἄνεμοσ, latine *ventus*, id quod aliæ loquendi formulæ ſatis vulgatæ non parum confirmant; nam 1. *ſpirare* (quod *vento* competit,) dicuntur illa, quæ *vivant*. 2. In S. Script. *Gen.* 2. Deus homini *inſpiraſſe* legitur *ſpiraculum vitæ*, id eſt, *animam* ac *vitam*. 3. *Efflari* dicitur anima, quia ſcilicet perquam clarum vitæ animæque præſentis indicium in exſpirando, inſpirandoque vento, Animæ Etymologia.

Xx ſive

ſive aëre, paſſim habetur. 4. Congruit denique & alterum animæ vocabulum græcis uſitatum, quo illam vocare ſolent ψυχὴν, a verbo ψύχω ſeu ψυχάζω *refrigero*, quod proprie *ventus* præſtare videtur; hinc teſte Lactantio *de opif. c.* 17. Varro quondam animam definiit, quod ſit *aër, conceptus in ore, defervefactus in pulmone, fervefactus in corde, diffuſus in corpus.* Verum hæc animæ acceptio non animam hominis *ſpiritualem*, vi percipiendi præditam, (quæ a græcis νȢς, *mens* ſeu *animus*, appellatur) ſed aliam plane *corpoream*, *brutis*, quin etiam *plantis* cum homine communem, quam alii melius *vitam* denominant, nobis ob oculos ponit.

Et Varronis definitio.

Vita juxta quosdam in corpore non dependet ab anima.

CCCLXX. *Scholion.* Volunt nempe inter modernos Philoſophos non nulli, quod *vita corporis* (etiam in homine) a ſubſtantia *mentis*, ſeu ab anima, neutiquam dependeat, ſed illam potius alii cum *Gaſſendo* a *ſubſtantia* quadam *media*, alii vero cum *Carteſio* a *ſpiritibus animalibus*, alii denique cum *Leibnitio* & *Wolfio* a vi *corpori inſita* provenire exiſtimant. Et ſane eæ *actiones*, actionumque *vires*, quibus corporis vita conſtat, *animæ* ratio-

na-

nalis imperio prorſus non ſubſunt, ut ſunt motus *cordis*, *pulmonum*, *arteriarum*, *calor vitalis* &c. quæ in corpore humano peraguntur, citra quod mens ea impedire, aut per ullam potentiam præcipere, ordinare, excitare, aut promovere valeat. Præterea *ſenſatio* quæcunque, ab objecto ſenſibili ad corpus humanum delata; eodem modo omnem mentis cognitionem & voluntatem prævertit: quin potius a *ſenſatione* externa omnis animæ *cogitatio* (ſaltem pro moderno ſtatu conjunctionis cum corpore) originem ducit. (Log. *fol.* 632.) Unde non immerito Philoſophus ſuſpicari poteſt, aut *mediam* quamdam in homine eſſe *ſubſtantiam*, *vitæ* conſtitutivam; aut certe *fluidam* aliquam *ſubſtantiam*, quæ ſit *mentis vehiculum*, uti apud Cl. ANT. GEN. *Met. p.* 2. §. 1. eam appellat S. AUGUSTINUS, totum corpus permeare, & mechanicis corporis legibus eſſe obnoxiam. Aſt de hoc plura inferius, ac in *Phyſica*.

CCCLXXI. *Vivere*, ſi communem hominum ſenſum conſulamus, dicimus illud; *quod immanenter agit*, hoc eſt, ita, ut non ſolum *principium* agendi (quod dicitur *vita in actu primo*) ſit Vivere proprie quid ſit?

illi *intrinſecum*, ſed etiam ut ipſa *actio*, a principio immanente elicita, (quæ *vita in actu ſecundo*, itemque *actus vitalis* appellatur) in agente velut in ſubjecto recipiatur. Hinc proprie *actus vitalis* definitur, quod ſit *operatio immanens, qua ſubſtantia vel intentionaliter attingit objectum, vel dependenter a ſuis organis ſe movet. Intentionaliter* porro agit ſubſtantia, ſi libere cognoſcere, & appetere, vel averſari novit objectum; *phyſice* vero, ſi ſolummodo ſe movet mediantibus organis, ad vitæ munia obeunda a natura elaboratis, e. g. ſuccum alimentitium attrahendo, ſecernendo, dilatando, ut in *plantis* contingit; unde & earum vita vocatur *phyſica*; hominum vero, ſicuti & brutorum (*ſuo* ſaltem *modo*) *intentionalis* audit, quæ *poſterior* idcirco a Cl. Ant. Gen. *loc. cit.* §. 11. dicitur eſſe poſita in aliqua *actione perenni, quæ ex principio activo, rei, quæ vivit, intrinſeco, manat, quæque cum ſui ſenſu conjuncta eſt*; ſic enim 1. plantæ juxta ipſum appellantur *vivæ*, quousque *vis plaſtica* (quæcumque illa ſit) earum organa permeat, & perenniter animat: 2. Bruta vero, quousque & vi eadem plaſtica, & *ſenſu* præterea, atque mo-

Vita intentionalis, & phyſica.

motu ſpontaneo ſunt prædita: 3. Hominum denique vita in hoc brutorum vitæ præſtat, quod iſti *ratione* quoque, ſeu anima, tanquam ſubſtantia *ſpirituali* ac *immortali* utantur. In eo igitur res omnes *viventes* conveniunt, quod eſſe non poſſint ſine *energiâ*, ſive *actione intrinſeca* ac perenni, ita, ut, ſi ea actio interrumpatur, *vivere* continuo deſinant: quin imo, ſi qua ſunt vitâ vel *intentionali*, vel *phyſicâ* prædita, quin tamen ullius actionis *ſenſibilis* indicium præſeferant, ut ſunt *ſemina* & *ova*, ea ſaltem *inſenſibili vitali* actione moventur.

CCCLXXII. *Scholion.* Ab hac vitæ definitione non multum *quoad rem* abludit illa Cl. P. Corsini *Phyſ. part. tr.* 2. *Diſp.* 1. §. 4. his verbis concepta: Vita quid ſit juxta Cl. P. Corſinum?

" Vita eſt, perfectio, ſive principium, „ quo quædam corpora, certa figurâ, „ magnitudine, organorum varietate „ ac ſtructurâ prædita, motus aliquos „ & operationes efficiunt, qui a gra„ vitate, aliisque corporeis qualitati„ bus oriri non poſſunt. „ Et hanc quidem *vitam* ille ſimpliciter denominat; addens: *quod ſi nobiliori huic motûs generi, quo viventia ſunt prædita,*

ſentiendi, *percipiendique vim conjunctam inſuper habeant*, *animalia vocantur*. Per motus porro illos, qui a *gravitate*, *aliisque corporeis qualitatibus* oriri non poſſunt, & per quos plantæ & animalia a non viventibus, e. g. a lapidibus diſtingui ſolent, intelliguntur iſti, quatenus ſibi ſimilia procreare, ac ſucceſſiva ſui generis propagatione conſervari illa queant; non vero *lapides*, utpote qui omni prorſus ſemine carent; adeoque aliud corpus *ſibi ſimile* progignere nequeunt.

Anima in genere a poſteriori definitur ab Ariſtotele.

CCCLXXIII. *Animam* in genere *a poſteriori*, ſeu ex effectibus, (qui ſoli a nobis clare cognoſcuntur) melius, quam *a priori*, (CCCLXVII.) quibusdam definiiſſe viſus eſt Ariſtoteles *l.* 2. *de anima c.* 3. ubi eam vocat *principium, quo primo vivimus*, *ſentimus*, *movemur*, *& intelligimus*, triplicemque propterea animam cum ipſo diſtinguunt,

Anima vegetativa, ſenſitiva & rationalis.

1. *vegetativam*, per quam plantæ ſolummodo *phyſice* vivunt, (CCCLXXI.) 2. *ſenſitivam*, quæ dat *brutis* principium, nedum *phyſice*, ſed etiam *intentionaliter* vivendi, hoc eſt, *ſentiendi*, ac *motum localem* peragendi. 3. *Rationalem*, quæ illis duabus adhuc ſuperaddit vim *intelli-*

telligendi: unde etiam in ſcholis ANIMA VEGETATIVA dicitur ea, quæ pro ſuis actibus im̃anentibus reſpicit *nutritionem*, *augmentationem*, & *generationem*: SENSITIVA, quæ vitaliter agit, *percipiendo* non ſolum objecta externa, ſed etiam interius aliqua ſibi *repræſentando*, *appetendo*, *averſando*, & e loco ſe, aliaque *movendo*: RATIONALIS, quæ maxime operatur *intelligendo*, *volendo* &c. Cæterum, quoniam de *plantis*, & *brutis* *Phyſica particularis* ex inſtituto agit, in præſens de ſola *anima rationali* nobis ſermo erit. Igitur

CCCLXXIV. *Anima humana* in ſpecie, quam in nobis exiſtere tum *conſcientia* noſtri ipſorum ac operationum noſtrarum; tum *perceptio* rerum extra nos poſitarum, tum denique varius & multiplex rerum diverſiſſimarum, tam materialium quam immaterialium, *appetitus*, vel averſatio liquido demonſtrant, itidem a *poſteriori* apte a Cl. P. FORT. a BRIX. *Met. p.* 2. *Diſſ.* 1. *Sect.* 1. §. 5. definitur, eſſe *illud principium*, *quo homo cogitat*, ſeu, *quo verum intelligit*, *bonumque vult*, *ſuarumque inſuper perceptionum ac volitionum conſcius exiſtit.* Diciturque etiam *rationalis*, qua- Animæ humanæ definitio.

tenus homo per eam, ut Tullius inquit *l.* 1. *de offic. c.* 4. " Conſequentia „cernit, principia, & cauſas rerum vi„det, earumque progreſſus, & quaſi „anteceſſiones non ignorat, ſimilitu„dines comparat, & rebus præſentibus „adjungit, atque annectit futuras.„

Definitiones aliæ

CCCLXXV. *Scholion.* Solet autem hoc loco *mens humana* accipi non pro nuda aliqua *potentia*, ſeu *vi intelligendi*, ſive *cogitandi*, ſed pro ipſa *re*, quæ intelligit, in quo ſenſu a Cl. Ant. Gen. dicitur *res intelligens*, *principium cogitationum activum*, ſeu *ſubſtantia intelligens*, & ab aliis: *ens*, ſeu *ſubſtantia*, *quæ in nobis ſui*, *rerumque extra ſe poſitarum ſibi eſt conſcia*, ſive, *quæ ſe ab aliis rebus*, & *res a ſe invicem diſtinguit*. Denique (in quantum ad proprietates & munia, poſtea declaranda) anima rationalis recte a quibusdam definiri quoque ſolet *ſubſtantia creata ſpiritualis*, *humano corpori informando ex Creatoris decreto deſtinata*. Et huic definitioni etiam S. Augustinus *de quant. animæ c.* 13. ſuô calculô ſubſcribit.

Vitæ, ac animæ

CCCLXXVI. *Corollarium* I. Notio *vitæ* ampliorem habet ſignificationem, quam

quam notio *animæ; Deo* enim non ſolum, & *Angelis*, *animæque*, a corpore ſeparatæ, ſed etiam *hominibus*, *brutis*, ac *plantis* notio *vitæ* competere valet; (CCCLXXI.) quin tamen *Deo*, *Angelis*, ac *plantis* (ſaltem juxta modernos philoſophos) *animæ* nomen attribui Poſſit, cum non ſint *ſubſtantiæ ad corpus informandum deſtinatæ*, uti propria *animæ* definitio, mox allata, requirit. notiones differunt.

CCCLXXVII. *Corollarium* II. Animam rationalem non eſſe merum aliquod *accidens*, aut *modum* entis, ſed veram potius *ſubſtantiam*, exinde patet, quia vere *per ſe*, absque alieno rei creatæ præſidio, exiſtere poteſt, ut paulo poſt de ejus *immortalitate* dicetur. (CDI.) & deſumitur quoque ex Concilio Viennenſi ſub Clemente V., ex quo habetur in Clementina *de SS. Trinit. & Fide Cathol.* §. *porro.* eam eſſe *formam corporis humani per ſe & eſſentialiter*, ſeu *formam ſubſtantialem*, & eam partem compoſiti humani, quæ materiam determinat, & *per ſe* ac *eſſentialiter* perficit, quamdiu illi conjuncta manet. Idem definitum quoque fuit ſub Leone X. a Conc. Lateran. *Seſſ.* 8. in Bulla: *Apoſtolici regiminis.* Anima eſt vera forma ſubſtantialis.

Animæ cum Deo & Angelis convenię̃tia, ac diſconvenientia.

CCCLXXVIII. *Corollarium* III. Ex eo, quod anima rationalis ſit *ſpiritualis*, ut mox in *Art. ſeq.* ſolide probabitur, cum DEO & Angelis *convenit*; ex eo vero, quod ſit ſubſtantia *creata*, a *DEO* primum; & per hoc denique, quod ſit *humano corpori informando deſtinata*, etiam ab *Angelis* differt.

ARTICULUS II.

An mens humana ſit ſpiritualis, vel corporea?

CCCLXXIX. Quoniam omnes VV. Philoſophorum de *animæ natura* opiniones ad duas potiſſimum revocari valent, nempe quarum una eam pure *materialem*, ſeu *corpoream*, altera vero *immaterialem* ac ſpiritualem eſſe defendit; (CCCLXVII.) hinc etiam moderni Philoſophi, alterutri harum opinionum accedentes, vel *Moniſtæ*, ſeu *Materialiſtæ*, vel *Dualiſtæ* appellari ſolent. MONISTARUM nomen illis attribui conſuevit, qui (conformiter græco vocabulo *μονὰσ unitas*) *unam* unicam tantum in rerum natura ſubſtantiam admittunt, indeque illam aut pure *materialem* eſſe defendunt,

Moniſtæ.

(un-

(unde & *Materialiſtæ* vocantur) vel Materialiſtæ. mentem quidem humanam *immaterialis* eſſe naturæ admittunt, attamen *realem* mundi, corporumque exiſtentiam negant, *idealem* tantum adſtruentes; ex quo *idealiſtæ* vocantur, quibus affines quoque ſunt ſic dicti *Egoiſtæ*: (Log. *fol.* 410.) Dualistæ econtra Dualiſtæ. appellantur illi, qui *duas* reapſe ſubſtantias exiſtere docent, unam ſcilicet *materialem*, & alteram *ſpiritualem*, hos Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. *Diſp.* 1. *Sect.* 1. §. 4. vocat *melioris notæ philoſophos. - - qui non ad vanitatem, ſed ad ſobrietatem ſapere cupiunt. Materialiſmum* porro defendere conatus eſt *Hobbeſius* Anglus cum *Tolando* & *Covardo*, quibus jure accenſeri meretur *Lockius*, utpote mentis humanæ *cogitationes* per merum corpuſculorum motum explicans: *Egoiſmum* vero, teſte Wolfio *Pſych. rat. Sect.* 1. *c.* 1. §. 38. non multis abhinc annis Pariſiis defendit quidam Malebranchii aſſecla, quin & ipſe P. Malebranche illi favere viſus eſt, dum palam negavit, hactenus factum eſſe, aut fieri poſſe, ut realis *corporum* exiſtentia *demonſtretur*. Cæterum

CCCLXXX.

Sectio I.

Idea ſpiritûs.

CCCLXXX. Notio entis *ſpiritualis*, ſeu *immaterialis*, pro hoc vitæ ſtatu non aliunde excitari in nobis poteſt, quam ex idea entis *corporei* ſeu *materialis*, quod nobis notius eſt, *abſtrahendo* videlicet, ac veluti *depurando*, ideam entis a notis characteriſticis *corporis*: proindeque negando illas notiones de *ſpiritu*, quæ *corpori*, ut *corpori*, conveniunt. (Log. *fol.* 643.) Ideoque I. quia omne *corpus* eſt ens *ex natura ſua impenetrabiliter extenſum*, ut affirmat S. Augustinus *l. de quant. animæ. n.* 23. *alias c.* 14. ac ſupra quoque probatum eſt, (CXCIII.) II. & *in partes integrales diviſibile*, eoquod omne *extenſum* entitative conſurgat ex pluribus, ita inter ſe unitis, ut unum extra aliud; quoad totam ſuam *entitatem*, exiſtat, atque hoc ipſo unum ab alio ſeparari ſeu *dividi* queat: III. Quia inſuper omne *corpus* per hoc, quod ſit *impenetrabiliter extenſum*, proxime quoque, & immediate habet, ut poſſit certa *magnitudine*, atque *figurâ* determinari, & circumſcribi, *moveri*, & *quieſcere*; ſimulque talibus inſtructum eſt partibus, quæ *diverſa ratione* inter ſe collocari, & *artificioſe* componi valeant: omneſque adeo *primitivæ* corporis affe-

fe-

fectiones mechanice per *magnitudinem*, *figuram*, *motum*, *quietem* & *ſitum* corpuſculorum, (Log. *fol.* 90. & 91.) explicari commode poſſunt, ut in *Phyſica* maxime patebit. Hinc recte dici valet: *Spiritus* eſt talis *ſubſtantia, quæ ex natura ſua neque impenetrabiliter extenſa eſt, neque in partes integrales diviſibilis, neque talibus inſtructa proprietatibus, eoque modo operans, ut proprietates ipſæ atque operationes per magnitudinem, figuram, ſitum & motum corpuſculorum explicari valeant. Poſitive* autem, & quaſi *a priori*, cum antea cit. Cl. *P. Fort. a Brix.* ex dictis

CCCLXXXI. Definitur *ſpiritus*, quod ſit *ſubſtantia talis naturæ, ut ſit entitative ſeu impenetrabiliter inextenſa, atque in partes integrales prorſus indiviſibilis, taleſque in ſe habens proprietates atque operationes, ut per mechanicas corpuſculorum affectiones explicari non poſſint.* Definitio ſpiritûs poſitiva.

CCCLXXXII. Carteſius cum ſuis *ſpiritum* vocat *ſubſtantiam cogitantem*: alii eum denominant *principium cogitandi*, aut *ſubſtantiam, cogitandi capacem*, quæ tamen definitiones a multis rejiciuntur, quia putant, exinde ſequi, Definitio Carteſii.

quod

quod etiam *animæ brutorum* (cum *ſuo modo* cogitent) ſpiritibus annumerandæ ſint; id quod iſti negant; & hinc cum
Et Wolfii. Wolfio *Pſych. Rat.* §. 643. *ſpiritûs* notionem ex *effectibus*, ſeu operationibus *poſitivis*, ſoli ſubſtantiæ ſpirituali per experientiam propriis, derivantes, *a poſteriori* illum ſic definiunt: *ſpiritus eſt ſubſtantia, intellectu, & voluntate libera prædita*, per quam definitionem *animas brutorum* ſpiritus eſſe aperte negatur; eſt enim *intellectus* proprie facultas, res ſibi objectas tam *materiales*, quam *immateriales diſtincte* repræſentandi; bruta vero res ſolum *materiales*, & quidem non niſi *confuſe* ſibi repræſentant; *voluntas* autem eſt potentia, res intellectas vel *elective* amandi, vel averſandi, quod rurſum brutis animantibus non competit. (CCXCVII.) indeque tota de *animabus brutorum* diſceptatio, num ſcilicet *materiales*, numve *ſpirituales* ſint? definitionibus hiſce *nominalibus* rurſum innititur, quod hic interim annotâſſe ſufficiat. Anima porro *plantarum*, quæ *vegetativa* dicitur, (CCCLXXIII.) definitionem *ſpiritûs*, in nullo ſenſu participat, ut conſideranti liquet; bene vero *Deus*, qui ſpiritus *illimitatus*, & Angeli, ac animæ ratio-

tionales, quæ ſpiritus *limitati* appellantur. Et Angeli quidem, qui ad tertiam aliam ſubſtantiam conſtituendam non ordinantur, ſpiritus *completi*, animæ vero rationales, quia ſic ordinantur, ſpiritus *incompleti* denominari paſſim ſolent, ut alibi dictum jam eſt.

Spiritualia accidentia æque ſunt modi, ac materialia.

CCCLXXXIII. *Scholion.* Sicut ens *materiale* vel *ſubſtantiale* eſt, vel *accidentale*; ſic etiam ens *ſpirituale*: & ſicut ens *materiale accidentale* non eſt quid aliud, (juxta RR.) niſi *modus* corporeus entis corporei: ita pariter (juxta eosdem) ens *accidentale ſpirituale* non eſt niſi *modus*, & determinatio ſeu *modificatio* quædam entis ſubſtantialis ſpiritualis. Sic ſe habere putant omnes *affectiones, perfectiones, actus*, qui in ſpiritu recipiuntur, e. g. *intellectiones*, *volitiones*, itemque *accidentia alia*, quibus juxta ipſos ſpiritus varie *modificatur* & perficitur. (Log. *fol.* 90.) Jam, ut propius ad animæ *ſpiritualitatem* demonſtrandam accedamus.

Intellectus humanus nequit di-

CCCLXXXIV. Pro certis, ac oppido *demonſtratis* ſuppono ſequentia. I. Mens humana reipſa *percipit* objecta tam *ſenſibilia*, quam etiam *inſenſibilia*, e. g.

ci poten-
tia pure
materia-
lis.

e. g. non minus actu *calorem*, *frigus*, *odorem*, *ſaporem*, *lucem*, *ſonum* &c. quæ *ſenſibiles qualitates* objectorum appellantur, quam *Deum*, *Angelos*, *virtutes*, *habitus infuſos*, ac diverſas proprietates, in objectis ſenſibilibus *inſenſibiliter* exiſtentes, cognoſcit, itemque *veritates geometricas*, quæ nulla ratione *ſenſibus* cognoſci poſſunt; II. nam quæ *ſenſum* in nobis excitant, debent eſſe talia, ut *motionem* aliquam in cerebro (ubi anima rationalis, pro ſtatu ſuæ conjunctionis cum corpore *cogitationes* ſuas elicit, prout infra dicetur) excitare, ſicque animam *attentam* reddere valeant: (nam ſi anima non eſt *attenta*, ut e. g. contingit in *ſomno* profundiore, aut *extaſi*, revera nihil *ſenſibile* percipit) id quod ſolummodo tunc evenit, quando motus, ex impulſu rei ſenſibilis excitatus, iis nervorum fibrillis primo communicatur, qui (juxta Anatomicos) ex interiori cerebri ſubſtantia prodeuntes, extimis noſtri corporis partibus inſeruntur: a quibus dein ille motus immediate ad cerebrum usque defertur, ejusque interiori ſubſtantiæ, & conſequenter etiam animæ, ibi reſidenti, communicatur: (Log. *fol.* 409. & 410. magis autem patebit ex

Phy-

phyſica) res vero *inſenſibiles*, eo ipſo, quod ſint *inſenſibiles*, motum ejusmodi in ſenſuum organis excitare nullatenus valent; & mens tamen eas percipit, ut mox dictum eſt: III. Igitur humanæ mentis perceptio ſeu *cogitatio formaliter* non conſiſtit in certa quadam *motione* tenuiſſimæ ac mobiliſſimæ ſubſtantiæ, a rebus, circa quas *cogitando* verſatur, in cerebro excitata, neque per *mechanicas* quascunque *corpuſculorum affectiones* cum Lockio aliisque Materialiſtis explicari poteſt. IV. Similiter *voluntas* humanæ mentis, ejusque *amor* ad res non ſolum *materiales* & *corporeas*, ſed & *immateriales*, ſenſibusque minime patentes ſe ſe extendit; *veritatem* enim ipſam, *juſtitiam*, *Deum* &c. diligimus, quæ nullo *ſenſu* percepta unquam fuere; quin etiam illa diligimus, quæ ſenſuum judicio *contemni* potius, ac deſpici, quam *amari* poſſe viderentur: "*quid enim*, ut exemplis egregie declarat S. AUGUSTINUS. *tr.* 3. *in Joan. n.* 21. In Sanctis, quid in martyribus amamus? membra laniata a feris? quid fœdius, ſi oculos carnis interroges? quid pulchrius, ſi oculos cordis interroges? quid tibi videtur adoleſcens pulcherrimus fur?

Voluntas quoque non eſt potentia mere corporea.

„quomodo horrent oculi tui? nunquid „oculi carnis horrent? ſi ipſos interroges, nihil illo corpore compoſitius, „nihil ordinatius; & parilitas mem„brorum, & coloris delectatio illicit „oculos: & tamen, cum audis, quia „fur eſt, fugis hominem animo. Vi„des ex alia parte ſenem curvum, „baculo innitentem, vix ſe moventem, „rugis undique exaratum, quid vides, „quod oculos delectet? audis, quia „juſtus eſt, amas, amplecteris.„ V. Adeoque etiam *voluntas* animæ rationalis pure *materialis* dici nequit; ſecus enim (quia, ut commune axioma habet, *modus operandi ſequitur modum eſſendi*) non niſi bonum *ſenſibile, præſens* ac *materiale* appeteret, nec ullam honeſti curam haberet, ut in brutis *animantibus* contingit; aſt longe tamen alia per ſenſum intimum de *anima noſtra* novimus, utpote quæ ſe ipſam *liberrime* determinat ad *honeſta* vel *inhoneſta*, quæ deſideria, ſpesque ſuas *ultra* temporum omnium metas dirigit, quæ, *immortalis* felicitatis cupidine allecta, ſpernit omnes terrenas voluptates, ſenſuum blandimenta generoſo faſtu contemnit, honorumque temporalium titulos pedibus calcat, quæ nul-

nulla vi creatâ cogi poteſt ad mutandum propoſitum bene conceptum, quæ virtutis officia, etiam reluctante carne, ingenti cum voluptate exequitur, quæ DEUM atque cœleſtem beatitudinem cunctis mundi bonis præponit; &c.

Cogitatio animæ nequit mechanice explicari;

CCCLXXXV. *Scholion* I. Quod nulla *cogitatio* formaliter conſiſtat in certa quadam *motione* tenuiſſimæ ſubſtantiæ, ab ipſis rebus, de quibus cogitamus, in cerebro noſtro excitata, liquido etiam patet, ſi tantummodo tres cogitationum ſpecies, quæ ſunt *ſimplex apprehenſio*, *judicium*, & *diſcurſus* probe inſpiciamus; nam 1. *ſimplex apprehenſio* in nobis datur non ſolum de iis rebus, quarum ſpecies, ſive motiones in organis noſtris ſenſoriis excitatæ ad cerebrum deferuntur, ſed, præterquam, quod ipſemet intellectus ideas *factitias* (Log. *fol.* 41.) ſibi efformare queat, plura actu a nobis percipiuntur, quæ ad aliquam *motionem* nobis in cerebro excitandam plane *inepta* ſunt. (CCCLXXXIV.) 2. Datô etiam, ſed nequaquam conceſsô, quod ſimplex *apprehenſio* in ejusmodi corpuſculorum *motione* ſit poſita, *judicium* tamen explicari per illam mi-

nime valet; nam, ut egregie probat Cl. P. Port. a Brix. *Met. p.* 2. §. 29. Quando e. g. mens *affirmative* judicat, duas ideas tunc ſimul conjungit: (Log. *fol..* 151.) jam vero, ſi *judicium* nihil eſſet aliud, quam certa quædam corpuſculorum *motio*, judicium affirmativum formaliter conſiſteret in unione earum *motionum*, in quibus notiones *ſubjecti* & *prædicati* poſitæ ſunt; cumque *alia* ſit notio ſubjecti, & *alia* prædicati, *alia* quoque deberet eſſe motio corpuſculorum pro notione *ſubjecti*, & alia pro notione *prædicati*: & ſic in judicio affirmativo *ſimul* miſcerentur corpuſcula, *diverſo motu* affecta; id autem fieri non poſſet, quin illa corpuſcula novam motûs *determinationem* acquirerent, (ut ex materia de *motu* ſupponi debet) ac proinde, quin *alio motu*, a priori plane diverſo, agitarentur; & conſequenter per *judicium affirmativum* perirent omnino illæ corpuſculorum motiones, quibus *ſubjectum* & *prædicatum* antea exprimebantur: conſtat autem, notiones *ſubjecti* & *prædicati* nullatenus in judicio extingui: (Log. *fol. cit.*) ergo *judicium affirmativum* non eſt *unio corpuſculorum*, quæ ſecundum diverſas determinationes

nes

nes in cerebro moveantur. 3. Id à fortiori de *diſcurſu* ſeu *ratiocinio* tenendum, in eo enim (quantum ad *diſcurſum affirmativum* ſpectat) ex unione duarum idearum cum *tertia*, unio illarum *inter ſe* colligi debet, quin ex hac unione aliqua ipſarum idearum *pereat*, aut aliqua in iis fiat *confuſio*, propter quam notiones ipſæ *diſcerni* a ſe mutuo non amplius poſſint: (Log. *fol.* 219. & *ſeq.*) Impoſſibile autem eſt, ut uniantur in *ratiocinatione* duæ *diverſæ motiones* corpuſculorum ſimul cum tertia, ab illis prorſus diverſa, & ex hac unione emergat unio illarum duarum motionum *inter ſe*, quin aliqua inter eas *confuſio* oriatur, ac proinde, quin ex contactu corpuſculorum, diverſa ratione agitatorum, mutentur eorum *determinationes*, & *nova* in illis excitetur *motio*, priori prorſus extincta. 4. denique quia eadem anima ſupra diverſas operationes intellectûs, a ſe poſitas, *reflectere* inſuper perfecte ſe valet, deberent eadem corpuſcula, *apprehenſionis*, *judicii*, & *diſcurſûs*, duplici motu *ſimul* eſſe affecta, quorum alter alterum exprimat directe, alter vero reflexe, & hoc, quin ſe mutuo turbarent, quod tamen iterum incredibi-

dibile, ac *motuum* legibus, in *phyſica* declarandis, penitus adverſatur: Ergo. &c.

Adeoque animæ natura nequit conſiſtere in certo corpuſculorum motu;

CCCLXXXVI. *Scholion* II. Eodem modo refutantur I. Syſtema Hobbeſii Philoſophi Angli, qui *cogitationes* animæ rationalis ſolâ *actione*, & *reactione partium cerebri* contingere affirmabat. II. Itemque Syſtemata VV. quorundam philoſophorum, ſupra (CCCLXVII.) enarrata, nempe quod anima ſit aut ſubtilior *aëris*, aut *ignis*, vel alterius *vividæ ſubſtantiæ* portio, in humani corporis penetralibus reſidens: aut *Elementorum mixtio*; *harmonia*, vel *combinatio* ex iis ſubſtantiis *materialibus*, quæ in hoc mundo cernuntur; nam eo ipſo, ſi allata Syſtemata valorem ſuum haberent, mentis humanæ cogitatio in mero *corpuſculorum motu* conſiſteret. III. Denique ex eadem ratione animæ natura nequit conſiſtere in *fluido nerveo*, hoc eſt, in illa tenuiſſima, maximeque mobili ac vivida ſubſtantia, quæ ex puriori ſanguine in cerebro elaborata, perque nervos & fibras, tanquam per canaliculos, celerrime decurrens, (non ſecus ac materia *Electrica*, per frictionem in inſtanti diffuſa) animæ *tanquam inſtrumentum* ad operationes vita-

Neque in fluido nerveo.

tales exercendas inſervit, ut paulo inferius dicetur; *modus ſiquidem operandi* ſubſtantiæ *corporeæ* (qualis etiam eſt *fluidum* illud *nerveum*) *toto genere* ab illo operandi modo, quo *anima* utitur, diverſus exiſtit; nam 1. ſubſtantia *materialis* non *movetur* ſecundum *quamvis* directionem; niſi ab alio *impulſa*, neque *ſe ipſam*, dum quieſcit, ad motum determinare valet, (cum de ſe & ex natura ſua ad omnem motum *indifferens* ſit) &, ſi movetur, *ſe ipſam* denuo ad quietem componere nequit, ut patet v. g. de quocunque lapide, in terram cadente: econtra mens humana motu agitatur proprio ac *intrinſeco*, ſeque ipſam ad omne genus cogitationum *libere* determinat, ut paulo poſt patebit. 2. Vis motrix ſubſtantiæ materialis paulatim *langueſcit*, imo & omnino *extinguitur*: at vero animæ rationalis vis cogitandi, quo *plura* cogitat, ſeſeque in agendo exercet, eo promptior atque *vegetior* ad plura cogitanda efficitur, ejusque vis cogitandi *augetur*. 3. Potentia materialis e. g. oculus a ſuo objecto *læditur*, ſi ejus impreſſio *vehementior* fuerit; nequit enim oculus copioſos ſolis radios, retinæ immiſſos, absque ſui læſione excipere: contrarium rur-

ſus in animæ potentia intellectiva accidit, utpote quæ ſemper eo magis a cognitione perficitur, quo iſta ſublimior fuerit, ac clarior. 4. Ad hæc *celeritas* mentis in cogitando tanta eſt, quanta in potentiis corporeis haberi nequaquam poteſt; fertur enim mens cogitando per immenſa locorum intervalla, rurſumque revertitur, quin ab aliquo impedimento vel obſtaculo impediri aut retardari unquam valeat. Igitur ex hiſce manifeſte ſequitur

PROPOSITIO.

Mens humana eſt ſubſtantia ſpiritualis.

Mens humana eſt ſubſtantia ſpiritualis.

CCCLXXXVII. Probatur I. *Authoritate.* In S. Scriptura anima hominis nunquam non *ſpiritus* vocatur. e. g. Dum Chriſtus Dominus in cruce exclamavit: Luc. 23. *Pater! in manus tuas commendo ſpiritum meum*, id eſt, humanam *animam* meam. Et rurſus: *inclinato capite tradidit ſpiritum.* Item B. Virgo. Luc. 1. Ait: *exultavit ſpiritus meus in Deo &c.* quamvis autem vox *ſpiritus* interdum a SS. Paginis in ſenſu *latiore* entibus quoque *materialibus* e. g. *vento*, *igni* &c. attribui

bui ſoleat, uti habet *Lexicon Biblicum* Cl. P. Weittenauer. *verbo* Spiritus; ſi tamen de *anima* hominis ſermo ſit, ſemper in ſenſu proprio, hoc eſt, pro *ſubſtantia immateriali*, eam vocem accipi, probat tum ſenſus communis, atque unanimis SS. Patrum, & Scripturæ interpretum, propterea ſpecialiter attendendus, (Log. *fol.* 391. & 392.) tum ipſe *modus* loquendi, quia ſcilicet *anima* a S. textu *ſpiritus* continuo vocatur in eo ſenſu, quo *ſpiritus* opponitur *corpori*: ſic enim *Eccleſ.* 12. habetur: *revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Unde & univerſa Eccleſia Catholica in Conc. Lateran. ſub Innocentio III. animæ *ſpiritualitatem* his verbis recte definiit, *cap. firmiter de ſumma Trinit.* de Deo ita loquens: ipſe *ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore* (ex anima & corpore) *conſtitutam.*

Probatur II. *Ratione.* Juxta commune axioma *modus operandi ſequitur*

modum eſſendi, id eſt, *operatio* quæcunque non poteſt procedere, niſi ab eſſentia, ſeu *principio*, ſibi *proportionato*: atqui *modus operandi*, reſpectu animæ, eſt mere *ſpiritualis*: (CCCLXXXIV. & CCCLXXXV.) ergo etiam ejus *eſſentia*, operandique principium *ut quod*, ſive ipſa *anima* debet eſſe ſpiritualis; *materiale* enim principium, reſpectu operationum *ſpiritualium*, nullam prorſus *proportionem* habet, aut quis credat, quod maſſa *corporea*, quæ non niſi *additione*, *detractione*, ac *transpoſitione* partium mutari poteſt, ultra ſuam conditionem elevari ſic queat, ut operationes naturæ *ſuperioris* eliciat? nam ſi hoc? tunc etiam potentia *non vitalis* aſſequi ſine contradictione poterit actum *vitalem*, e. g. lapis viſionem, aut loquelam &c.? utpote cum in iſto major ſit proportio ad *materialem* viſionem aut *loquelam*, quam in ente *corporeo* ad actus *ſpirituales*, toto genere diverſos, ut ſunt *cognitio* rerum univerſalium, imo & immaterialium, tam *directa*, quam *reflexa*, item libera ac indifferens *electio* voluntatis, & *amor* rerum, a materia ac ſenſibus ſecretarum, bonorumque, corpori blandientium, heroica *averſatio* &c. Quid

quod

quod omnium fere temporum & locorum Philoſophi, ad ſolius *rationis* lumen non nihil accuratius aſpicientes, continuo agnoverint, menti humanæ nihil eſſe commune cum *corpore*, ſed eam eſſe *ens omni re corporea excellentius*, prout inter cæteros *Platonici* multis ac variis argumentis demonſtrarunt. In quem finem

CCCLXXXVIII. *Scholion.* Juvat hic apponere ex *Philoſopho* non minus præſtantiſſimo, quam *oratore* elegantiſſimo CICERONE momentum aliquod, evidenter demonſtrans, nequaquam *materialem*, ſed *prope divinam* eſſe humanæ mentis vim, atque naturam; nempe ex tot *artium, diſciplinarumque inventione*, per eam factâ, & in dies fieri ſolita. Sic enim inquit *l.* I. *Tuſc. qq. c.* 28. & 29. „Cum videmus ſpeciem, candoremque cœli, deinde converſionis celeritatem tantam, quantam cogitare non poſſumus; tum viciſſitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem & ducem ſolem, lunamque, accretione & dimi-

Id quod etiam Tullius dudum agnovit.

„nu-

„nutione luminis, quaſi faſtorum no-
„tantem, & ſignificantem dies, - -
„poſſumusne dubitare, quin his præſit
„aliquis vel effector, ſi hæc nata ſunt,
„ut Platoni videtur, vel, ſi ſemper
„fuerint, ut Ariſtoteli placet, mode-
„rator tanti operis, & muneris? ſic
„autem & mentem hominis, quamvis
„eam non videas, (uti Deum non vi-
„des, tamen ut Deum agnoſcis ex
„operibus ejus) ſic ex memoria re-
„rum, & inventione, & celeritate
„motûs, omnique pulchritudine vir-
„tutis vim divinam mentis agnoſcito„
Et *c.26.* poſtquam præſtantiores *artes* ac
diſciplinas, ab humano ingenio exco-
gitatas atque perfectas, ſumma elo-
quentiæ vi & energia enumeraverat, ita
perorat: "prorſus hæc divina mihi
„videtur vis, quæ tot res efficiat, &
„tantas. Quid eſt enim memoria re-
„rum, & verborum? quid porro in-
„ventio? profecto id, quo nec in Deo
„quidquam majus intelligi poteſt; non
„enim Ambroſia Deos, aut nectare,
„aut juventute pocula miniſtrante,
„lætari arbitror: nec Homerum audio,
„qui Ganymedem a Diis raptum ait
„propter formam, ut Jovi bibere mi-
„niſtraret. - - Fingebat hæc Home-
„rus,

„rus, & humana ad Deos transfere„bat: divina mallem ad nos. Quæ „autem divina? vigere, ſapere, in„venire, meminiſſe. Ergo animus, „qui, ut ego dico, divinus eſt, & ut „Euripides audet dicere, Deus: & qui„dem, ſi Deus aut anima, aut ignis „eſt, idem eſt animus hominis. Nam, „ut illa natura cœleſtis & terra vacat „& humore, ſic utriusque harum re„rum humanus animus eſt expers: „ſin autem eſt quinta quædam natura „ab Ariſtotele inducta primum, hæc „& Deorum eſt, & animorum.„ Eodem modo hominis naturam atque eſſentiam præclare quoque deprædicat *l.* 1. *de legibus c.* 9. & alibi.

CCCLXXXIX. *Corollarium* I. Igitur mens humana non eſt ſubſtantia, in partes integrales realiter *diviſibilis;* hoc enim repugnat naturæ *actuum* ipſius mentis; nam 1. ſi mens ejusmodi partes integrales haberet, vel quælibat illarum partium, ſeorſim ſumpta, *vi cogitandi* polleret, vel non? ſi 1*mum*, tunc quælibet eſſet *tota mens*, quia *mentis* definitionem haberet, (CCCLXXV.) ac proinde, ſicut *una* tantum in nobis eſt *mens*, ſic *una* tantum illarum particula-

Mens humana eſt indiviſibilis.

cularum in nobis exiſteret, tanquam unum & totale *cogitandi principium.* Si 2*dum*, tunc etiam *tota ſubſtantia* ex illis compoſita vi cogitandi minime polleret, eoquod ex *inertibus* nequeat fieri totum integrale *vi activa* præditum, nec totum ſit aliquid diſtinctum a partibus ſimul ſumptis. (CCXXVI.) 2. Pari modo de *actibus voluntatis* diſcurrendum eſt; nempe, vel *ſingulæ* illarum partium ſeorſim acceptæ forent *liberæ*, vel non? ſi 1*mum* ergo poſſent elicere actus *oppoſitos*, ſcilicet *velle*, & *nolle*, una pars *bonum*, altera *malum* ſimul & ſemel operari, una pars *præmio*, altera *pœna* dignam ſe reddere &c. ſi 2*dum*: ergo neque *tota* ſubſtantia foret *libera.*

Inextenſa,

CCCXC. *Corollarium.* II. Mens humana non eſt *extenſa entitative*, qualiter extenſa eſt ſubſtantia *materialis*; (CXCIII.) oritur enim τὸ *extenſum* ex unione plurium, quorum unum extra aliud quoad totam ſuam *entitatem* exiſtit: mens autem humana a parte rei non habet in ſe *plura*, ſeu *plures partes*: (n. præc.) ergo. Id ipſum confirmat S. Aug. *l. de quant. animæ. n.* 24. dicens: „Cum oculi medium, quod pupilla „dicitur, nihil aliud ſit, quam quoddam

„pun-

„ punctum oculi, in quo tamen tanta „ vis eſt, ut eo dimidium cœlum, cu- „ jus ineffabile ſpatium eſt, ex aliquo „ eminenti loco cerni, colluſtrarique „ poſſit, non abhoret a vero, animam „ carere omni corporea magnitudine, „ quæ tribus illis differentiis (*longitu-* „ *dine* ſcilicet, *latitudine*, & *profunditate*) „ conſumatur, quamvis corporum ma- „ gnitudines quaslibet imaginari queat.„ Indeque nullam etiam habere animus *figuram* poteſt, utpote quæ *limes extenſionis* dicitur. (CCXXIX.)

CCCXCI. *Corollarium* III. Mens humana non eſt *phyſice compoſita* ex ſubjecto, & forma; ſic enim rurſus duas ſaltem *partes integrales* in ſe includeret, unam ſcilicet *determinabilem*, ac prorſus *inertem*, (hoc eſt, *ſubjectum*) alteram vero *determinantem* & *activam*: (hoc eſt *formam*) atqui hoc non, ut patet tum ex dictis, (CCCLXXXIX.) tum etiam, quia nihil in anima noſtra habetur *iners* ac *paſſivum*, cum ipſa ſit tota *activa*: ergo ex *ſubjecto* nequit conſtare, ſed eſt mera *forma ſimplex* & *activa*. in quem finem præclare rurſus ait S. Augustinus *l.* 7. *in genes ad litter. n.* 10. "Si „ eſt ulla materies, unde animæ fiunt, Phyſice non compoſita,

„ quid

„quid ipſa eſt? quod nomen, quam „ſpeciem, quem uſum in rebus con„ditis tenet? vivit: an non? ſi vivit, „quid agit? quid confert univerſitatis „effectibus. Beatamne vitam gerit, „an miſeram, an neutram? vivificat „aliquid, an ab hoc etiam opere va„cat, & in quodam ſecreto univerſi„tatis otioſa requieſcit, ſine vigili ſen„ſu motuque vitali?„ dein. Natura alicujus rei debet cognoſci ex *operationibus*: (XLVIII.) atqui *cognitio* & *volitio*, quæ ſunt *operationes* animæ, non exigunt eſſe a principio phyſice ſic *compoſito*; quia etiam in *Deo* dantur *cognitiones* & *volitiones*, nec tamen datur *compoſitio*: ergo &c. dixi porro, quod mens humana non ſit *phyſice* compoſita; aliter vero loqui licet, ſi de compoſitione *Logica*, aut *Metaphyſica* ſermo eſt, ut alibi dictum jam fuit. (LXVII.)

Et plane ſimplex ſubſtantia;

CCCXCII. *Corollarium* IV. Mens humana eſt ſubſtantia *phyſice ſimplex*; ſimplicitas enim *compoſitioni* opponitur: ergo cum anima nec *phyſice*, ex ſubjecto & forma, (n. præc.) nec ex partibus *integralibus* ſit compoſita, (CCCLXXXIX.) neceſſario debet eſſe

ſe ſubſtantia *phyſice ſimplex*, prout cum Catholicis omnibus Ethnici quoque philoſophi dudum ſentiebant, & inter hos quoque Ariſtoteles *l.* 12. *Met. text.* 55. ita ſcribens: *Omne non habens materiam indiviſibile eſt, quemadmodum humanus intellectus.* Cæterum omnia, quæ de ente *ſimplici* ſuperius dicta ſunt, (CCXVII.) animæ quoque, tanquam ſubſtantiæ *ſimplici*, applicanda veniunt.

Solvuntur Objectiones.

CCCXCIII. **O**B. 1. Ex *Authoritate.* Plures ex VV. Eccleſiæ Patribus animam *corporeæ* eſſe *naturæ* dixerunt, in ſpecie TERTULLIANUS *l. de anima c.* 7. item *l. de carne Chriſti c.* 2. S. HILARIUS *c.* 5. *in Math.* IRENÆUS quoque, ORIGENES, CASSIANUS, quin etiam S. AMBROSIUS, prout refert Cl. *P. Fort. a Brix. Met. p.* 2. §. 56.: Ergo anima non eſt ſubſtantia ſpiritualis. R. & explico omnes ejuſmodi authoritates. D. A. Plures Eccleſiæ Patres hoc dixerunt ex hypotheſi alterius definitionis *nominalis*, quam ipſi *ſpiritui* attribuebant C. A. ex noſtra ſuperius data definitione τϐ

In quo ſenſu VV nonnulli Eccleſiæ PP. animam corpoream eſſe dixerint?

ſpiritûs, (CCCLXXXI. & CCCLXXXII.) magis proprie illi conveniente. N. A. & C. Omnes illi Patres, (uno *Tertulliano* excepto, qui hac in parte, ut Doctor privatus, erravit) *ſpiritum* ſumebant pro *ſubſtantia*, *quæ loco circumſcribi non poteſt;* Corpus vero definiebant eſſe *id*, *quod poteſt loco circumſcribi*, ut patet ex locorum mox citatorum inſpectione. Adeoque per illum loquendi modum ſolummodo intelligebant, animam eſſe certis *temporum*, *locorumque limitibus circumſcriptam*, ſuoque etiam ſubjecto ineſſe, ſaltem ad tempus, nec ita *immaterialem* ac *incorpoream* exiſtere, ſicut Deus exiſtit, quem propterea ſolum *immaterialem*, id eſt, *limitibus incircumſcriptum*, eſſe docebant. Dein citati Patres præcipue agebant contra illos, qui *animam rationalem particulam Divinitatis* exiſtere contendebant, & ideo, juxta regulam, ſupra ex Scoto propoſitam, (CXXVIII.) ut magis refutarent eos, qui animam tanquam aliquid *Divinum*, ſeu *ſpiritum illimitatum* aſſerebant, non nihil *exceſſive* locuti ſunt, declinantes quodammodo ad *extremum*, ut ad *medium* ſecurius pervenirent, adeoque probarent, ani-

mam

mam quidem eſſe *ſpiritum*, non tamen in eo ſenſu, quo Deus dicitur *ſpiritus*.

S. Scriptura contrariæ ſententiæ non favet.

Inſt. Etiam S. Scriptura aperte indicat, animam rationalem eſſe *corpoream*, & *materialem*: ergo. p. A. *Levit. c.* 17. ter dicitur, *animam omnis carnis in ſanguine eſſe*: ergo *fluidum nerveum*, quod eſt ſubtiliſſima *ſanguinis* pars, & quidem *materialis*, animam conſtituit. Item *Luc.* 16. anima Lazari dicitur *collocata in ſinu Abrahæ*: atqui *collocatio* rurſum ſoli *corpori* competit: ergo. Denique *animæ humanæ* vere ac phyſice torquentur ab igne infernali pure *materiali*; nequit autem materiale ſic agere in ſpirituale: ergo animæ debent eſſe materiales. R. N. A. Cum *prob.* ad 1*mum*. D. A. *Anima in ſanguine eſt*, quatenus vita hominis perpetuo dependet a ſanguine C. A. ita ut a ſanguine non diſtinguatur. N. A. Dein citatus locus ſolummodo loquitur de *brutis*; non de *hominis* anima. Nec ipſe ſanguis vivit, ut in *phyſica* dicetur: ergo nequaquam conſtituere animam valet. Adeoque tantum "ſic di-„ ctum eſt, prout S. Augustinus l. 2. „*contra adverſ. legis & propb.* interpre-„ tatur, *anima omnis carnis eſt ſanguis*,

„ quomodo dictum eſt: *petra erat Chriſtus*, ſcilicet non quia hoc erat, ſed „ quia hoc ſignificabatur. Non autem „ fruſtra lex animam voluit ſignifica- „ re per ſanguinem, rem ſcilicet invi- „ ſibilem per rem viſibilem; quia ſan- „ guis per venas omnes ab ipſo corde „ diffuſus, in noſtro corpore plus cæ- „ teris humoribus principatur, ita ut, „ ubicunque fuerit vulnus inflictum, „ non humor alius, ſed ipſe procedat: „ ita quoque anima, quia omnibus, „ quibus conſtamus, inviſibiliter præva- „ let, illo melius ſignificatur, quod „ omnibus, quibus conſtamus, viſibi- „ liter prævalet. „ Ad 2*dum* illud ſolum *metaphorice* eſt intelligendum, non ſecus, ac dum v. g. dicitur *Chriſtus ſedere ad dexteram patris*, aut *animæ juſtorum* dicuntur eſſe *in manu Dei*. Ad 3*tium*, ſi animabus damnatorum corpora nondum ſint conjuncta, (prout tamen poſt extremum Judicium continget) Theologi Scotiſtæ difficultatem illam explicant per *duplicem alligationem*, *localem* ſcilicet, & *objectivam*, id eſt, (quantum ad *primam* ſeu *localem* alligationem) anima damnata *alligatur in certo inferni loco*, quæ alligatio, quia opponitur ejus potentiæ *loco-*

Quomodo animæ damnatæ crucientur ab igne materiali?

moti-

motivæ, maxime ipſam affligit, præcipue ex conſideratione, quod per totam æternitatem ea pœna ſit duratura. Sed & (quantum ad *ſecundam* alligationem) debet in illo loco, *neceſſario*, ac *perpetuo cognoſcere* ignem infernalem, tanquam inſtrumentum Dei ſumme vindicativum, & corporis quoque, denuo aſſumendi ſine ſine cruciativum, a qua cognitione, utpote potentiæ *cognoſcitivæ* ac *volitivæ* maximopere contraria, quia ſe nunquam in æternum poterit avertere, hinc in ſummam *deſperationem* continuo agetur. Iſta autem *detentio* in conſideratione ignis intenſi, ac perpetui, & contra voluntatem animæ &c., oritur effective a Deo *principaliter*, & ab igne ipſo, active quidem, ſed *minus principaliter:* ſicut nempe *intellectus agens* & *phantasma*, (de quibus paulo inferius) juxta eosdem Scotiſtas, aliosque Peripateticos, ſe habent ad intellectum *patientem*, ſeu *paſſibilem*, quoad aliquam cognitionem in nobis excitandam, ſic ipſemet Deus per ſe, ad modum *intellectûs agentis*, & *ignis* ad modum *phantasmatis*, movent efficaciſſime intellectum *paſſibilem* Angeli contra vo-

luntatem ejus. Aſt plura de hoc Theologi *in Tract. de Angelis*

Quomodo anima dependeat a corpore organico, & phantasmate?

Ob. 2. Anima in operando dependet tum a *corpore organico;* nam læſo v. g. cerebro turbatur cognitio, tum a *phantasmate*, hoc eſt, ſenſibili ac materiali illa imagine, quæ ex appulſu rerum ſenſibilium, & inde orta partium organicarum immutatione in cerebro efficitur, ad unius potius, quam alterius rei ſenſibilis ideam in ſe producendam: ergo pure materialis eſt. R. D. A. dependet tum a corpore organico, tum a phantasmate, inchoative, mediate, & ratione unionis cum corpore, quam defacto habet in hac vita C. A. dependet perfective, imediate, & ratione ſui, hoc eſt, abſtrahendo a corpore, a quo naturaliter poteſt abeſſe. N. A. & C. Scilicet quia mens humana, pro *moderno* Dei decreto, corpori organico eſt conjuncta, nec de ſe ullas habet ideas *innatas*, (Log. *fol.* 634.) ſed eas potius a ſenſibus emendicare debet, (Log. *fol.* 632.) hinc *inchoative* & *mediate* a corpore dependet, quatenus nempe, (cum pro hoc ſtatu *modo ſenſibili* ſit operans, utpote conſtituens *animal rationale*, quod

prius

prius operatur per *ſenſum*, quam per *intellectum*) *inchoari* omnis ejus *ſenſatio*, & quaſi excitari debet *mediante phantasmate*; eoquod *objecta ſenſibilia* non immediate per ſe menti fiant præſentia; ipſius tamen animæ *operationes* in ſe ſpectatæ adeo puræ perfectæque ſunt, ac re omni materiali & ſenſibili ſuperiores, ut in earundem productione mens a corpore *immediate* ac *per ſe* non dependeat. (CCCLXXXIV.)

Inſt. 1. Anima rationalis in corpore *recipitur*, velut forma in ſubjecto: atqui *imperceptibile* eſt, quomodo aliquid *ſpirituale* atque *inextenſum* recipiatur in corpore *extenſo*, ac *materiali*: ergo anima non eſt ſpiritualis. R. D. M. Recipitur, ita tamen ut eidem non inhæreat. C. M. Ut inhæreat N. M. Vel aliter: recipitur in corpore tanquam in ſubjecto *in quo* C. M. tanquam in ſubjecto *ex* quo. N. M. & *transmiſſa minori*. N. C. Mens non aliter in corpore recipitur, quam ut ipſum *vivificet*, eique *præſit*, ac *dominetur*, ut inquit Plato *in Phædone*. Dixi *Trans. m.* id enim, quantum fieri poterit, in Sect. ſeq. magis dilucidabitur, ubi de *mutuo* animæ cum corpore *commercio* ſermo

In quo ſenſu mens humana recipiatur in corpore?

erit. Interim *Retorq.* in Materialiſtas; nam æque imperceptibile eſt, quomodo *materialis ſubſtantia*, (qualis in ipſorum ſententia eſt anima) valeat *cogitare*. (CCCLXXXIV.) Itaque locum hic habet aurea illa magni D. Aurelii ſententia *lib. de ſpiritu & anima* c. 14. *nunquid ideo negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? nunquid propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe; quoniam, cur ita ſit, non poſſumus invenire?*

Proportio quænam ſit inter corpus, & animam? *Inſt.* 2. Inter corpus materiale & ſpiritum immaterialem nulla datur proportio: ergo ſi anima rationalis eſſet ſpiritualis, non poſſet corpori materiali uniri: unitur autem: ergo non eſt ſpiritualis. R. D. A. Nulla datur proportio in *entitate*, hoc eſt, non datur ſimilitudo in *natura*, C. A. in ratione *perfectivi* ad *perfectibile*, ſive non datur habitudo *formæ* (CCLXXXI.) ad *ſubjectum* informationis, ſeu *receptionis*, (CLIX.) N. A. & C. ac denuo *Retorq.* etiam *accidens* toto genere differt a *ſubſtantia*, & tamen uniri inter ſe mutuo valent, ita ut hæc ab illo determinetur & perficiatur, ſimulque ambo *unum totum* conſtituant.

Inſt. 3.

Quomodo anima in corpore langueat & creſcat?

Inſt. 3. Anima *fatigatur* a ſtudio ſubtiliori, item in *viro* eſt multo capacior, quam in *infante*, annis creſcentibus cum corpore quodammodo *creſcit*, eoque deficiente & ipſa deficit. Denique in profunde dormientibus ita torpet, ut quaſi extincta videatur: ergo, quia mutationes varias ſoli corpori competentes ſubit, ſpiritualis haud eſt, ſed materialis. R. D. A. Et hæc omnia animæ conveniunt propter *unionem*, quam defacto habet cum corpore, a quo cum in operando nunc dependeat, perfectius agit, cum ſenſim corpus perficitur; imperfectius autem, cum corpus languet &c. C. A. animæ conveniunt præciſe *ratione ſui*, ita ut ipſamet revera actu *creſcat*, aut *deficiat* &c. N. A. & C. Quando per multum ſtudium vel exhauriuntur ſpiritus animales, vel nerveæ cerebri fibræ, ob motum nimium, debilitantur, atque ad animæ munia minus aptæ redduntur, neceſſario anima quoque ipſa prompte & expedite operari non amplius valet; ſin autem a corpore hocce mortali ſeparata, aut corpori glorioſo conjuncta erit, jam non amplius defatigabitur, nec torpebit: imo nonne, ægro etiam ac languente corpore,

mens humana ſæpiſſime affectum oppoſitum in ſe excitare, & alacri etiam lætitiâ geſtire valet? adeoque cuncta illa vitia non *animæ*, *ratione ſui* conſiderata, ſed ut corpori mortali *unitæ*, vel potius *ſoli corpori* proprie adſcribenda ſunt. Plura inferius.

Anima operatur tam ut ſenſitiva, quam ut rationalis.

Ob. 3. Animæ *operationes* ſunt *materiales*: ergo & ipſa erit materialis. P. A. 1. Quoad *cognitiones*, nam Deum v. g. & Angelos aliter nequit cognoſcere, niſi ut entia materialia & corporea, Deum ſcilicet ut *ſenem*, & Angelos ut *juvenes alatos &c.* 2. quoad *volitiones*. Ipſa poteſt neglectis bonis ſpiritualibus, ac ſummis, appetere *materialia* & *infima*, ſicut bruta faciunt, a quibus multi homines quoad hoc vix differunt: ergo. R. N. A. (CCCLXXXIV.) Ad *prob.* quoad 1*mum* D. A. nequit aliter cognoſcere Deum niſi ut ſenem &c., in quantum, pro hoc rerum ſtatu, ab initio, ſeu *inchoative*, requiruntur ideæ *adventitiæ* ad primas ideas formandas Tr. A. in quantum poſtea per ideas *factitias*, itemque per actum *judicativum*, & *reflexum*, objecta depurando ab omni phantasmate, ulteriores ideas Dei & Angeli, tanquam entium *immaterialium*,

lium, mens ipſa ſibi efformat. N. A. Hæc certe entia non poſſunt excitare motionem in cerebro: (n. cit.) aut ſi Deus non niſi inſtar entis *corporei* a nobis concipi poſſet, profecto nullum haberemus principium naturale, ex quo errorem *Antropomorphitarum*, Deum quoque eſſe *corporeum* aſſerentium, retundere poſſemus. *Quoad 2dum.* Poteſt equidem mens humana *appetere ſenſibilia* ac materialia, interim tamen negari non poteſt, quod etiam *immaterialia* ac *inſenſibilia*, æquali vi, ſoleat *appetere*, ſicut & ex eo, quod materialia ac ſenſibilia *cognoſcat*, non ſequitur, eam *inſenſibilia* ac *immaterialia* percipere non valere. (n. cit.) Nempe, ut mox dictum eſt, anima non ſolum *rationalis* ſed & *ſenſitiva* exiſtit, unde non ſolum ea, quæ *rationi*, ſeu *honeſtati*, congrua ſunt, ſed & ea, quæ *ſenſibus* blandiuntur, *cognoſcere*, *libere*que amplecti, aut averſari poteſt; ſecus in brutis contingit, quæ non niſi *mera materialia* ac *ſenſibilia* inſectantur, longe *alia* econtra *pabula eſurit anima* &c., nempe *inſenſibilia*; aut, ſi res quoque *corporeas* appetat, ſaltem non ſemper ſub ea ratione, ſub qua in ſenſus incurrunt, ab illa appetuntur. (CCCLXXXIV.) *Inſt.* 1.

Inſt. 1. Etiam potentia *materialis* poteſt cognoſcere objecta *immaterialia* ac inſenſibilia: ergo ex modo *cognoſcendi* nondum probatur, animam eſſe ſpiritualem. p. A. 1. Potentia *ſpiritualis*, v. g. in Angelo, cognoſcit res *materiales*: ergo etiam potentia *materialis* poteſt cognoſcere res *ſpirituales*. 2. Potentia *finita*, e. g. homo, poteſt cognoſcere objectum *infinitum*, nempe Deum: ergo etiam potentia *materialis* poteſt cognoſcere objecta *immaterialia*. 3. Anima per actus *accidentales*, nempe per ideas, vere attingit, atque cognoſcit *ſubſtantias*. 4. Denique actu *poſitivo* verſamur circa *negationes* & *privationes*: ergo a pari etiam potentia *materialis* poteſt attingere *res immateriales*. R. N. C. Nam ad 1*mum* poteſt utique potentia *ſuperior* attingere objecta ordinis *inferioris*, ut ex aliis, & ipſius Dei operationibus, clare, & ad oculum patet, non autem viciſſim. Adde, quod omne *ſenſibile* ſit etiam *intelligibile*, intelligibile autem, *qua tale*, non eſt *ſenſibile*. Unde ad 2*dum Diſp.* eſt, quia *infinitum*, hoc ipſo quod ſit *ens*, eſt *intelligibile*, & conſequenter intra latitudinem *objecti* intellectûs, & (ſaltem *finito modo*, at-

que

que a *poſteriori*, ut infra dicetur) cognoſci valet: econtra objecta *immaterialia* ſunt penitus *inſenſibilia*: ergo tam parum a potentia *materiali*, ſive *ſenſibili*, percipi poſſunt, quam parum id, quod eſt *inviſibile*, ab oculo materiali *videri* poteſt. Ad 3*tium* quia ſimiliter ſubſtantiæ ſunt *intelligibiles*, nec ideæ debent eſſe ejusdem naturæ *in eſſendo* cum objecto, quod menti ſiſtunt, ſed tantum *in repræſentando*, habetur ratio ſufficiens convenientiæ: at non habetur convenientia ulla in *materiali* potentia ad objectum *immateriale*, ut ſæpe dictum jam eſt. Idem R. ad 4*tum*, eoquod etiam *negationes* ſint *intelligibiles*.

Inſt. 2. Subſtantiis mere *corporeis* juxta pleroſque Philoſophos inſunt, & quidem *intrinſece*, diverſæ *vires activæ*, v. g. vis tendendi deorſum, ſeu *gravitas*, vis poſt compreſſionem ſe reſtituendi, ſeu *Elaſticitas*, item, juxta Newtonum, *vis*, alia corpora, a ſe diverſa, *attrahendi* &c.: vel ſaltem non eſt evidens, quod ejusmodi vires intrinſecæ, ſive potentiæ, corporibus non competant: ergo neque eſt evidens, quod *vis cogitandi* aut *appetendi* ſubſtantiis *materialibus* nequeat conveni-

nire. R. Tr. A. Quia, ut in *Phyſica* dicetur, tam *gravitas*, quam *Elaſticitas formalis* a modernis philoſophis, longe pluribus, in principio quodam *extrinſeco* collocatur; *attractio* vero Newtoniana omnino inter *qualitates* Peripateticorum *occultas* ablegatur. N. C. *Diſpar.* habetur ex ipſo *ſenſu intimo*, nullus enim ſibi unquam perſuadere voluit, aut potuit, quod v. g. lapis, uti *ex ſe* deorſum tendere videtur, ſic etiam *cogitare*, aut objecta non minus *immaterialia*, quam *ſenſibilia*, appetere, vel averſari queat, ex quo ſequitur, quod neque aliud quodcunque *corpus*, utut etiam perfectiſſimum aut ſubtiliſſimum, poſſit cognoſcere *inſenſibilia*, ac *immaterialia*, & quidem tam per actus *directos*, quam *reflexos*, tam per *apprehenſionem*, quam per *judicium*, & *diſcurſum* &c. Dein licet etiam corporibus ineſſe dicantur *vires* quædam *activæ*, nequeunt ſe tamen iſtæ ad *operationes immateriales* extendere, ne *effectus* fiant toto genere nobiliores, quam ſint *cauſæ*.

Inſt. 3. Si animæ cogitatio, qua v. g. cognoſcit lapidem materialem, cognoſceret per ideas ſpirituales, iſta *cogni-*

tio,

tio, tanquam *effectus*, longe excederet ſuum *objectum*, ſeu *cauſam*, imò toto genere is foret nobilior: atqui hoc nequit admitti: (CCXLVIII.) ergo nec id, unde ſequitur. R. 1. *Retorq.* De cognitione *angelica*, quæ juxta omnes eſt *ſpiritualis*, & tamen, ut omnes pariter concedunt, fertur ad objecta quoque *materialia*. R. 2. N. *Suppoſitum*, quod objectum ſit *cauſa* cognitionis; ſolus enim *intellectus* eſt adæquata *cauſa* cognitionis; objectum vero eſt *terminus*, ad quem terminatur cognitio; vel, ſi mavis, eſt *materia*, *circa quam* intellectûs operatio occupatur: cum igitur intellectus ſit potentia, mere *ſpiritualis* animæ, (CCCLXXXIV.) & quidem *activa*, ſufficienti aptitudine gaudet ad *ſpirituales* ideas materialibus objectis, ſaltem *in repræſentando* ſimiles, efficiendas, tanquam actus ſibi *proportionatos*, ut paulo inferius magis declarabitur.

Mens humana non eſt in partes diviſibilis.

OB. 4. Mens humana eſt *diviſibilis*: ergo non eſt *ſpiritualis*. P. A. Mens humana concipit objecta diviſibilia, quorum puncta ſingula profecto terminari nequeunt in indiviſibili puncto: ergo eſt diviſibilis. R. N. A. Ad *prob.*

N.

N. C. nam; licet in eodem puncto indiviſibili *materiæ* alia puncta corporalia nequeant *penetrari*, poteſt tamen mens *ſpiritualis* penetrari cum pluribus punctis, eo ipſo quod non ſit *impenetrabilis*, ſicut corpus. *Dein.* N. *Suppoſ.* quod ſingula objecti cognoſcendi puncta terminari debeant in *indiviſibili puncto;* licet enim mens humana diviſibilitate ex natura ſua careat, poteſt tamen per *exiſtentiam* ſuam *definitivam*, (CCCXLVIII.) quam hab..., ſpatium *diviſibile* occupare, æque ac *Angelus*, qui itidem non ſemper ac neceſſario in ſpatio *indiviſibili* exiſtit. Nec tamen propterea Angelus aut anima *replicantur*, quia non exiſtunt ſimul in pluribus locis adæquatis *interruptis*, ut in materia de *replicatione* dictum eſt. (CCCXLVIII.)

Inſt. 1. In minimo ac indiviſibili ſpeculi puncto nequit repræſentari diſtincta imago v. g. Sylvæ aut montis: ergo nec in mente *indiviſibili* id fieri poteſt. R. N. C. In priore enim caſu partes imaginis corporeæ deberent *compenetrari;* cum habeant exiſtentiam *circumſcriptivam*, & quantitativam; non autem in poſteriori, propter exiſten-

tiam

tiam animæ *definitivam*. Dein *mens* in operando non dependet unice ab *objecto* externo, ſicut *imago* in ſpeculo expreſſa a *ſpeciebus* extrinſecis dependet; poteſt enim illa præter ideas *adventitias* ex propria virtute cudere *factitias*, depurando priores *materiales*, per actum *judicativum* & *reflexivum* &c. Denique *inverto argum.* poteſt in *exiguo* ſpeculi *ſpatio* integra Sylva, aut Mons, diſtincte repræſentari: ergo multo magis in anima noſtra, quæ eſt *Divinitatis* quædam *imago*, diverſa objecta diviſibilia ac indiviſibilia exprimi valent, prout & in mente Divina, omnis certe diviſibilitatis experte, diſtinctiſſime relucent.

Inſt. 2. Caput humanum a trunco reſectum ſæpe adhuc modice ſubſultat, aut labia movet: ergo aliqua animæ pars in eo ſuperſtes exiſtit. 2. Pede aut brachio avulſis, majus plerumque robur ſentitur in altero: ergo ſignum eſt, quod illa animæ pars, quæ prius illud membrum informabat, in alterum retroceſſerit, & conſequenter anima eſt diviſibilis. 3. *Acta Patrum Trevoltienſium ad ann.* 1712. *tom.* 1. *Jan.* Referunt, Bononiæ fuiſſe Chirurgum

quemdam, cui nomen Tagliacotti, is quibusdam, naſô mutilatis, alias nares, ex carne de brachio hominis optime valentis ac vegeti avulſa, ac tempore verno faciei læſæ applicata, ea dexteritate ſubſtituit, ut faciei accreverint, & vere vixerint: atqui hoc per priorem animam *indiviſibilem* fieri non potuit: ergo per animæ *partem*, in carne revulſa adhuc *reſiduam*. R. N. C. Nam ad 1*mum*. Motus illi: utpote valde inordinati ac minus diuturni, facile adſcribi poſſunt *ſpiritibus animalibus*, adhuc in capite per modicum tempus reſiduis; aut ex illorum defectu, ſiccatis nervis, *ex conſequenti*, labia oculive poſſunt contrahi. Ad 2*dum*. Robur novum pariter oriri poteſt ex majore copia *ſpirituum vitalium*, minus diffuſorum, non autem ex animæ partialis *regreſſu*, quia hæc tunc ſolummodo *ceſſat* exiſtere in pede amputato, & non incipit informare partem, in qua antea non extitit, nec de loco in locum proprie movetur in corpore, cum partes non habeat, ſed *totum* ſimul occupat corpus, tanquam locum *continuum*. Ad 3*tium*. Iidem ipſi PP. *Trevoltienſes* nimiæ credulitatis arguunt inſolentium hujusmodi curatio-

num

num narratorem D. *Garmanni*, Regis Poloniæ Archiatrum: quin & hic ipſe ibidem fatetur, nares haſce ita *corruptionem* ſubiiſſe, ut non raro ſua ſponte delapſæ ſint, tunc maxime, ſi homo ille, e cujus brachio caro abſciſſa fuit, mortem oppetiſſet. Cæterum quod anima brachii, quoad aliquam ſui partem, in naſum adſcititium non migraverit, inde patet; quia ſecus in eodem homine *duplex* anima fuiſſet: itaque, ſi fides illis curationibus ſit adhibenda, rurſum per *ſpiritus vitales*, tum in abſciſſa carne relictos, tum e patientis corpore in poros aſſuti naſi egredientes, ſuamque circulationem ordinate efficientes, explicari debet.

Inſt. 3. Anima aliter longe operatur in pede v. g. aut brachio, quam in cerebro: ergo eadem *indiviſibilis* animæ entitas nequit ſingulis ineſſe; aut ſi eadem foret, tunc etiam brachium vel pes *ratiocinaretur*, ſicut cerebrum. R. N. C. Etenim jam antea dictum eſt, quod eadem anima, quæ *rationalis* eſt, ſit ſimul *ſenſitiva*, & hinc, quamvis mens in pede aut brachio non *ratiocinetur*, ex defectu diſpoſitionum, vere tamen ibidem *ſentit*. Dein Retorq. Eadem anima,

in uno eodemque cerebro, diverſas elicit ratiocinationes; & tamen *una* ſolummodo eſt, nec tot ab ullo admittuntur animæ, quot ſunt genera *cognitionum*: ergo etiam aliarum operationum diverſitas non exigit neceſſario diverſum *eſſentialiter* principium.

ARTICULUS III.

An ex ratione demonſtrari poſſit, animam rationalem ex natura ſua eſſe immortalem?

Præſentis quæſtiõis utilitas, atque præſtantia.

CCCXCIV. Nulla profecto, ut præclare monet Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 57. in univerſa philoſophia habetur quæſtio, in qua Divini Numinis colendi, timendique ratio fortius evincatur, quam eſt iſta præſens, in qua de animæ immortalitate diſſeritur; nullaque eſt, quæ ad definiendum ſummum hominis bonum, ejusque mores conformandos, recteque inſtituendos, faciat magis, uberiusque pertineat; nam, ut egregie probat Doctiſſimus Melchior Canus *de Loc. Theol. c. ult.* "Theologia, „qua ratione effectrix eſt, agendi mu-

„neri

„neri incumbit, illa duo habet prima-
„ria fundamenta, *Deum eſſe hominis &*
„*principium & finem*, *atque adeo procu-*
„*ratorem*, *eſſeque* item *animorum perpe-*
„*tuam vitam*, *in qua remunerator Deus*
„*ſit inquirentium ſe*, quæ niſi fidelis pe-
„nitus habeat infixa, & in animo quaſi
„inſculpta, non dico, media & finem
„conſequi felicitatis ſuæ, ſed ne ad
„Deum quidem accedere poteſt, ut
„ab eo media finemque requirat, - -
„prima autem cujusque diſciplinæ prin-
„cipia, tanquam *notiſſimæ* anticipationes
„ſupponi debent.„ Hinc etiam Jure merito omnibus Philoſophiæ Profeſſoribus Lateranenſe Concilium V, ſub Julio II, & Leone X. celebratum, ſerio præcepit, ut in demonſtrandam humanæ mentis immortalitatem diligentius, quoad fieri poſſet, incumberent, atque hanc, ex præcipuis Chriſtianæ Religionis veritatibus unam, non *auctoritate* ſolum, verum etiam *naturali ratione*, pro viribus ſtabilirent. Nempe ſub illud tempus quidam in Academia Bononienſi Philoſophiæ Profeſſor, *Petrus Pomponatius* nomine, Leucippi & Epicuri haud dubie fallaciis deceptus, circa annum 1513., publice docere, ſuisque diſcipulis perſuadere non

„his ad illos, a quibus eſſent profecti, „reditum facilem patere.„ 5. Plato de animæ immortalitate, teſte eodem Tullio *ibidem c. 21. tot rationes attulit, ut velle cæteris, ſibi certe perſuaſiſſe videatur.* Ferturque, ut habet S. Augustinus *l. 1. de Civ. DEI c. 22. quemdam Ambraciotam Cleombrotum, lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ diſputavit, ſe præcipitem dediſſe de muro, atque ex hac vita migraſſe ad eam, quam credidit eſſe meliorem.* Simile quid etiam de Catone Romano, ſibi ipſi, dum a Julio Cæſare obſidebatur, viſcera transfodiente refertur. 6. Tullius denique, de quo paulo poſt. (CDVI.)

Ariſtoteles circa animæ immortalitatem fuit dubius.

Porro quid Aristoteles, circa animæ continuam durationem, ſenſerit? plane non conſtat; nam, ut habet Doctor Subtilis. 4. *ſent. diſt.* 43. *q.* 2. §. *poteſt dici.* "Varie loquitur in diverſis locis, & habuit diverſa principia, „in quorum aliquibus videtur ſequi „unum oppoſitum, in aliis aliud. Unde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, & „nunc magis accedere ad unam partem, „nunc ad aliam, juxta hoc, quod tractabat materiam conſonam uni parti, „magis quam alteri.„ Idipſum de Ariſto-

ſtotele opinatur Cl. Melchior Canus *de loc. Theol. cap. ult.* ubi ait, *non eſſe probabile, eum, in tanta varietate & inconſtantia, certam, exploratamque animæ immortalitatem habuiſſe.* Idem dudum quoque S. Juſtinus M., uterque Gregorius (Nyſſenus nempe, & Nazianzenus) aliique non pauci, de Ariſtotele judicaverant, tum quia ille *Eth. l. 1. c. 10.* Solonem reprehendiſſe videtur, quod aſſeruerit, *poſt mortem veram ſupereſſe hominis beatitudinem*; unde & ibi deplorat *brevem hominis felicitatem*, & opes ac divitias, tanquam *felicitatis adjumenta*, requirit: tum quia de hominis *anima poſt mortem* nec ullum in eo verbum reperitur; non eſt autem credibile, eum, ſi exiſtimaret, animam eſſe re ipſa *immortalem*, nec de *modo*, quo *intelligeret* ſeparata, nec de ejus *felicitate*, quidquam vel breviter perſtricturum. Tum denique quia ibidem *l. 3. c. 6.* expreſſe ait, *nihil amplius homini mortuo contingere, neque bonum, neque malum.* Ex adverſo opinantur alii, (quos inter etiam ſunt Doctor Angelicus *l. 2. contra gentes c.* 79. & Albertus Magnus *l. 2. de anima c.* 20.) Stagyritam cum Platone, aliisque magnis Philoſophis, circa hanc de animæ im-

nire. R. Tr. A. Quia, ut in *Phyſica* dicetur, tam *gravitas*, quam *Elaſticitas formalis* a modernis philoſophis, longe pluribus, in principio quodam *extrinſeco* collocatur; *attractio* vero Newtoniana omnino inter *qualitates* Peripateticorum *occultas* ablegatur. N. C. *Diſpar.* habetur ex ipſo *ſenſu intimo*, nullus enim ſibi unquam perſuadere voluit, aut potuit, quod v. g. lapis, uti *ex ſe* deorſum tendere videtur, ſic etiam *cogitare*, aut objecta non minus *immaterialia*, quam *ſenſibilia*, appetere, vel averſari queat, ex quo ſequitur, quod neque aliud quodcunque *corpus*, utut etiam perfectiſſimum aut ſubtiliſſimum, poſſit cognoſcere *inſenſibilia*, ac *immaterialia*, & quidem tam per actus *directos*, quam *reflexos*, tam per *apprehenſionem*, quam per *judicium*, & *diſcurſum* &c. Dein licet etiam corporibus ineſſe dicantur *vires* quædam *activæ*, nequeunt ſe tamen iſtæ ad *operationes immateriales* extendere, ne *effectus* fiant toto genere nobiliores, quam ſint *cauſæ*.

Inſt. 3. Si animæ cogitatio, qua v. g. cognoſcit lapidem materialem, cognoſceret per ideas ſpirituales, iſta *cognitio*,

tiò, tanquam *effectus*, longe excederet ſuum *objectum*, ſeu *cauſam*, imò toto genere, is foret nobilior: atqui hoc nequit admitti: (CCXLVIII.) ergo nec id, unde ſequitur. R. 1. *Retorq.* De cognitione *angelica*, quæ juxta omnes eſt *ſpiritualis*, & tamen, ut omnes pariter concedunt, fertur ad objecta quoque *materialia*. R. 2. N. *Suppoſitum*, quod objectum ſit *cauſa* cognitionis; ſolus enim *intellectus* eſt adæquata *cauſa* cognitionis; objectum vero eſt *terminus*, ad quem terminatur cognitio; vel, ſi mavis, eſt *materia*, *circa quam* intellectûs operatio occupatur: cum igitur intellectus ſit potentia, mere *ſpiritualis* animæ, (CCCLXXXIV.) & quidem *activa*, ſufficienti aptitudine gaudet ad *ſpirituales* ideas materialibus objectis, ſaltem *in repræſentando* ſimiles, efficiendas, tanquam actus ſibi *proportionatos*, ut paulo inferius magis declarabitur.

Ob. 4. Mens humana eſt *diviſibilis*: ergo non eſt *ſpiritualis*. P. A. Mens humana concipit objecta diviſibilia, quorum puncta ſingula profecto terminari nequeunt in indiviſibili puncto: ergo eſt diviſibilis. R. N. A. Ad *prob.* — Mens humana non eſt in partes diviſibilis.

N.

N. C. nam; licet in eodem puncto indiviſibili *materiæ* alia puncta corporalia nequeant *penetrari*, poteſt tamen mens *ſpiritualis* penetrari cum pluribus punctis, eo ipſo quod non ſit *impenetrabilis*, ſicut corpus. *Dein.* N. *Suppoſ.* quod ſingula objecti cognoſcendi puncta terminari debeant in *indiviſibili puncto;* licet enim mens humana diviſibilitate ex natura ſua careat, poteſt tamen per *exiſtentiam* ſuam *definitivam*, (CCCXLVIII.) quam habet, ſpatium *diviſibile* occupare, æque ac *Angelus*, qui itidem non ſemper ac neceſſario in ſpatio *indiviſibili* exiſtit. Nec tamen propterea Angelus aut anima *replicantur*, quia non exiſtunt ſimul in pluribus locis adæquatis *interruptis*, ut in materia de *replicatione* dictum eſt. (CCCXLVIII.)

Inſt. 1. In minimo ac indiviſibili ſpeculi puncto nequit repræſentari diſtincta imago v. g. Sylvæ aut montis: ergo nec in mente *indiviſibili* id fieri poteſt. R. N. C. In priore enim caſu partes imaginis corporeæ deberent *compenetrari;* cum habeant exiſtentiam *circumſcriptivam*, & quantitativam; non autem in poſteriori, propter exiſtentiam

tiam

tiam animæ *definitivam.* Dein *mens* in operando non dependet unice ab *objecto* externo, ſicut *imago* in ſpeculo expreſſa a *ſpeciebus* extrinſecis dependet; poteſt enim illa præter ideas *adventitias* ex propria virtute cudere *factitias*, depurando priores *materiales*, per actum *judicativum* & *reflexivum* &c. Denique *inverto argum.* poteſt in *exiguo* ſpeculi *ſpatio* integra Sylva, aut Mons, diſtincte repræſentari: ergo multo magis in anima noſtra, quæ eſt *Divinitatis* quædam *imago*, diverſa objecta diviſibilia ac indiviſibilia exprimi valent, prout & in mente Divina, omnis certe diviſibilitatis experte, diſtinctiſſime relucent.

Inſt. 2. Caput humanum a trunco reſectum ſæpe adhuc modice ſubſultat, aut labia movet: ergo aliqua animæ pars in eo ſuperſtes exiſtit. 2. Pede aut brachio avulſis, majus plerumque robur ſentitur in altero: ergo ſignum eſt, quod illa animæ pars, quæ prius illud membrum informabat, in alterum retroceſſerit, & conſequenter anima eſt diviſibilis. 3. *Acta Patrum Trevoltienſium ad ann.* 1712. *tom.* 1. *Jan.* Referunt, Bononiæ fuiſſe Chirurgum

quemdam, cui nomen Tagliacotti, is quibusdam, nasô mutilatis, alias nares, ex carne de brachio hominis optime valentis ac vegeti avulſa, ac tempore verno faciei læſæ applicata, ea dexteritate ſubſtituit, ut faciei accreverint, & vere vixerint: atqui hoc per priorem animam *indiviſibilem* fieri non potuit: ergo per animæ *partem*, in carne revulſa adhuc *reſiduam*. R. N. C. Nam ad 1*mum*. Motus illi: utpote valde inordinati ac minus diuturni, facile adſcribi poſſunt *ſpiritibus animalibus*, adhuc in capite per modicum tempus reſiduis; aut ex illorum defectu, ſiccatis nervis, *ex conſequenti*, labia oculive poſſunt contrahi. Ad 2*dum*. Robur novum pariter oriri poteſt ex majore copia *ſpirituum vitalium*, minus diffuſorum, non autem ex animæ partialis *regreſſu*, quia hæc tunc ſolummodo *ceſſat* exiſtere in pede amputato, & non incipit informare partem, in qua antea non extitit, nec de loco in locum proprie movetur in corpore, cum partes non habeat, ſed *totum* ſimul occupat corpus, tanquam locum *continuum*. Ad 3*tium*. Iidem ipſi PP. *Trevoltienſes* nimiæ credulitatis arguunt inſolentium hujusmodi curatio-

num

num narratorem D. *Garmanni*, Regis Poloniæ Archiatrum: quin & hic ipſe ibidem fatetur, nares haſce ita *corruptionem* ſubiiſſe, ut non raro ſua ſponte delapſæ ſint, tunc maxime, ſi homo ille, e cujus brachio caro abſciſſa fuit, mortem oppetiſſet. Cæterum quod anima brachii, quoad aliquam ſui partem, in naſum adſcititium non migraverit, inde patet; quia ſecus in eodem homine *duplex* anima fuiſſet: itaque, ſi fides illis curationibus ſit adhibenda, rurſum per *ſpiritus vitales*, tum in abſciſſa carne relictos, tum e patientis corpore in poros aſſuti naſi egredientes, ſuamque circulationem ordinate efficientes, explicari debet.

Inſt. 3. Anima aliter longe operatur in pede v. g. aut brachio, quam in cerebro: ergo eadem *indiviſibilis* animæ entitas nequit ſingulis ineſſe; aut ſi eadem foret, tunc etiam brachium vel pes *ratiocinaretur*, ſicut cerebrum. R. N. C. Etenim jam antea dictum eſt, quod eadem anima, quæ *rationalis* eſt, ſit ſimul *ſenſitiva*, & hinc, quamvis mens in pede aut brachio non *ratiocinetur*, ex defectu diſpoſitionum, vere tamen ibidem *ſentit*. Dein Retorq. Eadem anima,

in uno eodemque cerebro, diverſas elicit ratiocinationes; & tamen *una* ſolummodo eſt, nec tot ab ullo admittuntur animæ, quot ſunt genera *cognitionum*: ergo etiam aliarum operationum diverſitas non exigit neceſſario diverſum *eſſentialiter* principium.

ARTICULUS III.

An ex ratione demonſtrari poſſit, animam rationalem ex natura ſua eſſe immortalem?

Præſentis quæſtiõis utilitas, atque præſtantia.

CCCXCIV. Nulla profecto, ut præclare monet Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 57. in univerſa philoſophia habetur quæſtio, in qua Divini Numinis colendi, timendique ratio fortius evincatur, quam eſt iſta præſens, in qua de animæ immortalitate diſſeritur; nullaque eſt, quæ ad definiendum ſummum hominis bonum, ejusque mores conformandos, recteque inſtituendos, faciat magis, uberiusque pertineat; nam, ut egregie probat Doctiſſimus Melchior Canus *de Loc. Theol. c. ult.* "Theologia, „qua ratione effectrix eſt, agendi mu-

„neri

„neri incumbit, illa duo habet prima„ria fundamenta, *Deum eſſe hominis & „principium & finem*, atque adeo *procu„ratorem*, *eſſeque* item *animorum perpe„tuam vitam, in qua remunerator Deus „ſit inquirentium ſe*, quæ niſi fidelis pe„nitus habeat infixa, & in animo quaſi „inſculpta, non dico, media & finem „conſequi felicitatis ſuæ, ſed ne ad „Deum quidem accedere poteſt, ut „ab eo media finemque requirat, - - „prima autem cujusque diſciplinæ prin„cipia, tanquam *notiſſimæ* anticipationes „ſupponi debent.„ Hinc etiam Jure merito omnibus Philoſophiæ Profeſſoribus Lateranenſe Concilium V, ſub Julio II, & Leone X. celebratum, ſerio præcepit, ut in demonſtrandam humanæ mentis immortalitatem diligentius, quoad fieri poſſet, incumberent, atque hanc, ex præcipuis Chriſtianæ Religionis veritatibus unam, non *auctoritate* ſolum, verum etiam *naturali ratione*, pro viribus ſtabilirent. Nempe ſub illud tempus quidam in Academia Bononienſi Philoſophiæ Profeſſor, *Petrus Pomponatius* nomine, Leucippi & Epicuri haud dubie fallaciis deceptus, circa annum 1513., publice docere, ſuisque diſcipulis perſuadere non

erubuit, animas *Theologice* quidem (id eſt juxta S. Script. textus, fideique conſtituta,) eſſe *immortales; philoſophice* vero (id eſt ſecundum ſolam *rationem naturalem*) *mortales* exiſtere: hunc ergo perniciofiſſimum errorem ut prorſus eliminaret S. illa Synodus, a Leone X. Bulla, quæ incipit: *Apoſtolici regiminis*, edita eſt, ſequentis tenoris damnationem continens: *hoc ſacro Concilio approbante damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe.*

Animam eſſe immortalem Ethnici Philoſophi non pauci agnovere.

CCCXCV. Animam humanam cum corpore non interituram, ſed potius in æternum duraturam Ethnici quoque Philoſophi quam plurimi, ſolo naturali lumine ducti, palam agnovere; nam 1. teſte Laertio, *in vita Thaletis*, Magnus hic græciæ Sophus, THALES nempe MILESIUS omnium primus fuit, qui eam ſententiam aliis perſuadere ſummopere conabatur. 2. PYTHAGORAS, cum hac ſuper re Pherecydem, quemdam Thaletis aſſeclam, verba facientem, quodam tempore auſcultaſſet, ex Athleta, ut ſcribit S. AUGUSTINUS. *Epiſt.* 137. *ad Voluſ.* Philoſophus factus, id ipſum de animæ immortalitate continuo ſenſit, quamvis

in

in eo erraverit, quod animarum *transmigrationem* de uno corpore in aliud (de qua poſtea) crediderit. 3. Pythagoræ, ac Pherecydis ſententiæ, quod anima ſit immortalis, ultro quoque ſubſcripſere famoſus ille TRISMEGISTUS, ZOROASTES, ANAXAGORAS, aliique pene innumeri, ex quibus principem haud dubie locum merentur ſequentes. Nempe 4. SOCRATES; is enim, ut de eo ſcribit Tullius *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 30. „cum pene manu jam mortiferum il„lud teneret poculum (*ab ingratis* „*enim popularibus ſuis ad mortem dam*„*natus, cicutam haurire compulſus eſt*) „locutus ita eſt, ut non ad mor„tem trudi, verum in cœlum vi„deretur aſcendere. Ita enim cenſe„bat, itaque diſſeruit; duas eſſe vias, „duplicesque curſus animorum, e cor„pore excedentium. Nam qui ſe „humanis vitiis contaminaviſſent, & „ſe totos libidinibus dediſſent, - - „iis devium quoddam iter eſſe, ſeclu„ſum a Concilio Deorum; qui autem „ſe integros caſtosque ſervaviſſent, „quibusque fuiſſet minima cum corpo„ribus contagio, ſeſeque ab iis ſemper „ſevocaſſent, eſſentque in corpori„bus humanis vitam imitati Deorum,

„ his ad illos, a quibus eſſent profecti, „ reditum facilem patere. „ 5. PLATO de animæ immortalitate, teſte eodem Tullio *ibidem* c. 21. *tot rationes attulit, ut velle cæteris, ubi certe perſuaſiſſe videatur.* Ferturque, ut habet S. AUGUSTINUS *l.* 1. *de Civ. DEI c.* 22. *quemdam Ambraciotam Cleombrotum, lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ diſputavit, ſe præcipitem dediſſe de muro, atque ex hac vita migraſſe ad eam, quam credidit eſſe meliorem.* Simile quid etiam de CATONE Romano, ſibi ipſi, dum a Julio Cæſare obſidebatur, viſcera transfodiente refertur. 6. Tullius denique, de quo paulo poſt. (CDVI.)

Ariſtoteles circa animæ immortalitatem fuit dubius. Porro quid ARISTOTELES, circa animæ continuam durationem, ſenſerit? plane non conſtat; nam, ut habet DOCTOR SUBTILIS. 4. *ſent. diſt.* 43. *q.* 2. §. *poteſt dici.* "Varie loquitur in diverſis locis, & habuit diverſa principia, „ in quorum aliquibus videtur ſequi „ unum oppoſitum, in aliis aliud. Unde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, & „ nunc magis accedere ad unam partem, „ nunc ad aliam, juxta hoc, quod tractabat materiam conſonam uni parti, „ magis quam alteri. „ Idipſum de Ariſto-

ſtotele opinatur Cl. Melchior Canus *de loc. Theol. cap. ult.* ubi ait, *non eſſe probabile, eum, in tanta varietate & inconſtantia, certam, exploratamque animæ immortalitatem habuiſſe.* Idem dudum quoque S. Juſtinus M., uterque Gregorius (Nyſſenus nempe, & Nazianzenus) aliique non pauci, de Ariſtotele judicaverant, tum quia ille *Eth. l. 1. c. 10.* Solonem reprehendiſſe videtur, quod aſſeruerit, *poſt mortem veram ſupereſſe hominis beatitudinem*; unde & ibi deplorat *brevem hominis felicitatem*, & opes ac divitias, tanquam *felicitatis adjumenta*, requirit: tum quia de hominis *anima poſt mortem* nec ullum in eo verbum reperitur; non eſt autem credibile, eum, ſi exiſtimaret, animam eſſe re ipſa *immortalem*, nec de *modo*, quo *intelligeret* ſeparata, nec de ejus *felicitate*, quidquam vel breviter perſtricturum. Tum denique quia ibidem *l. 3. c. 6.* expreſſe ait, *nihil amplius homini mortuo contingere, neque bonum, neque malum.* Ex adverſo opinantur alii, (quos inter etiam ſunt Doctor Angelicus *l. 2. contra gentes c.* 79. & Albertus Magnus *l. 2. de anima c.* 20.) Stagyritam cum Platone, aliiſque magnis Philoſophis, circa hanc de animæ

monſtrare, CAJETANUS quoque, citatus a Cl. MELCHIORE CANO *de loc. Theol. l.* 12. *c.* 14., *ſe credere quidem* ait, *animam rationalem incorruptibilem* (immortalem) *exiſtere*, *at neſcire tamen.* Me quod attinet, monitis Concilii Lateranenſis (CCCXCIV.) pro viribus obſequens, ad iſtam principalem *Chriſtianæ* Religionis veritatem, per rationes etiam *naturales* demonſtrandam, accuratius non nihil incumbam. Itaque

Incorruptibile ex natura ſua. CCCXCVII. *Intrinſece*, ſive *ex natura ſua incorruptibile* dicitur illud, quod *non niſi per annihilationem perire poteſt*, & ideo, quia ſolus DEUS, ſicut *creare*, ita & *annihilare* valet, ejusmodi entis, intrinſece incorruptibilis, non datur *in rerum natura* principium deſtructivum, adeoque ipſum vere *ex natura ſua* (abſtrahendo ſcilicet a DEI, illud *annihilare* valentis, potentia) *incorruptibile* exiſtit: ſi quid vero ſit hujusmodi, ut ipſum perire *omnino* quoque *repugnet*, non ſolum *intrinſece*, ſed etiam *extrinſece incorruptibile* dicitur, prout eſt ſolus DEUS T. O. M.; entia vero *ſimplicia* tantum *intrinſece*, non autem *extrinſece*, incorruptibilia ſunt. (CCXVII.)

Extrinſece incorruptibile.

(CCXVII.) Unde & incorruptibilia *ſecundum quid* appellari ſolent, Deus autem *ſimpliciter incorruptibilis* denominatur.

CCCXCVIII. *Intrinſece*, ſive *ex natura ſua immortale*, illud vivens dicitur, *quod naturæ viribus nequit vitâ privari*, ſeu quod naturæ viribus eo pervenire nequit, ut nullam amplius valeat *vitæ functionem* exercere: adeoque hoc prædicatum τὸ *immortale* ſolis *viventibus* competit, *inanimata* vero, etſi poſſint eſſe *incorruptibilia*, (n. præc.) quia tamen vitâ, quâ carent, privari nequeunt, *immortalia* dicenda non ſunt, & conſequenter omne quidem *immortale* eſt *incorruptibile;* quia, ſi *corruptibile* eſſet, poſſet naturæ viribus *deſtrui*, ſicque etiam vitâ privari, quod repugnat: non tamen econtra *omne incorruptibile eſt immortale*, quia, ſi etiam ponatur, quod ſit *vivens*, (ut de *animabus brutorum* quidam ex modernis Philoſophis docent) poteſt tamen ſimul in vitæ functionibus exercendis *a corruptibili intrinſece dependere*, & ob hanc cauſam naturaliter eo pervenire, ut *vitaliter operari* non amplius poſſit; nam ſi id corrumpatur, a quo in

Immortale ex natura ſua.

quemdam, cui nomen Tagliacotti, is quibusdam, nasô mutilatis, alias nares, ex carne de brachio hominis optime valentis ac vegeti avulſa, ac tempore verno faciei læſæ applicata, ea dexteritate ſubſtituit, ut faciei accreverint, & vere vixerint: atqui hoc per priorem animam *indiviſibilem* fieri non potuit: ergo per animæ *partem*, in carne revulſa adhuc *reſiduam*. R. N. C. Nam ad 1*mum.* Motus illi: utpote valde inordinati ac minus diuturni, facile adſcribi poſſunt *ſpiritibus animalibus*, adhuc in capite per modicum tempus reſiduis; aut ex illorum defectu, ſiccatis nervis, *ex conſequenti*, labia oculive poſſunt contrahi. Ad 2*dum.* Robur novum pariter oriri poteſt ex majore copia *ſpirituum vitalium*, minus diffuſorum, non autem ex animæ partialis *regreſſu*, quia hæc tunc ſolummodo *ceſſat* exiſtere in pede amputato, & non incipit informare partem, in qua antea non extitit, nec de loco in locum proprie movetur in corpore, cum partes non habeat, ſed *totum* ſimul occupat corpus, tanquam locum *continuum*. Ad 3*tium.* Iidem ipſi PP. *Trevoltienſes* nimiæ credulitatis arguunt inſolentium hujusmodi curatio-

num

nûm narratorem D. *Garmanni*, Regis Poloniæ Archiatrum: quin & hic ipſe ibidem fatetur, nares haſce ita *corruptionem* ſubiiſſe, ut non raro ſua ſponte delapſæ ſint, tunc maxime, ſi homo ille, e cujus brachio caro abſciſſa fuit, mortem oppetiſſet. Cæterum quod anima brachii, quoad aliquam ſui partem, in naſum adſcititium non migraverit, inde patet; quia ſecus in eodem homine *duplex* anima fuiſſet: itaque, ſi fides illis curationibus ſit adhibenda, rurſum per *ſpiritus vitales*, tum in abſciſſa carne relictos, tum e patientis corpore in poros aſſuti naſi egredientes, ſuamque circulationem ordinate efficientes, explicari debet.

Inſt. 3. Anima aliter longe operatur in pede v. g. aut brachio, quam in cerebro: ergo eadem *indiviſibilis* animæ entitas nequit ſingulis ineſſe; aut ſi eadem foret, tunc etiam brachium vel pes *ratiocinaretur*, ſicut cerebrum. R. N. C. Etenim jam antea dictum eſt, quod eadem anima, quæ *rationalis* eſt, ſit ſimul *ſenſitiva*, & hinc, quamvis mens in pede aut brachio non *ratiocinetur*, ex defectu diſpoſitionum, vere tamen ibidem *ſentit*. Dein Retorq. Eadem anima,

in uno eodemque cerebro, diverſas elicit ratiocinationes; & tamen *una* ſolummodo eſt, nec tot ab ullo admittuntur animæ, quot ſunt genera *cognitionum*: ergo etiam aliarum operationum diverſitas non exigit neceſſario diverſum *eſſentialiter* principium.

ARTICULUS III.

An ex ratione demonſtrari poſſit, animam rationalem ex natura ſua eſſe immortalem?

Præſentis quæſtiõis utilitas, atque præſtantia.

CCCXCIV. Nulla profecto, ut præclare monet Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 57. in univerſa philoſophia habetur quæſtio, in qua Divini Numinis colendi, timendique ratio fortius evincatur, quam eſt iſta præſens, in qua de animæ immortalitate diſſeritur; nullaque eſt, quæ ad definiendum ſummum hominis bonum, ejusque mores conformandos, recteque inſtituendos, faciat magis, uberiusque pertineat; nam, ut egregie probat Doctiſſimus Melchior Canus *de Loc. Theol. c. ult.* "Theologia, „qua ratione effectrix eſt, agendi mu-

„ neri incumbit, illa duo habet prima-
„ ria fundamenta, *Deum eſſe hominis &*
„ *principium & finem, atque adeo procu-*
„ *ratorem, eſſeque* item *animorum perpe-*
„ *tuam vitam, in qua remunerator Deus*
„ *ſit inquirentium ſe*, quæ niſi fidelis pe-
„ nitus habeat infixa, & in animo quaſi
„ inſculpta, non dico, media & finem
„ conſequi felicitatis ſuæ, ſed ne ad
„ Deum quidem accedere poteſt, ut
„ ab eo media finemque requirat, - -
„ prima autem cujusque diſciplinæ prin-
„ cipia, tanquam *notiſſimæ* anticipationes
„ ſupponi debent.„ Hinc etiam Jure merito omnibus Philoſophiæ Profeſſoribus Lateranenſe Concilium V, ſub Julio II, & Leone X. celebratum, ſerio præcepit, ut in demonſtrandam humanæ mentis immortalitatem diligentius, quoad fieri poſſet, incumberent, atque hanc, ex præcipuis Chriſtianæ Religionis veritatibus unam, non *auctoritate* ſolum, verum etiam *naturali ratione*, pro viribus ſtabilirent. Nempe ſub illud tempus quidam in Academia Bononienſi Philoſophiæ Profeſſor, *Petrus Pomponatius* nomine, Leucippi & Epicuri haud dubie fallaciis deceptus, circa annum 1513., publice docere, ſuisque diſcipulis perſuadere non

erubuit, animas *Theologice* quidem (id eſt juxta S. Script. textus, fideique conſtituta,) eſſe *immortales; philoſophice* vero (id eſt ſecundum ſolam *rationem naturalem*) *mortales* exiſtere: hunc ergo perniicioſiſſimum errorem ut prorſus eliminaret S. illa Synodus, a Leone X. Bulla, quæ incipit: *Apoſtolici regiminis*, edita eſt, ſequentis tenoris damnationem continens: *hoc ſacro Concilio approbante damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe.*

Animam eſſe immortalem Ethnici Philoſophi non pauci agnovere.

CCCXCV. Animam humanam cum corpore non interituram, ſed potius in æternum duraturam Ethnici quoque Philoſophi quam plurimi, ſolo naturali lumine ducti, palam agnovere; nam 1. teſte Laertio, *in vita Thaletis*, Magnus hic græciæ Sophus, Thales nempe Milesius omnium primus fuit, qui eam ſententiam aliis perſuadere ſummopere conabatur. 2. Pythagoras, cum hac ſuper re Pherecydem, quemdam Thaletis aſſeclam, verba facientem, quodam tempore auſcultaſſet, ex Athleta, ut ſcribit S. Augustinus. *Epiſt.* 137. *ad Voluſ.* Philoſophus factus, id ipſum de animæ immortalitate continuo ſenſit, quamvis in

in eo erraverit, quod animarum *transmigrationem* de uno corpore in aliud (de qua poſtea) crediderit. 3. Pythagoræ, ac Pherecydis ſententiæ, quod anima ſit immortalis, ultro quoque ſubſcripſere famoſus ille TRISMEGISTUS, ZOROASTES, ANAXAGORAS, aliique pene innumeri, ex quibus principem haud dubie locum merentur ſequentes. Nempe 4. SOCRATES; is enim, ut de eo ſcribit Tullius *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 30. „cum pene manu jam mortiferum il- „lud teneret poculum (*ab ingratis* „*enim popularibus ſuis ad mortem dam-* „*natus, cicutam haurire compulſus eſt*) „locutus ita eſt, ut non ad mor- „tem trudi, verum in cœlum vi- „deretur aſcendere. Ita enim cenſe- „bat, itaque diſſeruit; duas eſſe vias, „duplicesque curſus animorum, e cor- „pore excedentium. Nam qui ſe „humanis vitiis contaminaviſſent, & „ſe totos libidinibus dediſſent, - - „iis devium quoddam iter eſſe, ſeclu- „ſum a Concilio Deorum; qui autem „ſe integros caſtosque ſervaviſſent, „quibusque fuiſſet minima cum corpo- „ribus contagio, ſeſeque ab iis ſemper „ſevocaſſent, eſſentque in corpori „bus humanis vitam imitati Deorum,

„ his ad illos, a quibus eſſent profecti, „ reditum facilem patere. „ 5. PLATO de animæ immortalitate, teſte eodem Tullio *ibidem* c. 21. *tot rationes attulit, ut velle cæteris, ubi certe perſuaſiſſe videatur*. *Ferturque*, ut habet S. AUGUSTINUS *l.* 1. *de Civ. DEI c.* 22. *quemdam Ambraciotam Cleombrotum, lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ diſputavit, ſe præcipitem dediſſe de muro, atque ex hac vita migraſſe ad eam, quam credidit eſſe meliorem.* Simile quid etiam de CATONE Romano, ſibi ipſi, dum a Julio Cæſare obſidebatur, viſcera transfodiente refertur. 6. Tullius denique, de quo paulo poſt. (CDVI.)

Ariſtoteles circa animæ immortalitatem fuit dubius.

Porro quid ARISTOTELES, circa animæ continuam durationem, ſenſerit? plane non conſtat; nam, ut habet DOCTOR SUBTILIS. 4. *ſent. diſt.* 43. *q.* 2. §. *poteſt dici.* "Varie loquitur in diverſis locis, & habuit diverſa principia, „ in quorum aliquibus videtur ſequi „ unum oppoſitum, in aliis aliud. Unde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, & „ nunc magis accedere ad unam partem, „ nunc ad aliam, juxta hoc, quod tractabat materiam conſonam uni parti, „ magis quam alteri. „ Idipſum de Ariſto-

ſtotele opinatur Cl. MELCHIOR CANUS *de loc. Theol. cap. ult.* ubi ait, *non eſſe probabile, eum, in tanta varietate & inconſtantia, certam, exploratamque animæ immortalitatem habuiſſe.* Idem dudum quoque S. Juſtinus M., uterque Gregorius (Nyſſenus nempe, & Nazianzenus) aliique non pauci, de Ariſtotele judicaverant, tum quia ille *Eth. l.* 1. *c.* 10. Solonem reprehendiſſe videtur, quod aſſeruerit, *poſt mortem veram ſupereſſe hominis beatitudinem*; unde & ibi deplorat *brevem hominis felicitatem*, & opes ac divitias, tanquam *felicitatis adjumenta*, requirit: tum quia de hominis *anima poſt mortem* nec ullum in eo verbum reperitur; non eſt autem credibile, eum, ſi exiſtimaret, animam eſſe re ipſa *immortalem*, nec de *modo*, quo *intelligeret* ſeparata, nec de ejus *felicitate*, quidquam vel breviter perſtricturum. Tum denique quia ibidem *l.* 3. *c.* 6. expreſſe ait, *nihil amplius homini mortuo contingere, neque bonum, neque malum.* Ex adverſo opinantur alii, (quos inter etiam ſunt DOCTOR ANGELICUS *l.* 2. *contra gentes c.* 79. & ALBERTUS MAGNUS *l.* 2. *de anima c.* 20.) Stagyritam cum Platone, aliisque magnis Philoſophis, circa hanc de animæ

immortalitate ſententiam aperte ſenſiſſe, idque eruere volunt ex ejusdem Ariſtotelis *l.* 2. *de gener. animal. c.* 3. ubi docet, *mentem hominis non in ſeminis virtute eſſe, ut reliquas animas, ſed extrinſecus advenire.* Quodſi ergo non *educitur* de potentia materiæ, nec a *generante* homine, certe ſubſiſtens eſt, nec a materia dependet &c. Teſtatur inſuper Cœlius Rhodiginius, citatus a Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 60. quod Ariſtoteles, cum extremum ſibi diem imminere præſenſiſſet, dolore ac ſpe in lacrymas effuſus, *primæ cauſæ* miſericordiam intenſius imploraverit, & ſcholaſticos, qui morienti aderant Magiſtro ſuo, cum is jam exſpiraſſet, ſic ei eſſe precatos: *qui philoſophorum animas excipit, & tuam colligat, in ſuis recondens theſauris, uti animam addecet recti hominis, & perfecti, qualem te novimus.* Quæ certe non dixiſſent, ſi Ariſtotelem credidiſſent de animæ poſt mortem duratione contrarium ſenſiſſe. Ex hiſce igitur omnibus patet, quod Doctor Subtilis, mox citatus, veriſſime ſcripſerit, *dubium eſſe, quid philoſophus* circa animæ *immortalitatem* ſenſerit?

CCCXCVI.

CCCXCVI. Moderni equidem Philoſophi omnes ex *fide* certum eſſe tenent, animas noſtras, e corpore egreſſas, non interire, ſed *immortales* exiſtere, prout ipſamet æterna veritas Chriſtus Dominus in S. Evangelio maniſeſte edocuit, *Math. c.* 10. *v.* 28. dicens: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et Joan. 12. v. 25. *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam* ÆTERNAM *cuſtodit eam.* Accedit quoque ſupra citata Concilii Lateranenſis definitio, (CCCXCIV.) quia tamen exinde nondum ſequitur, hanc de *immortalitate* animæ ſententiam eſſe *evidentem;* (nam certitudo *fidei*, tametſi *metaphyſica* ſit & ſumma, per ſe tamen haud infert *evidentiam*, utpote quæ ſoli *ſcientiæ*, tanquam cognitioni, per *demonſtrationem* partæ, competit. (Log. *fol.* 725.) Hinc litem nonnulli movent, num anima hominis, non tantum *certo*, ſed etiam *evidenter*, atque *ex natura ſua*, ſit immortalis? ſententiam *affirmativam* plerique tuentur: at vero DOCTOR SUBTILIS in partem *negantem* propendet, argumentaque pure *naturalia*, in demonſtrationem allata, probabiliter quidem *ſuadere* inquit, non neceſſario *de-*

Status quæſtionis.

mon-

monſtrare, Cajetanus quoque, citatus a Cl. Melchiore Cano *de loc. Theol. l.* 12. *c.* 14., *ſe credere quidem* ait, *animam rationalem incorruptibilem* (immortalem) *exiſtere, at neſcire tamen.* Me quod attinet, monitis Concilii Lateranenſis (CCCXCIV.) pro viribus obſequens, ad iſtam principalem *Chriſtianæ* Religionis veritatem, per rationes etiam *naturales* demonſtrandam, accuratius non nihil incumbam. Itaque

Incorruptibile ex natura ſua. CCCXCVII. *Intrinſece*, ſive *ex natura ſua incorruptibile* dicitur illud, quod *non niſi per annihilationem perire poteſt*, & ideo, quia ſolus Deus, ſicut *creare*, ita & *annihilare* valet, ejusmodi entis, intrinſece incorruptibilis, non datur *in rerum natura* principium deſtructivum, adeoque ipſum vere *ex natura ſua* (abſtrahendo ſcilicet a Dei, illud *annihilare* valentis, potentia) *incorruptibile* exiſtit: ſi quid vero ſit hujusmodi, ut ipſum perire *omnino* quoque *repugnet*, non ſolum *intrinſece*, ſed etiam *extrinſece incorruptibile* dicitur, prout eſt ſolus Deus T. O. M.; entia vero *ſimplicia* tantum *intrinſece*, non autem *extrinſece*, incorruptibilia ſunt, (CCXVII.)

Extrinſece incorruptibile.

(CCXVII.) Unde & incorruptibilia *ſecundum quid* appellari ſolent, Deus autem *ſimpliciter incorruptibilis* denominatur.

CCCXCVIII. *Intrinſece*, ſive *ex natura ſua immortale*, illud vivens dicitur, *quod naturæ viribus nequit vitâ privari*, ſeu quod naturæ viribus eo pervenire nequit, ut nullam amplius valeat *vitæ functionem* exercere: adeoque hoc prædicatum τὸ *immortale* ſolis *viventibus* competit, *inanimata* vero, etſi poſſint eſſe *incorruptibilia*, (n. præc.) quia tamen vitâ, quâ carent, privari nequeunt, *immortalia* dicenda non ſunt, & conſequenter omne quidem *immortale* eſt *incorruptibile*; quia, ſi *corruptibile* eſſet, poſſet naturæ viribus *deſtrui*, ſicque etiam vitâ privari, quod repugnat: non tamen econtra *omne incorruptibile eſt immortale*, quia, ſi etiam ponatur, quod ſit *vivens*, (ut de *animabus brutorum* quidam ex modernis Philoſophis docent) poteſt tamen ſimul in vitæ functionibus exercendis *a corruptibili intrinſece dependere*, & ob hanc cauſam naturaliter eo pervenire, ut *vitaliter operari* non amplius poſſit; nam ſi id corrumpatur, a quo Immortale ex natura ſua.

in

in ſuis operationibus *eſſentialiter* dependet, etiam actio ipſa, ſeu *vita* corrumpi debet, & conſequenter *immortale* non eſt *ex natura ſua*. Porro Deus, qui *a nullo prorſus extrinſeco agente* vitâ privari poteſt, non *intrinſece* ſolum, ſed etiam *extrinſece*, ſive *ſimpliciter*, *immortalis* vocatur; ea vero entia, quæ *ſolis naturæ viribûs* vita privari nequeunt, tantum *ſecundum quid* immortalia appellantur, id eſt, ſolum *intrinſece*, & *ex natura ſua*. Et in hoc ſenſu præſens quæſtio de animæ *immortalitate* procedit; in priore enim ſenſu extra dubium eſt, quod *Deus ſolus habeat immortalitatem*, ut Apoſtolus inquit, 1. *ad Timoth. 6. v. 16.* utpote qui neque *a ſe ipſo*, neque *ab alio* deſtrui poteſt; *mens* autem humana ſaltem a principio *extrinſeco*, hoc eſt, a Deo in nihilum, unde educta eſt, redigi valet, ut omnes omnipotentiæ Divinæ concedere debent.

Immortale extrinſece, ac ſimpliciter.

CCCXCIX. Quoniam mentis humanæ, aliorumque *ſpirituum* vita in *vi cogitandi* conſiſtit; (CCCLXXXII.) nec aliter *vivunt* ſpiritus, quam per *cogitationem*, hinc *mori* non poteſt anima, niſi *cogitare*, vel potius, niſi *intelligere* &

Ad immortalitatem tria requiruntur.

& *velle* deſinat; (n. præc.) *intelligere* enim & *velle* ſunt animæ viventis *functiones*: (CCCLXXXII.) porro *intelligere*, & *velle* nequit, niſi *exiſtat*, conſequenter, ut anima perpetuo *vivere* demonſtretur, ante omnia prævie demonſtrandum eſt, quod ipſa, poſtquam eſt a corpore ſejuncta, *exiſtere* pergat; ſi enim *exiſtat*, *vivere* ipſam neceſſe eſt, cum ipſius vita (utpote quæ in *vi cogitandi* conſiſtit) ab ejus *exiſtentia* ſeparari non queat. Nec ſufficit tamen (ut cum Wolfio *Pſychol. rat.* §. 37. præclare obſervat Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 75.) probaſſe, 1. animam a morte corporis eſſe *ſuperſtitem*, niſi etiam demonſtretur, 2. quod poſt mortem corporis in ſtatu *perceptionum diſtinctarum* perſeveret, 3. quod *ſtatûs priſtini recordetur*, & agnoſcat, ſe eſſe eam, quæ in vita corporis hæc vel iſta patraverit; id enim niſi demonſtretur, profecto Epicuræi, aliique ejuſdem furfuris, ſibi aliiſque, perſuadere poterunt, nihil ſupereſſe poſt mortem, ſive boni, ſive mali, quo ita affici tunc queat mens, ut vel *delectetur*, & gaudeat, vel *triſtetur*, & doleat.

CD.

Immortalitatis definitio propria.

CD. Igitur *immortalitas animæ*, prout hic accipitur, optime a Wolfio cit. definitur *Pſych.* §. 737. quod ſit *potentia perſeverandi a morte corporis in ſtatu perceptionum diſtinctarum*, & *conſervandi memoriam ſui.* Hanc vero definitionem ſuam non incongrue S. Scripturæ conformem eſſe probat ex Hiſtoria divitis illius helluonis, *Luc.* 16. nam 1. hujus anima vere *exiſtere perſeverabat* poſt mortem; narrat enim S. textus, ipſum poſt mortem fuiſſe ſepultum, & perveniſſe in infernum: nempe ſepultus fuit quoad *corpus*, in infernum autem pervenit quoad *animam*, ſenſitque ibi, eam *cruciari*: anima igitur, dum cum corpore non moritur, a morte hujus *ſuperſtes* eſt. 2. *Perceptiones diſtinctas* habebat; vidit enim in inferno e longinquo Abrahamum, & Lazarum in ſinu ejus, cumque utrumque agnoverit, evidens eſt, quod ipſos a ſe *diſtinxerit.* 3. Denique infelix ille recordatus eſt fratrum ſuorum, & vitæ ante actæ, adeoque *memor fuit ſtatus præteriti* ante mortem, atque agnovit, ſe eſſe eum, qui ante mortem in illo ſtatu fuerat, ſicque retinuit *memoriam ſui.* His ergo demonſtratis ſponte ruunt fallacia Epicureorum Sophismata,

ta, *immortalitati* animæ oppoſita. Ad rem!

PROPOSITIO I.

Anima poſt mortem corporis in ſua exiſtentia per ſe, & ex natura ſua ſemper perſeverat.

CDI. PROBATUR. Anima eſt ens *ſimplex*, (CCCXCII.) partibus carens, (CCCLXXXIX.) adeoque impoſſibile eſt, ut in partes diſſolvatur, & hac diſſolutione factâ exiſtere *deſinat*, conſequenter intereat: eſt igitur *incorruptibilis*, (CCCXCVII.) & cum corpore, quod *corruptibile* eſt, interire nequit. Licet porro DEUS, ut *abſolutus dominus*, illam *annihilare* poſſit; non tamen illa deſtructio ſive annihilatio *ex natura* & *eſſentia* animæ oritur, eo ipſo, quod *ex ſe* ſit ſubſtantia *ſimplex*, & *incorruptibilis*: ergo verum manet, quod poſt mortem corporis in ſua exiſtentia *per ſe*, & *ex natura ſua* ſemper perſeveret. Et quidem

Mens humana poſt mortem corporis perſeverat,

PROPOSITIO II.

Anima poſt mortem corporis nedum cogitare pergit, ſed etiam in ſtatu perceptionum diſtinctarum ſuperſtes manet.

Et quidē in ſtatu perceptionum diſtinctarum.

CDII. PROBATUR 1. *p.* Anima poſt mortem corporis *exiſtere* perſeverat: (n. præc.) ergo etiam ſuâ tunc adhuc gaudebit *eſſentiâ*, ab *exiſtentia* realiter indiſtinctâ; (CXL.) eſſentia autem animæ eſt *vis cogitandi:* (CCCLXXXII.) ergo poſt mortem *vis repræſentativa* durabit, quæ eſt fons omnium perceptionum, & *principium omnium operationum* in anima. *Subſ.* atqui omnis *vis* tranſit in actum, niſi impedimentum adſit: (CLXIV.) ergo vis repræſentativa animæ poſt mortem corporis actu producet repræſentationes, ſeu *cogitationes*, cum nullum tunc *impedimentum* adſit, & anima, etiam a corpore ſeparata, ſit *ſubſtantia per ſe exiſtens*, neque ab aliquo *ſubjecto*, cui inhæreat, dependens: (CCCXCIII. *ob.* 2.) ergo.

PROBATUR 2. *p.* Omnis *confuſio*, quæ in hac vita, in ideis ſive perceptionibus

bus noſtris accidit, provenit a *ſenſuum* noſtrorum limitatione, ac *imperfectione*, ut in Log. *Pract. Diſſert.* 1. Abunde demonſtratum eſt: atqui in morte corporis organa cuncta ſenſoria omnino a functionibus ſuis ceſſant: ergo cauſa illius *confuſionis*, ſcilicet ipſa limitatio *ceſſat*: conſequenter etiam *confuſio idearum ſive perceptionum* ceſſat: igitur anima, dum poſt mortem corporis *cogitare pergit*, (n. præc.) & ſimul libera eſt a *confuſione*, in ſtatu *perceptionum diſtinctarum* verſatur. Id quod etiam Romanus orator & conſul Cicero ſola ratione duce clare agnovit, dum ait *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 20. "Corporea objecta tunc multo puriora, & diluci-„diora cernentur, cum, quo natura „fert, liber animus pervenerit. Nam „nunc quidem, quamquam foramina „illa, quæ patent ad animum a cor-„pore, *(organa* nempe *ſenſoria)* calli-„diſſimo artificio natura fabricata eſt, „tamen terrenis concretisque corpo-„ribus ſunt interſepta quodammodo; „cum autem nihil erit præter ani-„mam, nulla res objecta impediet, „quo minus percipiat, quale quidque „ſit.„ Unde & in libro *de conſolatione* is mortem votis omnibus exoptan-

 dam

dam eſſe inde probat, "*quia nos a mul-*
,, tis erroribus abſtrahit, (quibus, quoad
,, vivimus, in tanta opinionum varietate,
,, aſſiduaque veri inquiſitione perturbari
,, ſæpe ſolemus) & ad ipſam cernendam,
,, fruendamque veritatem jucunde tradu-
,, cit.,, Rurſusque *cit. l.* 1. *qq. Tuſc. c.*
31. omnes exhortatur, ut ſe a *ſenſi-*
bilibus, atque etiam ab ipſo *corpore* pro
viribus avocent, in hæc verba ſcri-
bens: "disjungamus nos a corporibus,
,, id eſt, conſueſcamus mori. Hoc &
,, dum erimus in terris, erit illi cæleſti
,, vitæ ſimile; & cum illuc ex his vin-
,, culis emiſſi feremur, minus tardabitur
,, curſus animorum; nam qui in com-
,, pedibus corporis ſemper fuerunt,
,, etiam cum ſoluti ſunt, tardius in-
,, grediuntur, ut ii, qui ferro vincti
,, multos annos fuerunt. Quo cum
,, venerimus, tum denique vivemus.,,

PRO-

PROPOSITIO III.

Anima, poſt mortem corporis, ſui memoriam conſervat.

CDIII. PROBATUR. Anima poſt mortem corporis verſatur in ſtatu *idearum diſtinctarum*, (n. præc.) adeoque ſe tunc ab aliis rebus, resque ipſas extra ſe poſitas a ſe *diſcernit:* (Log. *fol.* 43.) ergo ſibi ſui ipſius eſt conſcia; eo ipſo ſcilicet, quia ex actionibus ſuis, quarum ſibi *clare* conſcia eſt, (*n. præc.*) evidenter deducere valet, ſe etiam *exiſtere*, tanquam illarum *actionum principium*; & conſequenter agnoſcet, ſe eſſe *eandem*, quæ fuerat in vita mortali, hoc eſt, ſtatus *præſens*, cum præterito connexus, per legem *phantaſiæ* (de qua infra) ipſi in memoriam revocabit ſtatum *præteritum*, ſicque memoriam ſtatûs præteriti conſervabit, ſuique ipſius: maxime quia majorem tunc in percipiendo *claritatem* habebit. (*n. præc.*)

Itemque, poſt mortem corporis, ſui memoriâ conſervat.

CDIV. *Scholion* I. Quod anima, ut ſejuncta a corpore, *cogitare optime* poſſit, Cl. P. FORT. a BRIX. *Met. p.* 2. §. 93. & 92. exinde etiam probat, 1. quia, ut

Vis cogitandi poſt mortem corporis eſt optima.

ut *ſenſu intimo* agnoſcimus, ſummum quoddam in nobis *deſiderium* exiſtit, *clare* penetrandi, atque cognoſcendi veritates quam plurimas, quas modo non niſi *confuſe*, & *obſcure* percipimus: ſi vero cogitandi vis unacum corpore in mente periret, tunc illud *deſiderium*, quia non poſſet *expleri*, foret *fruſtraneum;* cum tamen, ut axioma habet, natura nobis nil conferat *fruſtra:* ergo dicendum eſt, quod mens noſtra, a corpore ſeparata, *cogitare optime* poſſit, certoque futurum ſit, ut ea tunc clare atque *diſtincte* mens poſt mortem corporis intelligat, quorum notitiam nunc ſolum *optare*, & quidem vehementiſſime, valet. 2. Quia etiam naturæ viribus non raro contingit, ut tanta in nobis fiat animæ a ſenſibus alienatio, ut ſupernaturalem *Ecſtaſin* æmulari ipſa videatur. Sic de SOCRATE refert Aulus Gellius *l.* 2. *noct. Attic. c.* 1. quod ſolitus fuerit *ſtare pertinaci ſtatu perdius atque pernox, a ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem, immobilis iisdem in veſtigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis, atque animi, facto a corpore.* Et de Archimede ſcribit Tullius *l.* 5. *de finib. c.* 18. quod ille,

ille, *dum in pulvere quædam deſcripſit attentius*, *ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit*. Multo magis autem admiratione dignum eſt, quod narrat S. Augustinus *l.* 14. *de Civ. Dei. c.* 24. de quodam Presbytero, cui nomen Reſtitutus; hic, " quando ei placebat, - - ,, ad imitatas quaſi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita ſe auferebat a ſenſibus, & jacebat ſimillimus ,, mortuo, ut non ſolum vellicantes ,, atque pungentes minime ſentiret, ſed ,, aliquando etiam igne ureretur admoto, ſine ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere. Non autem ,, obnitendo, ſed non ſentiendo, non ,, movere corpus, ex eo probatur, ,, quod, tanquam in defuncto, nullus ,, inveniebatur anhelitus; hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, ,, tanquam de longinquo ſe audire poſtea referebat. ,, Cogitat itaque mens in Ecſtaſin (maxime ſupernaturalem) rapta, quin *ſenſibus* tunc utatur, & perinde, acſi a corpore ſejuncta exiſteret; unde & cit. S. Doctor *ſerm.* 3. *ſuper Pſalm.* 103. *Ecſtaſin* definit, quod ſit *alienatio mentis*, hoc eſt, *averſa mens a conſuetudine corporali, ad viſum quemdam contemplandum, alienata a præ-*

ſentibus. Unde, licet naturaliter non poſſit anima rationalis proprie in Ecſtaſin rapi, ex modo tamen dictis rectiſſime colligi valet, ipſam non ita in cogitando a corpore dependere, ut ab illo ſeparata, ſuique juris facta, cogitare non amplius poſſit; ſatis enim eſt, ut alicujus hominis anima aliquando fuerit in Ecſtaſin rapta, quod plane ob teſtes omni exceptione majores negari nequit.

Sicut & voluntas, & appetitus diverſus.

CDV. *Scholion* II. Nec minus ſolide ex hucusque dictis deduci valet cum *cit.* Cl. P. Fort. a Brix. §. 94. Mentem humanam, a corpore ſolutam, poſſe æquali modo *velle*, & *nolle*, *gaudere*, atque *triſtari*, aliisque ejusmodi motibus affici, eoquod iſti æque a materia non dependeant, ſicut *perceptiones*, (CCCLXXXIV.) & quia inſuper ita ſunt conſtituti, ut *poſt perceptiones* elicitas immediate conſequi in anima ſoleant. Porro, cum in ejusmodi operationum radice animæ, tanquam ſpiritûs, eſſentia conſiſtat, & *vita*, negari ſimiliter non poteſt, ipſam a corpore ſolutam *vivere*. Unde ſit

PRO-

PROPOSITIO IV.

Mens humana eſt ex natura ſua immortalis.

CDVI. PROBATUR I. Anima rationalis 1. revera poſt mortem corporis *in exiſtendo perſeverat*, (CDI.) 2. nedum *cogitare* tunc pergit, ſed etiam *in ſtatu perceptionum diſtinctarum* ſuperſtes manet, (CDII.) 3. *ſui* denique *memoriam* conſervat: (CDIII.) atqui in his animæ *imortalitas* conſiſtit: (CD.) ergo eſt *ex natura ſua* immortalis. Cæterum quia omni tempore ad demonſtrandam animæ immortalitatem Chriſtiani præſertim Philoſophi totis viribus incubuere, hinc potiora quoque ipſorum argumenta hic juvat apponere. Igitur.

Mens humana eſt intrinſece immortalis.

PROBATUR. II. Argumentis *Metaphyſicis*, hoc eſt, ex ipſius mentis *eſſentia* deſumptis.

Id probatur tum argumentis metaphyſicis.

ARGUMENTUM I. Nullum agens creatum poteſt animam rationalem unquam deſtruere; nam, cum ſit ſubſtantia *ſimplex*, (CCCXCII.) & *incorruptibilis*, (CCCXCVII.) perire non valet, niſi

per *anihilationem*, (CCXVII.) *anihilare* autem, æque ac *creare*, nemo valet, niſi ſolus Deus: ergo, quia anima rationalis a nullo *agente creato* ſuâ *vitâ* privari poterit, erit ex *ipſa ſua natura*, hoc eſt, *intrinſece* im̃ortalis; plus enim ad ejusmodi *immortalitatem* non requiritur. (CCCXCVIII.)

Argumentum. II. *Platonis.* Quod Cicero *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 23. ita proponit: „Quod ſemper movetur, æternum „eſt; quod autem — agitatur *aliunde*, „quando finem habet motus, vivendi „finem habeat neceſſe eſt. Solum „igitur, quod *ſe ipſum* movet, quia „nunquam deſeritur a ſe, nunquam ne „moveri quidem deſinit: quin etiam „cæteris, quæ moventur, hic fons, „hoc *principium* eſt *movendi*. Principii „autem nulla eſt origo; nam e prin„cipio oriuntur omnia; ipſum autem „nulla ex re alia naſci poteſt; nec enim „eſſet *principium* quod gigneretur *ali„unde*: quod ſi nunquam *oritur*, nec „*occidit* quidem unquam; nam princi„pium extinctum nec ipſum ab alio „renaſcetur, nec a ſe aliud creabit, „ſi quidem neceſſe eſt, *a principio oriri* „*omnia*. Ita fit, ut *motus principium*

„ex

„ex eo ſit, quod ipſum *a ſe* movetur. „Id autem nec *naſci* poteſt, nec *mori*: „vel concidat omne cœlum, omnisque „natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim „ullam nanciſcatur, qua primo impul-„ſa moveatur. Cum pateat igitur, „*æternum* id eſſe, quod ſe ipſum mo-„veat, quis eſt, qui hanc naturam „*animis* eſſe tributam neget? *inanimum* „eſt enim omne, quod pulſu agitatur „*externo*; quod autem eſt *animale*, id „motu cietur *interiore* & ſuo, nam hæc „eſt propria natura *animi*, atque vis: „quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſe „ipſam ſemper moveat, neque nata „certe eſt & *æterna* eſt.„ Quod autem elegantiſſima hæc Platonis demonſtratio ſoli animæ *rationali*, non vero *animabus* etiam *brutorum* (ut voluit Lactantius *l.* 7. *de divin. inſtit. c.* 8.) proprie conveniat, Cl. Du Hamel *tract.* 3. *Met. diſp.* 3. *q.* 1. inde evincit, quia cæteræ animantes non *ſe ipſas* movent, motione nempe *liberâ*, ſed agitantur *aliunde*: ſenſus quippe earum, ſicut & noſtri, *corporum* incurſu impelluntur, ac nullas exerunt functiones, quæ a *corporibus* non pendeant; cuncta in iis *neceſſitate* quadam fiunt. Sed humana *mens* conſulto & *deliberate* agit, atque

ad eundem finem non uno tramite contendit &c.

Aliam pro eadem mentis humanæ immortalitate demonſtrationem elegantiſſimus Cicero *lib. de Seneſt. c.* 21. adducit, ubi, poſtquam dixerat, non ſolum fuiſſe *rationem*, ſed etiam *auctoritatem* maximorum Philoſophorum, quæ ſibi perſuaſiſſent, ut crederet, *Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana*, tandem ita proloquitur: "Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio; cum „tanta celeritas animorum ſit, tanta „memoria præteritorum, futurorum „prudentia, tot artes, tot ſcientiæ, „tot inventa, non poſſe eam naturam, „quæ res eas continet, eſſe mortalem, - - &, ſi in hoc erro, nec mihi „hunc errorem, quo delector, dum „vivo, extorqueri volo: ſin mortuus, „ut quidam minuti Philoſophi cen- „ſent, nihil ſentiam, non vereor, ne „hunc errorem meum mortui Philo- „ſophi derideant. ibidem c. 23.„

Argumentum III. Mens humana nedum naturaliter (obſcure licet, & *a poſteriori*) *intelligit*, ſed etiam *appetit* bonum *infinitum*, ſcilicet ipſum Deum: (CCCLXXXIV.) hoc vero illius deſi-

de-

derium non poteſt eſſe fruſtra datum, adeoque ipſa naturaliter deſtinata eſt ad bonum *infinitum;* id quod de brutis animantibus, uti Deum non cognoſcentibus, ita nec ullô modô libere amantibus dici nequit. *Subſ.* 1. atqui, quod naturaliter *deſtinatum* eſt ad bonum infinitum: illud etiam tali bono *frui* poteſt: ergo, ut illo cum tempore fruatur, durare debet in infinitum. *Subſ.* 2. Quidquid durare debet in infinitum, illud non poteſt mori, & conſequenter mens humana eſt *ex natura ſua immortalis.* Cum hoc argumento coincidit, quod mox afferetur. *In Prob. II. arg. III.*

Hisce addunt non nulli *argumentum IV.*, a *juſtitia divina* deſumptum, atque hoc modo ratiocinantur: homo ſæpe in hac vita agit *male*, nec tamen propterea *pœnas*, male actis debitas, accipit ſed quandoque eo potius felicior, quo ſceleratior exiſtit: alius e diverſo in hac vita *bene* continuo agit, nec tamen *prœmio* condigno afficitur, quin potius hominum malevolorum injuriis & maledictis perpetuo laceſſitur, vitamque adeo ſuam per ſummum nefas non raro amittit: Igitur vel Deus non eſt *juſtus*: (quod qui aſſerit, nedum *blaſphemat*, verum

etiam

etiam ſanæ *rationi* contradicit) aut *ſtatus poſt mortem* ſupereſſe debet, in quo *mali* condignas ſceleribus ſuis *pœnas; boni* econtra debitam laboribus ſuis, pro Dei gloria exantlatis, mercedem a *juſto* Numine recipiant, & conſequenter ex hoc fine mens humana *ſine fine vivere* debet.

Aſt hoc argumentum jure non pauci inter *demonſtrationes metaphyſicas* locum habere non poſſe affirmant, quamvis non negent, animæ immortalitatem ab iſto ſaltem *probabiliter ſuaderi*. Nam varie contra illud a *Materialiſtis* excipi poteſt, videlicet 1. exinde tantum ſequi perpetuam animæ durationem pro *ſolis* illis, qui prœmia ſuarum virtutum, aut criminum pœnas *in hac vita* non receperunt; omnium econtra illorum animas, qui in præſenti vita, pro meritorum vel demeritorum ſuorum ratione, felices aut miſeri fuere, poſt mortem corporis perituras. 2. Etiam pro illis, qui bene aut male vixere, & fine proſpera vel adverſa ſorte ex hac vita deceſſere, non rite probari *perennem* animæ durationem; ſiquidem fortaſſis tempore *finito* pænæ vel prœmia, pro actibus mere *finitis*, in hac vita elicitis,

acci-

accipi queant, ita ut dein expleto illo tempore anima, ceſſante ſuo fine, & ipſa ceſſet: 3. Non minus, ex allato argumento, *corporis* quoque *immortalitatem* ſequi, eoquod anima in præſenti vita, quæcunque opera, ſaltem *externa*, facit, *corporis adminiculo* efficiat, & conſequenter etiam *corpus* (quod non niſi *propter animam*, & quidem ex gratuito Dei, ſaltem poſt extremum judicii diem, illud perpetuo *extrinſece* conſervantis favorem, incorruptibile erit) EX NATURA SUA *immortale* foret, quod nemo certe dicere audet. Ommiſſo igitur hocce argumento, (potius *morali*, quam *metaphyſico*) aliud appono, nempe

Argumentum IV. *Cl. Purchotii. Met.* p. 2. *Sect.* 3. *c.* 3. Mens humana deterioris non eſt conditionis, quam alia *inferioris* ordinis ſubſtantia, puta *corpus*, aut *pars* corporis: atqui *corpus* a mente relictum, itemque & pars corporis, a ſua comparte ſeparata, ſubſiſtere poſtulat: ſic certum eſt certitudine *phyſica*, ramum a trunco avulſum, etiam combuſto, aut in pulverem comminuto trunco, debere remanere. Demum certitudine *metaphyſica*

ca

ca conſtat, rem creatam *per ſe ipſam* deficere non poſſe, ſed tantum ſi Deus concurſum ſuum ad exiſtendum ipſi ſubduxerit: Deus vero hunc concurſum ſuum non ſubducit uni parti, pereunte altera, a qua minime pendet; ſecus, ſi *una* corporis alicujus *pars* ſepararetur, *tota* ſemper maſſa in partes ſolvi deberet, quod *experientiæ* quotidianæ, & *ſenſui intimo* repugnat: ergo ſoluto corpore Deus pariter menti concurſum non denegat ad ſubſiſtendum, ſed tam mentem ipſam, quam corpus conſervat, cum hoc tamen diſcrimine, quod corpus, utpote ex *partibus* conſtans, varias *mutationes* ſubeat, ſeu variis ſpeciebus aut formis afficiatur; mens vero, quæ *ſimplex* eſt, neque ex partibus compoſita, integra ſemper & incorrupta remaneat.

Tum moralibus. Probatur III. Argumentis *moralibus*, hoc eſt, ex *moralibus* quibusdam principiis derivatis.

Argumentum I. Judicium de ſummi momenti re, in quod conſpirant omnes nationes, utut temporibus, opinionibus, locis, ac moribus plurimum in-

inter ſe diſcrepantes, eſt metaphyſice certum, (Log. *fol.* 435.) aut ſaltem *ſummâ morali* certitudine præditum, quia prorſus repugnat, ut auctor naturæ Deus *conſtantem*, *generalem*, atque *inevitabilem* errorem, & quidem in re *graviſſima*, actu permittat; ſecus enim de primis quoque *principiis* dubitare liceret: atqui in iſtud judicium, quod *anima ſit ex natura ſua immortalis*, conſpirant omnes nationes ac populi, prout in diverſis ac probatiſſimis hiſtoricis legitur, tum ſupra citatis, (CCCXCV.) tum paſſim reperiendis, apud auctores de hac materia diſſerentes, maxime apud Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 100. huc etiam ſpectant illæ de hominum aliqua virtute præditorum *apotheoſi*, de *ſuppliciis* item ſceleratorum, apud Poëtas veteres, fabulæ; itemque *ſepulchrorum cura*, ritus & ceremoniæ funebres, apud omnes nationes nunquam non uſitatæ, " quas „ (ut diſertiſſime rurſum arguit Tullius „ *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 12.) maximis inge„ niis præditi nec tantâ curâ coluiſſent, „ nec violatas tam inexpiabili Religio„ ne ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum „ mentibus, mortem non interitum eſſe „ omnia tollentem atque delentem, ſed

Ccc „ quam-

„quamdam quaſi migrationem, com-
„mutationemque vitæ, quæ in claris
„viris & fæminis dux in cœlum ſole-
„ret eſſe, & permaneret. - - hæc ita
„ſentimus natura duce, nulla ratione
„nullaque doctrina. Maximum vero
„argumentum eſt, naturam ipſam de
„immortalitate animorum tacitam ju-
„dicare, quod omnibus curæ ſint, &
„maxime, quæ poſt mortem futura ſint
„- - adeoque permanere animos ar-
„bitramur conſenſu nationum om-
„nium.„

Argumentum II. Mens humana a natura ſibi inſitum habet intimum quemdam *immortalitatis appetitum*; ſentimus quippe nos nulla *temporaneæ* felicitatis fruitione expleri, omnemque terrenæ voluptatis ſenſum ſolâ *finis*, aliquando adventuri, recordatione imminui, penitusque perire: ſentimus præterea, non ſolum *intellectum*, ſed & *voluntatem* noſtram in infinitum ſemper ſpectare: quæ omnia plane *fruſtra* nobis eſſe inſita dici nequit; quid enim attinuiſſet (præclare inquit Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 2. *cap.* 1. *pag. mihi* 92.) & *ſimplicem* animam creare, & eſſentialiter *intelligentem*, ac viventem, & *æterni cupidam*,

pidam, atque *ſempiternum* ſpectantem, ubi tota ejus exiſtentia non brevi ſolum unius *ſæculi* ambitu, ſed plerumque unius *menſis*, ac non nunquam etiam unius *diei*, contineatur? artifices inter homines *machinarum* naturam, quas conſtruunt, ei tempori aptare ſolent, cui deſtinant, ita ut ex iis intelligi facile queat, *perpetuóne* ut eſſent, num voluerint auctores ſui, an *menſtruæ*, vel *annuæ*. Cur non idem ex operibus Dei conjiciamus? præſertim cum illi nec efficiendi *ſcientia*, nec *potentia* deſit, cuique res ſubjectæ non, ut homini, reſiſtunt, ſed parent, ut ſit in iis potentia, prout ajunt, *obedientialis*, Dei activæ potentiæ, ejusque imperio æqualis: igitur cum quædam humanæ mentis aut facultates, aut propenſiones, ſuapte naturâ, in *infinitum* tempus ferantur, ſecus ac contingit in iis animantibus, quorum tota vita hic abſolvitur, & cum *ſolus homo* curam ac providentiam ſuam *ultra vitam* porrigat longiſſime, profecto dici debet, animam rationalem a ſupremo rerum architecto Numine in vitam *immortalem* ex natura ſua deſtinatam eſſe & revera *imortalem* exiſtere: aut ſecus, ut bene etiam infert Cl. *P. Fort. a Brix.*

 bo-

homo deterioris foret conditionis, quam cætera quæque *viventia rationis expertia*; nam quod illa inſtinctu *naturali* appetunt, illud conſequi facile poſſunt, & re ipſa conſequuntur, eoque obtento perfectiſſime quieſcunt: e diverſo ſi nulla nobis poſt mortem obtingat perennis vita, nunquam expleri in nobis poterit illud *felicitatis deſiderium*, a natura inditum: & conſequenter ita *miſeri* ſumus, ut non miſeri neque futuri unquam ſimus, neque eſſe poſſimus. Id ipſum quoque S. Augustinus *l.* 11. *de Civit. Dei c.* 29. egregie demonſtrat.

Argumentum III. Si mens humana non foret immortalis, fruſtraneum omnino foret *boneſtatis* ac *virtutis* ſtudium, ad quod tamen ipſa nos *natura* excitat, nihilque *laude* vel *vituperio* dignum exiſteret, æque ac in brutis animantibus accidit; & *nullus unquam* (ut iterum præclare inquit Tullius *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 15.) *ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem*: quapropter, ut ſcribit Julius Cæſar, *de bello Gall. l.* 6. iſtud de animorum *immortalitate* dogma primum fuit, quod Druidæ (Log. *fol.* 13.) ſuis perſuade-

re nitebantur, rati, eos *hôc maxime ad virtutem excitari, metu mortis neglecto.* Quin imo, ſi anima periret cum corpore, perinde foret, an *virtutibus* an *vitiis* addictus quis eſſet; imo felicior multo exiſteret *impiorum*, quam *proborum* ſtatus, quia hi *fruſtra* pravas affectiones ſuas ac inclinationes frenô compeſcerent, legesque Divinas ſollicite cuſtodirent, dum illi econtra, ſive ſerius ſive citius, libidine ſua in hoc mundo expleta, nil haberent, quod in altera vita metuerent; ſicque aliis *prudentiores* forent illi, qui cum inſipientibus, *Sap.* 2. *v.* 6. *& ſeq.* continuo in ore haberent verba illa ſcandaloſa, & impia: *venite, & fruamur bonis, quæ ſunt! — vino pretioſo, & unguentis nos impleamus! — coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non prætereat luxuria noſtra &c.* hæc autem omnia *rationi* ipſi adverſantur, *naturæ*, ejusque auctori Deo, injurioſa ſunt, atque omnis honeſtæ vitæ ac humanæ *ſocietatis* fundamentum e medio tollunt: ergo. &c.

CDVII. *Corollarium.* Ex hucusque allatis argumentis rite colligitur, *naturali ratione* demonſtrari poſſe, certi- Igitur phyſice & moraliter certum

Sectio I. eſt, animam rationalem eſſe immortalem.

titudine tum *phyſica*, tum *morali*, (Log. *fol.* 174.) animam rationalem *ex natura ſua* immortalem exiſtere, neque major in hac re *certitudo* requirenda eſt, tum quia mens noſtra ignobilis adeo conditionis non eſt, ut verum de ea haberi nil debeat, niſi quod *evidentiſſime* ac *Geometrice* demonſtratum eſſe cognoſcitur, tum etiam quia iſtud *immortalitatis* dogma adeo *periculoſum* non eſt, ut, niſi *evidentia* urgeat, cogatque *neceſſitas*, non ſit admittendum: optimeque propterea animus *docilis & veritatis ſtudioſus*, (qualem habuere Plato, Socrates, Tullius, aliique *meri ac puri philoſophi*, chriſtianis ſacris minime imbuti,) *non refractarius atque pertinax* (nam huic ſatius eſt reſpondere: *hæc mihi videntur*, *iſta vero tibi*) his demonſtrationibus acquieſcere poteſt, ac debet, niſi audire velit illam ſat acerbam Cl. Melchioris Cani *de loc. Theol. l.* 12. *c.* 14. *pag. mihi* 832. caſtigationem, dum ait; "*erroneum eſt*, *ne dicam hæreticum*, *aſtruere*, *animæ immortalitatem* NATURALI RATIONE *demonſtrari non poſſe*, — — *periculoſum vero ac temerarium*, *ne quid amplius addam*, *affirmare*, *quod* ,, *nul-*

„*nullum argumentum hactenus inventum*
„*vere demonſtret animæ immortalitatem.*„

Solvuntur Objectiones.

CDVIII. OB. 1. *Ex Authoritate.* In libro *Eccleſiaſtis c.* 3. *v.* 19. dicitur: *unus eſt interitus hominum & Jumentorum, & æqua eſt utriusque conditio* &c. item *cap.* 9. *v.* 5. *mortui — nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum*; ergo juxta Salomonis effatum mens humana non eſt immortalis. R. 1. D. A. *Unus* eſt *interitus*, & *æqua conditio* &c., quantum ad moriendi neceſſitatem, ſive quoad vitam corpoream, omnibus animantibus communem C. A. quantum ad animam. N. A. & C. Nam mens, quæ de terra facta non eſt, in terram non revertitur, etſi tamen ipſa, *poſt Adæ peccatum*, ita ſit aggravata, & veluti ſepulta in materia, ut originis ſuæ quodammodo oblita non niſi terrena ſapiat, nec ſe ad patriam cœleſtem natam meminerit &c. unde in eodem loco *VV.* 16. & 17. Eccleſiaſtes aperte docet, quod *altera nos vita* maneat, qua juſtis mercedem daturus ſit Deus, & pœnas ab

Solvuntur textus contrarii S. ſcripturæ,

impiis exacturus. Omnium vero clariſſime *c.* 12. *v.* 7. ita loquitur: *revertitur pulvis* (corpus) *in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus revertitur ad Deum, qui dedit illum.* Dein R. 2. & loquitur ibi Salomon in perſona *impiorum*, quos colloquentes inducit, ac inferius confutat C. A. loquitur in *propria* perſona, atque *ex ſua ſententia.* N. A & C. *Is unus Eccleſiaſtæ ſcopus erat propoſitus,* (inquit de libri huius Auctore Cl. Huetius, conformiter S. Gregorio M. *l.* 4. *Dialog. c.* 4. aliisque S. Scripturæ interpretibus) *ut de finibus bonorum & malorum diſſerat. Varias itaque ſtatim ab initio profert opiniones, easque ad examen ſe ſuum revocaſſe, ac tandem repudiaſſe contentus, ait, & in ea demum acquieſcit, quæ Deum timendum, ac mandata ejus obſervanda eſſe tradit. Demonſtrat. Evang. prop.* 4. *de libro Eccleſiaſtis.*

Et ſextæ Synodi generalis. *Inſt.* 1. In VI. Synodo generali *Actione* IV. mentes hominum dicuntur *non naturâ, ſed gratiâ Dei immortales*: ergo animæ ſunt intrinſece mortales. R. D. A. Et ſumitur ibi immortalitas in ſenſu *ſtrictiore*, quatenus ſoli Deo, qui tum intrinſece, tum extrinſece immortalis eſt, competit (CCCXCVIII.) C. A.

A. Sumitur in ſenſu a nobis intento, pro immortalitate ſcilicet ſolum intrinſeca, (n. cit.) N. A. & C. *gratia* e diverſo ibi accipitur in *ſenſu latiore*, videlicet pro *dono conſervationis Divinæ*, quo utique anima indiget, ut poſt mortem corporis perennare valeat: hoc ergo donum eſt quidem animæ *naturaliter*, non tamen *abſolute* debitum, quia Deus, tanquam *abſolutus Dominus*, eam poſſet deſtruere. Et in hoc ſenſu alia quoque dona *naturalia*, a Deo collata, e. g. formæ elegantia, doctrina &c., dicuntur *gratiæ*, quamvis, ſaltem quoad ſuam *radicem* ſeu *capacitatem*, (LXIV.) homini *naturaliter* competant.

Deus voluntate ſua animam non deſtruit.

Inſt. 2. Sufficienti ratione *naturali* probari nequit, quod etiam Deus, a quo, ut abſoluto Domino, animæ immortalitas dependet, eam *velit* in perpetuum *conſervare*: ergo dici a Materialiſtis poteſt, ipſam, Dei voluntate, in morte perire, ſicut de *animabus brutorum*, quas *ſpirituales* eſſe volunt, Neoterici non pauci docent. R. 1. exinde tantum ſequi, animam non eſſe ſimul *extrinſece* immortalem (CCCXCVIII.) quod noſtra theſis probare non intendit.

dit. Dein R. 2. N. A. Id enim ex argumentis ſaltem *moralibus*, immediate antea allatis, ſufficienter eruitur: *ſtultum eſt* autem, ut Ariſtoteles inquit *l.* 1. *Eth. æqualem in omnibus certitudinem, & evidentiam exigere;* nam ut ſæpe citatus Cl. Melchior Canus *pag. mihi* 834. prudentiſſime inquit: "in *naturalibus* „ diſciplinis minor eſt evidentia, quam „ in *metaphyſicis*: in *moralibus* minor eſt „ etiam, quam in *naturalibus*. At in „ *diſpari* certitudine tam ſtultus tamen „ nemo eſt, quin *ſcientiæ* illis nomen „ impertiat. Syllogiſmi ergo illi & faciunt ſcire, & vere *demonſtrationes* „ ſunt, quibus & de *natura*, & de *moribus* philoſophamur; quamvis in eis „ rationibus non adeo magna aut *neceſſitas*, aut *evidentia* inſit. „ *Dein pag.* 838. (poſtquam argumenta *moralia* & *metaphyſica* ad demonſtrandam animæ *immortalitatem* nervoſe attulerat) *ita concludit: quod ſi bujusmodi argumenta* TIBI *evidentia non ſunt, memento, nec cæteros ex tuo ingenio æſtimandos eſſe, neque hic evidentiam mathematicam requirendam eſſe.* Nempe, ut etiam arguit Cl. Purchotius *Met. p.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 3. *cum hic ordo ab omnipotenti Deo ſit in rebus creatis conſtitutus, ut, quas e ni-*

bilo

hilo ſemel eduxit, eas perpetuo conſervet; fieri non poteſt, manente illo ordine, ut humana mens a corpore ſejuncta pereat. Hæcque certitudo phyſica eſt. Itaque licet Deus, ut *abſolutus dominus*, animam annihilare queat, id tamen non faciet ut *juſtus proviſor*, & mundi hujus univerſi *gubernator*, cui vel maxime competit juſtas criminibus *pœnas*, debitamque virtuti *mercedem* rependere, id quod ethnicus etiam Socrates, ſola *naturali* ductus *ratione* agnovit, aliique Philoſophi, (CCCXCV.) *nec* enim *temere* (præclare loquitur elegantiſſimus Cicero *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 49.) *nec fortuito ſati & creati ſumus; ſed profecto fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum.* Hæc pariter cauſa, teſte cit. Cl. *Melchiore Cano*, Platonem movit, (rurſum ethnicum,) ut, quoniam videbat, optimos ſæpe viros pro rebus præclare geſtis nullo in hac vita *præmio* virtutis, nullo inſigni *honoris*, nullo monumento *laudis* decoratos, aſſereret animos immortales, officii fructum & *præmium* aliquando accepturos; "abſurdum quippe eſſe putabat, ut ve-

„rus,

„rus, juſtus, & honeſtus labor, ho„noribus, prœmiis, ſplendore careat, „ſi qua eſt in cœlo pietas, ſi quod nu„men, quod talia curet; non itaque „aut campos Elyſios, aut Siſyphi ſa„xum, Ixionis rotam, Tantali ſitim &c. „Poëmatis ſolum eſſe, ſed hiſtoriæ; „nam, licet facta ſint a Poetis iſthæc „omnia, veri tamen ſignificandi gratia „facta ſunt, ut utiliſſima illa, veriſſi„maque ſententia in animis hominum „inſcriberetur, RECTE FACTIS PRÆMIA, „PECCATIS SUPPLICIA DEBERI.„ Unde & D. CHRYSOST. *hom.* 4. *de provid.* inquit, *ſiqui philoſophi de animi immortalitate dubitent*, *eos dubitare*, *an in meridie ſit dies?* Cæterum quod *animæ brutorum* (ſi tamen vere ac *proprie* a non nullis dici queant *ſpirituales*) *immortales* non ſint, ex dictis multiplex habetur *diſparitas;* quis enim dicat 1. eorum animas poſt mortem *in exiſtendo perſeverare*, cum dicant eſſentialem *ad corpus dependentiam*, nec niſi *terrena* & *materialia cogitent*, & *appetant*? 2. quis concedat, eas poſt mortem in ſtatu *perceptionum diſtinctarum*, & *memoriâ ſui* perſeverare? cum neque in hac vita *diſtinctas* habeant *ideas*, ſed mere *phantaſticas* atque *confuſas*, ut ſuo loco di-

ce-

cetur. 3. Quis denique affirmare audeat, bruta vere *puniri* aut *præmiari* poſſe? cum nullam habeant *libertatem*, ad bene aut male faciendum requiſitam, ſed ſoli rationis ductui cæce obſequantur, neque ulla *honeſtatis* aut *dedecoris* ratione moveantur? &c.

Ipſum peccatum non eſt ſufficiens pœna peccatoris.

Inſt. 3. Ad ſceleratos puniendos non requiritur alia pœna niſi ipſum *peccatum*, Juxta illud Apoſtoli *Rom.* 1. *mercedem, quam oportuit, erroris ſui* IN SEMETIPSIS *recipientes*, Itemque D. *Auguſtini* dicentis *l.* 1. *conf. n.* 19. *Juſſiſti* (domine) *& ſic eſt, ut omnis inordinatus animus ſibi ipſi ſit pœna*: ergo ex illo argumento non probatur, animam rationalem voluntate Dei non perire. R. N. A. nam ſi inſtantia iſta valeret, certe *nimium* ſequeretur, nempe neque etiam in hoc mundo ſceleratos eſſe puniendos, ſed eos potius ſibi ipſis, ſuisque ſceleribus libere relinquendos eſſe: id quod nullus *ſanæ rationis* homo admittet. Dein præter iſthoc, a *juſtitia divina* deſumptum argumentum, quod tamen etiam ethnici philoſophi ſatis *demonſtrativum* agnovere, alia quoque ſupra recenſita (CDVI.) cum ſumma certitudine evincunt, quod

DEUS

Deus animam rationalem per ſe deſtruere non *velit*, tum quia *immortalitatis* appetitum ipſi *fruſtra* non contulit, tum quia iſta, de animæ *immortalitate* cunctis a natura inſita, opinio eſt fundamentum omnis *honeſtatis*, *Religionis*, ac *humanæ ſocietatis*: ergo evidenter *falſa eſſe* non poteſt. &c.

Mens humana non oritur ex corpore, nec cum eo moritur.

Ob. 2. Ex *ratione*. Cum *Epicureis*. Mens humana ſimul cum corpore oritur, ſenſim adoleſcit, languet languente corpore, viget vigente &c: ergo etiam moriente corpore mori debet. R. 1. (quantum ad 1*mum*) N. A. Mens enim humana non ſimul cum corpore producitur, ſed formato jam corpore debiteque organizato, creatur, illique infunditur, ut cum ipſo compoſitum aliquod conſtituat, *vitæ*que functiones in eo exerceat, ut in *art. ſeq.* dicetur. Hinc R. 2. Mens humana cum corpore oritur per creationem C. A. per generationem N. A. & C. corpus vere *generatur* ex materia præexiſtente, cum ſit ens *compoſitum*; anima vero, cum ſit ſubſtantia *ſimplex*, non niſi ex *nihilo ſui* a Deo *creatur*; indeque corpus *naturaliter* perit diſſolutione partium; anima vero, cum non niſi per *annihi*-

la-

lationem deſtrui queat, (id quod agentis creati vires excedit) etiam ſine corpore, poſt mortem ipſius, exiſtere pergit. Quod vero (quantum ad *reliqua*) *vigeat* animus vigente corpore &c. perſpicue ſatis intelligi poterit *Sect. ſeq.* ubi de animæ cum corpore *commercio* ſermo erit. Itemque ex dictis, (CCCXCIII. *Ob.* 2.) nempe *mutationes* illæ, ægritudines, & accidentia non ſunt animi, ſed corporis, & ex admirabili *fœdere*, quod, arcano Dei conſilio, corpus inter & animam intercedit, ita contingunt, ut juxta varias imagines & motiones, quæ producuntur in corpore, ſimiles illis & incorporei excitentur in anima; prout etiam Stagyrita explicat *l. de anima c.* 5. *n.* 5. ita loquens: "*Innaſci* videtur intellectus, & *ſubſtantia* quædam eſſe, „nec *corrumpi;* nam ſi corrumperetur „quidem, id maxime fieret ab *bebetatione* illa, quæ in *ſenectute* contingit; nunc autem res perinde fit, ac „in ipſismet *ſenſuum* inſtrumentis. Si „enim ſenex oculum *juvenilem* reciperet, non ſecus ac *juvenis* videret; „unde & ſenectus non ex eo eſt, quod „quidquam *paſſa anima* ſit, ſed quod „ſimile aliquid, ac in ebrietate, mor-„bis-

„ bisque eveniat; ipſaque *intelligendi* „ & contemplandi *functio*, propter aliquid aliud interius corruptum, marceſcit, cum ipſum interim, cujus „ eſt, paſſionis expers maneat. „ Unde R. 3. anima *viget*, & *languet*, aliisque ſubjacet paſſionibus corporis, ab eodem corpore, præciſe ut conditione, determinatis, C. A. ut ab illo in ipſa anima cauſatis. N. A. vel rurſum aliter: patitur *ſenium*, *languorum* &c. *ab extrinſeco*, & (pro ſtatu conjunctionis) ex defectu organorum C. A. ab intrinſeco, & vi ſuæ entitatis, quaſi vero ipſa *ſeneſcat*, *langueſcat* &c. N. A. & C. profecto ipſa anima, dum corpus aliqua ægritudine perturbatur, *oppoſitum* affectum frequenter in ſe excitare valet, & lanquente corpore alacri non raro jucunditate perfundi, ut dictum jam eſt.

Status hominis moribundi non, probat, animam eſſe mortalem.

Inſt. 1. Dum homo moritur, aperte videri poteſt, quomodo animus, per ſingula corporis membra diffuſus, ſenſim in externis corporis partibus cum calore extinguatur, ac evaneſcat, donec tenuis ille calor, qui in corde ſupererat, ex ore moribundi, inſtar auræ tenuis, exeat; indeque animus & homo

mo moritur, craſſiorque corporis pars, ſive cadaver, tenujori flamma jam exhalatâ, putreſcit: ergo animus eſt mortalis. R. N. C. non enim *anima* in externis corporis partibus ſenſim deficit, (quin imo juxta quosdam RR. hujusmodi animæ *diffuſio per totum corpus* nulla ratione concipi, aut probari poteſt: aſt de hoc paulo inferius) ſed *ſanguinis* ſolum, *ſpirituum*que vitalium motus & calor in ipſis ſenſim languescit, adeoque nulla amplius *ſenſatio* in illis perfici valet ab anima, in cerebro maxime thronum ſuum occupante. Vel ſi etiam cum Peripateticis animæ diffuſio per totum corpus admittatur, non tamen animæ partem ibi interire dicendum eſt, ſed potius *eadem anima*, quæ per ſingulas corporis partes, vitalibus functionibus peragendis *idoneas*, diffundebatur, cum partem aliquam, morbo jam tabeſcentem, priſtiniſque functionibus peragendis *imparem* offenderit, illam deinceps fovere, ſive *animare* non poteſt; fere ſicut v. g. ſol, qui lucem, radiosque in omnem partem diffundit, ſi quando, interpoſito quodam corpore opaco impeditur, non amplius illuminat, neque tamen propterea perit aut corrumpitur. Quod

vero anima, *inſtar auræ tenuis*, ex ore moribundi exeat, *anilis fabula* eſt, & puerilis perſuaſio: nempe aer, qui ſubinde e moribundi ore exſpiratur, eſt pars quædam reſidua aëris, e compreſſis pulmonibus prodiens.

Nec mortis horror naturalis animæ immortalitatem negat.

Inſt. 2. Si animus immortalis foret, hac ipſa immortalitatis ſpe & deſiderio mortem libens aſpiceret: atqui hoc non fit, ſed e contrario mortem totis viribus horret: ergo non eſt immortalis. R. D. M. Mortem libens aſpiceret, præciſe ex illa ſpe ac deſiderio C. M. accedentibus aliis cauſis, tunc animam cruciantibus. N. M. & ſic D. m. N. C. Nempe corporis ægritudines, ob mutuum cum ipſa commercium, animam ipſam afficiunt, quapropter iſta mortis *dolores*, *mortem*que, quæ cum maximo doloris ſenſu obiri plerumque ſolet, refugit: & quamvis ſe morti ſuperſtitem fore certo agnoſcat, corporis tamen interitum, mortemque ipſam exinde horret, quia futuræ vitæ, ſuæque æternæ ſortis adhuc incerta eſt, ſpemque inter ac metum miſerrime torquetur: innocentes tamen homines, nullius ſceleris ſibi conſcii non alacri modo ſerenoque

vul-

vultu, mortem aſpiciunt, ſed ipſam quoque veluti laborum fructum, uberemque mercedem, & tranquillum portum, vehementi quodam deſiderio & amore optantes, cum Apoſtolo ſæpiſſime *cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

Inſt. 3. Mens humana eſt propter totum compoſitum humanum: ergo illo pereunte fruſtra remaneret, aut certe in ſtatu violento exiſteret. R. D. A. eſt propter compoſitum humanum, tanquam propter finem inadæquatum, & pro ſolo ſtatu conjunctionis. C. A. Tanquam propter finem adæquatum, & ſimpliciter. N. A. & C. tantum ergo abeſt, ut animus a corpere ſejunctus *violentiam* patiatur, ut potius ab ipſo corpore, veluti carcere quodam ſolutus, liberrime exſpatietur, viresque ſuas purius atque nobilius exſerat: quin imo *vim* potius in ipſo corpore *pati* diceretur, niſi regendo corpori a divino artifice *deſtinatus*, prorſus *indifferens* foret, ut corpori conjunctus, vel a corpore ſejunctus exiſteret; quo veluti diſcrimine ab *Angelis* diſtinguitur, qui regendo corpori minime deſtinatur: adeoque cum exiſtentia ex- Anima poſt mortem corporis in ſtatu violento non exiſtit.

tra corpus ſit animæ *debita*, pro certis circumſtantiis, (quando ſcilicet corpus ad actiones animæ vitales omnino ineptum exiſtit) dici minime poteſt, quod ſtatus ſeparationis a corpore ſit animæ *violentus*; aut ſecus, ſi *naturaliter* denuo mens corpori uniri exigeret, plane reſurrectio mortuorum *miraculoſa* non foret ſed *naturalis*; quod nemo dicit.

Inſt. 4. *Subjecto* quocunque pereunte perit etiam ipſius *forma*: atqui anima eſt *forma* corporis: & corpus eſt ejus *ſubjectum*: ergo pereunte corpore illa quoque perit. R. D. M. perit forma *materialis*, quæ nihil aliud eſt, quam certa ſubjecti *modificatio*, ut in phyſica RR. communiter docent. C. M. forma *ſubſtantialis ſpiritualis*, qualis ſola anima, ex dictis, eſſe evincitur. N. M. & ſic etiam D. m. anima eſt forma corporis, quatenus ipſum *perficit*, unumque compoſitum determinatæ ſpeciei, hominem ſcilicet, cum illo conſtituit C. m. ita, ut ab illo, tum in exiſtendo, tum in operando, intrinſece ac neceſſario *dependeat*. N. m. & C. adeoque corrupto corpore iſta non perit, ſicut tamen cæteræ *formæ materia-*

riales, ſeu *modales* pereunt, pereunte ipſarum ſubjecto; modi enim ſine ſua *ſubſtantia* abſolute exiſtere nequeunt; (Log. *fol.* 89.) bene vero una *ſubſtantia*, ſcilicet *anima*, ſine altera ſubſtantia, ſeu *corpore*. (CLXVII.)

Ob. 3. Si mens humana immortalitatis dono gauderet, vel hoc ipſi competeret, quia *ſubſtantia* eſt, vel quia *ſpiritualis* eſt? non 1*mum*, quia plures *ſubſtantias* perire certum eſt. Nec 2*dum*, quia *gratia ſanctificans* & *habitus* ipſius animæ *ſpirituales* ſunt, & tamen pereunt: ergo R. N. A. (ſi tum *ſubſtantiæ* tum *ſpiritualitatis* attributum *generatim* ſumatur:) ſed ideo potius, 1. quia ſubſtantia *ſimplex*, & 2. *cogitans* eſt; nam per *illud* ab agente *creato* indeſtructibilis eſt, & conſequenter poſt mortem corporis *manere* debet: per *iſtud* vero *operari*, ac proinde *vivere* quoque poteſt, ſejuncta a corpore &c. (CDVI.)

In quo ſenſu ſubſtantia ſpiritualis ſit immortalis?

Inſt. *Quod habet initium, habet quoque finem*, teſte Ariſtotele. *l.* 1. *de Cœlo c.* 12. atqui mens humana habet initium: ergo etiam ſoluto corpore habebit finem. R. D. M. quod habet initium per generationem, ut *animal*, *arbor*, aut aliud compoſitum naturale

& corporeum. Tr. M. Quod habet initium per creationem. N. M. & ſic D. m. N. C. profecto ſi *materia*, quæ creata eſt, juxta omnes Philoſophos ſemper exiſtere pergat, nec ante annihiletur, quam Deus ipſi ſuum *concurſum* ad exiſtendum deneget, *a fortiori* mens humana, utpote ſubſtantia multo *nobilior* ac *perfectior*, ſuppoſito Dei concurſu, conſiſtere valet.

Authoritas contranitentium Philoſophorum eliditur.

Ob. 4. Immortalitatem animæ quamplurimi ex vetuſtis philoſophis in dubium vocarunt, atque etiam aperte negarunt, ut Epicurei omnes, Lucretius, Plinius ſenior, Sadducæi &c. Nec hodie deſunt, qui animam cum corpore perire affirmant: (CCCLXVIII.) ergo æquale rationum pondus in utramque partem agnoſci debet; aut, ſi immortalitas potius admittenda ſit, non ex *rationibus* & *argumentis* naturalibus, ſed ſolo divinæ *fidei* lumine oſtendi illa poterit: conſequenter ille *Pomponatius* bene docuit, animas eſſe *Theologice* quidem immortales, non tamen *philoſophice*, hoc eſt, in Hypotheſi, ſeu doctrina Ariſtotelis, ejusque ſectatorum. R. N. C. Videtur enim argumentatio iſta aperte obſtrepere *monitis* at-

que

que *præceptis* Concilii Lateranenſis V. (CCCXCIV.) dein, ſi etiam ex ſolo auctorum *numero* quæſtio hæc dirimenda foret, cum *illuſtriora* ſapientiæ lumina in aſſerenda animorum immortalitate mire *conſenſerint*, ut hactenus ſufficienter probatum eſt, plane *immortales* animi admitti debent. Imo nullus fortaſſe effingi poteſt, (ſi aliquos ſolum aut *rudiores* e plebe homines, aut certe maxime impios, atque aurium tenus peccatorum ſordibus immerſos, Epicuri de grege porcos. Log. *fol.* 17. exceperis) qui immortales animos non agnoverit. Invitâ nempe & reluctante conſcientiâ contrarium docebant aliqui, utut pauciſſimi, & *minuti Philoſophi*, ut eos Cicero appellat *in l. de Senect. optantes* magis, quam intus vere affirmantes animas eſſe *mortales*, ut ſic *magis impune* atque *liberius* in ſuis ſceleribus perpetrandis pergere valerent, æternorum ſuppliciorum metu ſublato: aſt *mentitur iniquitas ſibi!*

Eorumque rationes refu[tan]tur.

Inſt. 1. Purus Philoſophus nequit ſcire absque *fidei* principiis, an anima rationalis a materia prima & corpore, *in fieri & conſervari*, non dependeat: ergo eidem *naturaliter* quoque *demonſtrari*

ſtrari nequit ejusdem immortalitas. R. N. A. Facile enim *ſcire* poteſt ex ipſismet animæ *operationibus*, eam eſſe *ſpiritualem*, ac toto genere a *materia* diverſam, (CCCLXXXIV.) atque eſſentialiter *ſimplicem*; (CCCXCII.) adeoque non per *eductionem* ex materia, ſed per *creationem* produci, (CCXVII.) & conſequenter eam nec poſſe perire, aut deſtrui ab *agente naturali*, ſed potius poſt mortem corporis in ſtatu *perceptionum diſtinctarum*, ſuique *memoria* perſeverare: (CDI. CDII. & CDIII.) ergo facile quoque concludere valet, illam *ex natura ſua immortalem* exiſtere, (CCCXCIX.) maxime ſi ad allatas demonſtrationes tam *phyſicas*, quam *morales*, (CDVI.) ſe reflectere voluerit, quibus ethnici etiam philoſophi convinci potuere.

Inſt. 2. *Intellectiones*, & *volitiones*, licet ſint *ſpirituales* ac *ſimplices*, naturaliter tamen deſtruuntur; ſicut & *gratia ſanctificans*, juxta Theologos, præſente peccato mortali, licet non deſtruatur, ceſſat tamen: ergo etiam *anima* rationalis, ſoluto corpore, naturaliter ceſſare poteſt. R. N. C. *Diſparitas* eſt manifeſta inter *accidentia*

ſpi-

ſpiritualia, ad quæ illa *priora* entia ſpectant, & inter *ſubſtantiam* ſpiritualem, prout *anima* eſt; hæc enim, cum dependeat a ſolo DEO, qui nunquam deficit, etiam nunquam interire poteſt, ob id maxime, quod ipſa ſit ens PER SE EXISTENS, & *vi cogitandi*, in qua ejus *vita* conſiſtit, etiam poſt mortem corporis præditum: econtra *intellectiones* & *volitiones*, cum neceſſario dependeant a cauſa creata, ſcilicet ab *anima*, tanquam *accidentia*, ſeu *modi*, per quos iſta varie ſe *modificat*, & quidem pro *libertate* ſua, poſſunt eidem modo *ineſſe*, modo vero *abeſſe;* nam ſi *una* tantum *cognitio* aut *volitio* animam ſemper afficeret, atque occuparet, *libera* illa non foret, ad *aliter* ac *aliter* ſe modificandam, cum tamen ſit *active indifferens*, ut paulo inferius demonſtrabitur; fere ſicut v. g. lignum eſt *paſſive* indifferens, ad hanc vel illam *modificationem* ſeu *figuram* in ſe recipiendam. Pariter in præjudicium quoque *libertatis* cederet, ſi homo ſe non poſſet a *Juſtitia*, & *gratia ſanctificante* avertere, & ad *peccatum* libere convertere: & hinc ejusmodi accidentia ſpiritualia pereunt aut ceſſant, tum ex defectu *cauſæ efficientis*, ea conſervare

volentis, tum etiam ex defectu *finis* &c.; tum denique quia *accidentia* ſunt, ſive *modi*, qui eidem ſubjecto *ineſſe*, vel ab eodem *abeſſe* poſſunt, ſalva ipſius eſſentiâ. (LXX.)

Inſt. 3. Demonſtrari nequit, quod anima a corpore ſeparata absque *ſpeciebus* diſtinctis cogitare valeat, neque ſufficienter probatur, quod in eo ſtatu ullas in ſe ſpecies habeat: ergo pariter demonſtrari nequit, animam poſt mortem cogitare poſſe. R. Tr. A. N. C. Quamvis enim ignotum, ut plurimum ſit, *quomodo* anima poſt mortem corporis operetur, perſpicuum tamen eſt, eam pro illo ſtatu adhuc *cogitare*, & quidem *perfectius*, quam in hac vita: (CDII. & CDIV.) Intelligit igitur vel more *Angelico*, de quo Theologi, vel (ſiquidem ſpeciebus *intelligibilibus* neceſſario ad cogitandum indiget) per *ſpecies*, ſeu imagines ſpirituales earum cogitationum, quas ipſa corpori unita olim habuit, poſt mortem ex ſpeciali Dei voluntate in ſe remanentes. Imo poteſt mens humana a corpore ſeparata actu intelligere ſine ullis ſpeciebus 1. *ſeipſam;* quia dum perpetuo *cogitat*, & per hoc ſuæ cogitationis ſibi

eſt

eſt *conſcia*, ſe quoque eo ipſo perpetuo intelligit, tanquam cogitandi radicem, intime ſibi inexiſtentem, & immediate præſentem. 2. *Deum* pariter intelligit, ſibi itidem continuo præſentem, ſive ut *remuneratorem*, ſive ut *vindicem*. 3. Alia inſuper multa vel in Deo, tanquam *ſpeculo*, ut Theologi inquiunt, *voluntario*, intuetur, vel propter *affinitatem* aut *conjunctionem* aliquam idearum inter ſe; quatenus ſcilicet ex una quandoque veritate multas alias eruit &c.

Inſt. 4. Etiam animæ brutorum a modernis philoſophis dicuntur *ſimplices;* ac indiviſibiles, & tamem non ſunt immortales: ergo ex *ſimplicitate* animæ rationalis immortalitas demonſtrari nequit. R. N. C. Nam, ut antea dictum jam eſt, bruta animantia 1. non niſi *materialia* ac *ſenſibilia* cogitant, & appetunt, nec niſi voluptatibus *corporeis* frui valent; unde poſt mortem non habent aliquem *finem*, in quem tendant, 2. bruta, etiam dum in corporibus adhuc ipſorum animæ exiſtunt, potius in finem *aguntur*, quam propter illum *agunt;* (CCXCVII.) unde evidens ſignum eſt, ea ita a corpore *dependere*, ut extra il-

lud *cogitare*, conſequenter etiam *vivere*, id eſt, operationes ſuas exercere, nullatenus valeant. 3. Denique, quia *omnia propter ſemet operatus eſt dominus*, plane inutilis foret ejusmodi anima, pure *ſenſitiva*, a corpore ſeparata, cum neque *Deum* cognoſcere, neque *hominis* amplius uſibus ſervire poſſet: ideoque *ex defectu hujus etiam finis* (etſi ipſorum animæ eſſentialiter *ſimplices* forent) perire debent, neque definitio *immortalitatis* illis proprie competit. (CD.) Plura de *brutis* ſuo loco.

ARTICULUS IV.

De Origine animæ rationalis

Origo mentis humanæ priſcis philoſophis ignota fuit.

CDIX. Quamquam plerique, ſanioris rationis philoſophi, unanimi ſemper calculo aſſeveraverint, mentem humanam eſſe ſubſtantiam *ſimplicem*, *ſpiritualem*, atque ex natura ſua *immortalem*, uti hactenus ſufficienter declaratum eſt, circa ejusdem tamen *Originem* ipſi adeo non convenere, ut ferme tot eorum ſententiæ fuerint, quot capita. Sed cum pleræque vetuſtate jam obſoletæ, ac dudum

tum

tum a SS. Patribus, tum ab aliis doctrinâ conſpicuis viris refutatæ ſint, eas breviter tantum, & hiſtoriæ philoſophicæ, a tyronibus comparandæ, causâ, hîc annotaſſe, & una aut altera ratione conviciſſe falſitatis contentus ero. Sunt autem ferme ſequentes illorum ſententiæ.

CDX. Pythagoras non hominum tantum, ſed & pecudum animas, veluti quasdam *Divinæ ſubſtantiæ particulas* eſſe docuit, quæ ex ipſa Divina ſubſtantia decerptæ humanis, belluinisque corporibus conjungerentur, atque, ex uno in aliud corpus tranſirent, ita ut una eademque anima, v. g., quæ hodie in homine *ratiocinatur*, poſt ipſius mortem in Bove *mugiat*, aut in equo *binniat* &c. errorem hunc, qui græce μετεμψύχωσις, latine *transmigratio*, dicitur, in India Orientali hodiedum a Brachmannis idolorum ſacrificulis doceri, narrant hiſtorici fide digni; quapropter illius gentis plebeji & nobiles, ſi quando ſe autumant fatis defungi, vaccam afferri in conſpectum ſibi volunt, caudamque illius manu firmiter tenentes, tunc beatiſſima ſe morte defunctos exiſtimant, ſi

Pythagoræ ſententia.

Metempſychoſis.

ani-

anima ipſorum, e corpore egreſſa, in vaccæ corpus intraverit, tanquam nobiliſſimam, uti ſomniant, & poſt fata quietam ſedem. Ea de cauſa inſignia quoque hoſpitalia, ac domos, pro vaccis alendis, conſtruunt; nullamque earum unquam mactare audent; imo eo etiam amentiæ progreſſi dicuntur, ut nullam de nocte lucernam accendere velint, ne forte, prout fabulantur, papilio, aliudve animalculum, candelæ imminens, incendioque conflagrans, aliquam avorum, parentumve ipſorum animam in ſe contentam avolare, atque in ſtatu violento per aëra circumerrare faciat. EURIPIDES ulterius progreſſus, teſte Tullio *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 26. mentem humanam nedum *Divinam* eſſe *particulam*, ſed ipſum plane *Deum* exiſtere impie aſſeverabat: *Manichæi* quoque, ut refert S. AUGUSTINUS, *l.* 7. *ſuper Geneſ. ad litt. n.* 17. Itemque *Stoici*, ac *Priſcillianiſtæ*, ut ſcribit S. HIERONYMUS *Epiſt. inter Auguſtinianas* 165. *n.* 1. ac demum impius *Spinoza*, nefarium Euripidis dogma, ambabus, ut ajunt, ulnis, amplexi ſunt. Notat vero Cl. ANT. GEN. *Met. p.* 2. *c.* 1. *poſt. Propoſ.* 19., iſtum errorem Gentilis Philoſophiæ principiis conſentaneum eſſe; nam

quia

quia illi Philoſophi *Axiomatis* inſtar habuere, *ex nihilo nihil*, & *in nihilum nil poſſe reverti*, duoque propterea ſolum ſtatuere *principia*, & quidem æterna, *materiam* ſcilicet, & *mentem*, per neceſſariam conſequentiam dicendum ipſis fuerat, quod *corpora* omnia nil aliud ſint, niſi *modificationes materiæ illius æternæ; animæ* autem *rationales modificationes exiſtant mentis æternæ in materia:* Itaque dum animas rationales ægyptii omnium primi *immortales* eſſe docebant, id docti, hoc modo ab ipſis intellectum fuiſſe, aſſerunt, quod nempe illas animas poſt abſolutum per varia corpora circuitum, in *Deum*, aut *animam mundi* crediderint reverti: ſed & eodem teſte cit. Cl. ANT. GEN. *Arabes plurimi, in eo impietatis Ariſtotelicæ ſectatores, intellectum agentem DEUM habuerunt.* Aſt præter ſuperius dicta, (CLXIII. & CLXVIII.) ſit

PRO-

PROPOSITIO I.

Mens humana neque particula Divina ſubſtantia, neque Deus eſt.

Mens humana non eſt particula Divinæ ſubſtantiæ;

CDXI. **P**ROBATUR I. *Pars.* Divina ſubſtantia eſt ſubſtantia *ſimplex*;, adeoque in plures partes, ſeu *particulas*, indiviſibilis: (CCXV.) ergo mens humana nequit eſſe particula a Divina ſubſtantia decerpta, eo ipſo, quia, ut Ethnicus denuo agnovit Cicero *l.* 1. *de Nat. Deor. c.* 11. *deberet diſtractione humanorum animorum diſcerpi & lacerari Deus.*

Nec Deus ipſe.

PROBATUR II. *Pars.* Ex S. Auguſtino, *contra Fortunatum Manichæum Diſp.* 1. *n.* 11. *Si anima ſubſtantia Dei* (ſive ipſe DEUS) *eſt, ſubſtantia Dei* (in homine) *errat, ſubſtantia Dei corrumpitur, ſubſtantia Dei violatur, ſubſtantia Dei decipitur,* ſubſtantia DEI damnatur &c., *quod nefas eſt dicere*: ergo. *Dein.* Mens humana nec *una* in omnibus hominibus eſt, ut paulo poſt dicetur, nec *æterna*, ut itidem patebit; DEUS autem eſt ſubſtantia *æterna*, & *unica*: ergo mens humana non eſt *Deus.* Unde merito Concilium Braccarenſe I. *c.* 5. ita definiit:

Si

Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit!

PROPOSITIO II.

Nec datur tranſmigratio animarum Pythagorica.

CDXII. PROBATUR I. Argumento *Ariſtotelis* (qui hanc opinionem *fabulas Pythagoricas* appellat *l.* I. *de anim. t.* 53.) ita arguentis: Sicut *ars* ad ſuæ ſpeciei opera efficienda opus habet *inſtrumentis* artificialibus: ita *anima* indiget *corpore*, tanquam inſtrumento naturali: ergo, ſicut quis abſurde diceret, artem *fabrilem* ingredi in *tibias*, quæ non ſunt inſtrumentum aptum ad opera artis *fabrilis* perficienda; ſic abſurdum eſt dicere, animam ingredi in corpus tale, quod non ſit inſtrumentum aptum ad *ratiocinandum* &c. atqui corpus v. g. vaccæ, aut equi &c. ad hoc non eſt aptum; profecto enim nunquam obſervatus eſt equus aut vacca *ratiocinari*, poſtquam anima rationalis v. g. alicujus Indi, aut Japponis, ex illorum corpore, ut ip- Metempſychoſis Pythagoræ refutatur.

ſi ſomniant, illuc ingreſſa fuit; quin potius anima *hominis* ab anima *bruti* cujuscunque toto genere, quoad modum operandi, differt: (CCCLXXXIV.) & CCCLXXXV.) ergo. Conf. Nemo unquam ſanus ac vigilans dixit, ſe meminiſſe eorum, quæ in alio quondam corpore geſſerit: ergo in alieno corpore *vim cogitandi*, ſtatumque *perceptionum diſtinctarum* non habuit: *ſubſ.* atqui in *vi* diſtinćte *cogitandi* animæ vita ac eſſentia conſiſtit, (CCCLXXXII.) cum ſit *ſpiritus:* (CCCLXXXVII.) ergo in alieno corpore non *vivebat*, & conſequenter nec unquam *erat* &c.

Probatur II. Et præcipue *ex fide*, quæ docet 1. *animam* rationalem, *pro corporum, quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicabilem, & multiplicatam, & multiplicandam.* (Sic namque definitum fuit in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X.) 2. Eam immediate poſt mortem hominis juxta opera ſua aut *ſupplicium* (in purgatorio, vel inferno;) aut prœmium in cœlo recepturam eſſe, nec amplius locum dari novis meritis comparandis &c.

CDXIII.

CDXIII. A Pythagoræ ſententia, vel potius fabula, non multum abludit Platonis (certe quoad hoc non *divini*) opinio: putabat nempe ille, animas rationales non quidem eſſe *particulas* ſubſtantiæ divinæ, ſed *generalis* cujusdam *mundi animæ*, (unde & *mundum* hunc *magnum animal* dicere ſolebat) ita ut quemadmodum corpus humanum corporis univerſi *pars* eſt, ſic anima rationalis ſit *portio* quædam, ſeu *pars integralis* illius animæ, quæ hoc univerſum perficit, & quaſi informat: exinde ortum ſumpſere tum famoſus *Platonis crater*, tum *fons* ille *animarum*, græcis philoſophis tam ſæpe memoratus. Nempe hominis productionem *in Timæo* explicans, animas rationales a Deo creatas fuiſſe ait, quatenus rerum omnium opifex *in eodem* CRATERE, *in quo mundi totius animam permiſcens temperaverat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo perfudit modo quodam eodem, non tamen perfectas ſimiliter, ſed ſecundo & tertio gradu a primis deficientes*: Igitur illa ipſa *mundi anima*, reliquarum animarum ſcaturigo, *fontis animarum* nomen accepit. Docebat vero inſuper Plato, ſingulas animas, ſtatim poſt creationem, ſin-

Platonis ſententia.

Crater Platonis.

Fons animarum.

ſingulis aſtris (*quibus*, ut inquit, *parem numerum diſtribuit animarum*) a conditore fuiſſe inſertas, & tanquam *in vehiculo* collocatas. Ibi (pergit ille) Deus illis *monſtravit univerſi naturam*, & enumeratis *vitiis*, atque *ſceleribus*, quibus in humanis corporibus ſeſe contaminare poſſent, *hæc*, dixit, *qui ſuperaverint, eos juſte eſſe victuros; injuſte vero, qui ab his fuerint ſuperati; atque illum, qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud aſtrum, cui accommodatus fuerit, reverſum, beatam vitam acturum; contra vero agentem cogi in ortu ſecundo, ſexu mutato, fieri mulierem: & qui ne tunc quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam, ſuis motibus ſimilem permutari. loc. cit.* Cæterum figmenti iſtius falſitas ex antea dictis clare ad oculum patet; nam vel *anima univerſi* eſt *corporea*, vel *ſpiritualis*? ſi 1*mum*: ergo mens humana eſſet quid *corporeum*, quod eſt contra n. CCCLXXXVII. Si 2*dum*: ergo in partes dividi nequit; (CCCLXXXIX.) & conſequenter animæ rationales ab ea decidi, atque decerpi, nequeunt.

Platonis mens rejicitur.

CDXVI.

Art. IV.

CDXIV. Origenes cum ſuis, teſte S. Augustino *l.* 11. *de civit. Dei.c.* 23. animas pariter antiquiores eſſe corporibus prætendebat, cum Platone, *nec tamen partes Dei, ſed factas a Deo*, aſt *peccaſſe* jam ante mundi ſenſibilis creationem *a conditore recedendo;* & ideo *diverſis progreſſibus, pro diverſitate peccatorum, a cœlis usque ad terras diverſa corpora, quaſi vincula, meruiſſe, & hunc eſſe mundum, eamque cauſam mundi fuiſſe faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur.* Contra hanc fabulam ſit Origenis opinio

PROPOSITIO III.

Animæ rationales non ſunt ante corpora creatæ, nec in illa tanquam in carceres detruſæ, ut ſcelerum ſuorum pœnas luant.

CDXV. Probatur I. *Pars.* Anima Adæ, qui fuit primus homo, ante ipſius corpus creata non fuit, ut patet ex *Genes. c.* 2. *v.* 7. nam primum, poſtquam Deus *formavit hominem de limo terræ*, - *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, ſive *animam* rationalem: ergo nec anima alterius cujus- Pariter rejicitur.

libet hominis ante ipſius corpus creata fuit. Id quod ulterius *confirmatur* tum ex dictis, (CDXII.) tum etiam, quia ſententia, huic Origenis opinioni contradictoria, expreſſe definita fuit in Concilio Lateran. III. *cap. firmiter. De fide Catholica.*

Probatur 2. *pars.* Eo ipſo, ſi animæ rationales *antiqviores* corporibus non ſunt, etiam nihil *mali* agere antecedenter potuere, propter quod in corpora, tanquam in carceres, detrudi, ibique puniri mereantur, quia juxta commune axioma: *Non entis nulla eſt actio*: (CCXLVIII. II.) ergo. Adde, quod ſic hominem *naſci* potius ſupplicium, quam beneficium foret, ideoque fures & latrones, per mortem a juſtitia illatam, feliciores multo, beatioresque exiſterent quam alii homines innocui, quibus longe diutius in tenebricoſo corporis ſui carcere hærendum, atque iſtud (ſiquod eſt) ſupplicium luendum eſt &c. quod qui dicit, næ ſanæ rationi, & ſenſui communi contradicit! quare merito in V. Synodo œcumenica *can.* 1. fabuloſa hæc *animarum præexiſtentia* anathematis fulmine percuſſa pariter fuit.

CDXVI.

CDXVI. Tertullianus & Apollinaris, cum quibusdam aliis, exiſtimabant, animas rationales ex parentibus in filios *traduci*, ſeu quaſi *transplantari*, (Metaphorâ deſumptâ ex *traduce*, hoc eſt, propagine, ſive ſurculo, ex arbore reſecto, & in truncum inſerto, ſicque ad ſimilem arborem generandam *traducto*) ita nempe, ut, quemadmodum *corpus* prolis, a parentibus productum, e corpore iſtorum tanquam *pars* enaſcitur, ſic etiam *anima* ejusdem, ex parente vel utroque vel alterutro tanquam vera animæ ipſorum pars, ſurculi inſtar deciſa, in illam transplantetur, aut (ſecundum aliorum explicationem) ut, quemadmodum ex accenſa face plures aliæ faces accendi poſſunt, ac ignis ille vel ſplendor, qui in prima, ſive veteri face reperitur, in faces alias diffunditur, ita fere parentis anima in filii corpus ſui partem inſerat, atque diffundat. Huic opinioni opponitur ſequens

Traducianorum ſententia

PROPOSITIO IV.

Anima rationalis ex parentibus in filios per traducem non propagatur.

Itidem refellitur.

CDXVII. PROBATUR. Si anima rationalis ſic propagaretur, revera deberet eſſe *corporea;* ſolum enim *corpus* in partes dividi poteſt; non autem *ſpiritus*: (CCCLXXX. & CCCLXXXI.) atqui anima rationalis *corporea* non eſt: (CCCLXXXVII.) ergo per *traducem* non propagatur. p. M. nequit anima rationalis ex Patre v. g. propagari in filium, niſi plures *particulas* ipſa contineat, quarum una ſejungi a ſuo toto ex integro poſſit, & ſeminis vehiculô in illud transfundi corpuſculum, cui pater ipſe, cum filium generat, motum ac vitam impertitur, ut loquitur Cl. P. FORT. a BRIX. *Met.* p. 2. §. 124. ac proinde niſi ſit *corporea.* Id probat ſimiliter S. AUGUSTINUS *Epiſt.* 190. *n.* 14. quamquam de cætero circa animæ originem S. hic doctor, *in tam multis opuſculis* ſuis, *nunquam auſus* fuerit *definitam proferre ſententiam*, prout ipſemet inquit *cit. Epiſt.* n.2.& *in l.* I. *de anima, & ejus origine. n.* 25.

ubi in hæc verba mentem ſuam aperit: „Dico etiam ego de anima mea, „neſcio, quomodo venerit in corpus „meum; neque enim ego illam mihi „donavi. Scit iſte, qui donavit, utrum „illam de patre meo traxerit; an, ſicut primo homini, novam creaverit. Nunc autem neſcio, nec me „pudet fateri neſcire, quod neſcio.“ Nihilominus tamen hanc Tertulliani opinionem, *cit. Epiſt.* 90. *n.* 13. Illi, ad quem ſcripſit, nempe *Optato*, aperte diſſuaſit; unde ejus authoritas in partem probationis male ab adverſariis trahitur. Ipſe denique Wolfius *Pſych. rat. Sect.* 4. *c.* 2. §. 703. Propagationem animæ per parentes ut *impoſſibilem* agnoſcit, eoquod *Materialiſtarum* Hypotheſi aperte faveat.

CDXVIII. Aſt, quoniam *facilius* plerumque eſt, *alienas ſententias refutare*, *quam propriam* ſtatuere, etſi citatus Wolfius animas rationales a ſolo Deo per *creationem* fieri, contra Tertullianiſtas, ſolide defendat, Leibnitium tamen, ſicut in aliis plurimis, ita quoque in hac parte ſecutus, *loc. cit.* §. 704. animas omnium omnino hominum, qui unquam fuerunt, ſunt, & erunt, ſimul Wolfii Syſtema.

ab initio mundi fuiſſe a Deo conditas, ſuisque *corpuſculis organicis*, ſeu primis omnium fætuum naſciturorum rudimentis, in Evæ ovario tunc pariter formatis, incluſas, ſenſimque aliis & aliis, ab Eva immediate aut mediate deſcendentibus fœminis, communicatas, & usque ad mundi finem ſucceſſive una cum his ipſis organicis corpuſculis evolvendas eſſe contendit; eas vero interea, usque dum una cum corpuſculis organicis, per ſemen virile e loco ſuo movendis, in uterum maternum deferantur, *in ſtatu perceptionum confuſarum* verſari inquit, *loc. cit.* §. 706. a quo ſtatu dein *ſucceſſive* in ſtatum perceptionum *diſtinctarum* transferantur, atque *continua perceptionum obſcurarum evolutione, diminuto ſenſim obſcuritatis gradu, tandem ad ideas claras perveniant*, (§. 713.) & quidem eo adhuc tempore, *dum fœtus in utero*, corpuſculorum evolutione, *formantur.* (§. 717.) *Legem* porro animæ *perceptionum confuſarum* in ſtatu *præexiſtentiæ* (§. 715.) hanc ſtatuit: *anima in ſtatu præexiſtentiæ ſibi repræſentat hoc univerſum convenienter mutationibus, quæ in animalculo ſpermatico*, vel in corpuſculo organico, ſtamina fœtûs continente contingunt.

gunt. Porro animalculum ſpermaticum vermiculus quidam eſt ex illis, qui juxta *Lœwenbœckium*, *Hartſœckerum*, & alios, maſculino ſemini innatantes, oculo armato conſpiciuntur, & materno utero, congreſsûs tempore, injiciuntur, ibique ad maturitatem perveniunt, & adoleſcunt, quibusque ſolis, ut citati auctores volunt, (non vero ovulis fœmineis) animæ præexiſtentes incluſæ jam ſunt: hanc tamen ſententiam, *traducianorum* opinioni aperte faventem, (n. præc.) Cl. P. Fort. a Brix. Met. p. 2. §. 135. adeo *turpem eſſe* ait, *ut in impugnanda animarum in illis animalculis præexiſtentia piaculum ducat vel minimum immorari.* A Leibnitio vero animæ in utero materno adhuc exiſtentes, atque in dicto ſtatu conſtitutæ, *dormientes* appellantur. Cæterum

Animalcula ſpermatica Lœwenhœckii.

Animæ dormientes.

CDXIX. *Scholion.* Ut tum iſthæc *Wolſii* ſententia ſolide refutetur, tum etiam verior dein, atque *Catholica* ſtatuatur, neceſſario huc apponendam eſſe duxi communem modernorum, tum *Phyſicorum*, tum *Medicorum*, de generatione hominis doctrinam, „caveant tamen obſecro tyrones (verbis „utor Cl. P. *Donati a transfig. Domini*

Generatio hominis declaratur.

„ *tom.*

„*tom.* 3. *Phyſ. ſpec. diſſert.* 3. *c.* 3.) ne, „quæ hoc loco dicuntur, quovis mo„do in animæ ſuæ perniciem vertant: „neve putida aliqua voluptate, quæ „longiſſime ab ingenuis, & *vel ma„xime a Religioſis* mentibus abeſſe de„bet, delectentur: quin potius ortûs „ſui vilitatem, & multiplicem miſe„riam agnoſcentes, humilientur ſub po„tenti manu Dei, quæ ex tam vili„bus initiis, ad id ætatis & conditio„nis, quo hæc agnoſcere, & plaſma„torem ſuum admirari poſſunt, eos „perduxit; perductura etiam ad finem, „quo Deus ipſe nobiliorem habere ne„quit; ſiquidem memores ejusdem Dei, „plaſmatoris ſui, infinitam illius ſapi„entiam, ſuaviſſimam providentiam, „incircumſcriptam potentiam demira„ri, adorare, amare, celebrare ſedu„lo, ac ſemper induxerint.„ Igitur

Virtus plaſtica.

I. Moderni Philoſophi pro certo tenent, fœtum in utero nequaquam fieri ex ſola commixtione ſeminum utriusque parentis, mediante *innata* quadam *vi*, quam veteres Scholaſtici cum Galeno, *plaſticam*, ſive *formatricem*, ſeu *architectonicam* dixere; nam *vis* iſta, ſeu *virtus plaſtica*, ſi materiæ ſeminali ineſ-

ineſſet, prædita eſſe deberet abſolutiſſima non minus *ſcientiâ*, quam exquiſitiſſimâ quoque *induſtriâ*, ut opus tale ac tantum, quale eſt corpus hominis, aut alterius etiam animalis, *perfecti* non ſolum, ſed & *viliſſimi*, compingere ex informi humore ipſa poſſit, absque eo, quod prima fœtûs naſcituri ſtamina, ac velut germina, in utero materno, haud ſecus ac pullus v. g. in ovo latet, præcontineantur. Unde

II. Communiter tenent, homines, aliaque animalia *vivipara* (ſic illa dicuntur, quæ *vivos fœtus* emittunt, ſicut econtra *ovipara* appellari ſolent, quæ *ovă* pariunt, ex quibus illorum fœtus poſtea erumpunt) ex *ovulis*, in utero materno latentibus, atque a maſculini ſeminis aura fœcundatis, partus ſuos generare, ibique adeo contineri jamjam corpuſcula animalium ac hominum, ex illis naſciturorum, & quidem, ut Cl. P. Fort. a Brix. *Phyſ. part. p.* 2. §. 4890. tuetur, *omnibus ſuis partibus abſoluta;* arbitratur enim, *omnia ſive ova, ſive ſemina, ex quibus ortum ſuum habuerunt, quæ hactenus nata ſunt, habent, quæ naſcuntur modo, & habitura ſunt, quæ ad usque mundi finem* Ovula fœminea. Involutorum hypotheſis.

tam

tam animalia, quam vegetabilia ſunt naſcitura, in ipſo mundi exordio condita a Deo fuiſſe, eoque diſpoſita artificio, ut, quæ poſterius fœcundanda ſunt, in iis, quæ prius debent fœcunda reddi, involuta exiſtant: qua de cauſa etiam hanc ſuam ſententiam *involutorum hypotheſin* vocat, neque in ea putat aliquid vel minimum reperiri, *quod repugnet;* cum enim *materia* ſit quaſi in infinitum diviſibilis, & *Deus* ſit infinite potens, & infinite ſapiens; nec *machinula* futuri viventis, in ſemine deliteſcens, ab ullo agente corporeo compingi queat, (cum nec ab humana intelligentia omnes ejus partes defacto comprehendi valeant) nihil, inquit, prohibet, quominus innumeræ prorſus vegetabilium & animalium machinulæ compingi ab omnipotente Deo potuerint minores, & minores in infinitum, ac proinde ejusmodi, ut illarum una plures alias, harum quælibet alias plures, & ita porro, complectatur. In hunc finem adducit pro ſe teſtimonium S. Augustini *l.* 3. *de Trinit. n.* 13. ita loquentis: "*omnium rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur*, OCCULTA *quædam* „SEMINA *in iſtis corporeis mundi hujus ele*„*mentis latent; alia ſunt enim hæc jam conſpi-*

„*ſpicua oculis noſtris ex fructibus & ani-* „*mantibus; alia vero* OCCULTA *horum* SEMINUM SEMINA.„ Et Eccleſiaſticus ait: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul* c. 17. Itemque Eccleſiaſtes *c.* 1. *v.* 10. *nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt; jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* Quæ verba cit. Cl. Auctor ſic explicat: *creata ſunt omnia ſimul*, quatenus ſimul creata fuerunt omnia futurorum, tum animalium, tum vegetabilium ſemina, *nihil*que *habetur ſub ſole novum*, ſed in ſœculis præceſſit, quod recens emergit; quia omnia, quæ ſucceſſive in lucem prodeunt, & deinceps prodibunt viventium individua, in ſuis ſeminibus initio jam conditis præceſſerunt. Alii tamen aliter hac de re ſentiunt. (CDXXX.)

Cæterum quod homines quoque ex *ovis* naſcantur, exinde patet, 1. quia plures humani fœtus non in *utero*, ſed in illius *tubis*, (*Fallopianæ* ab illarum inventore *Fallopio* vocari communiter ſolent, ex uteri fundo utrinque naſcentes) imo & in *ovariis*, atque *abdomine*, ut refert Cl. Valliſnerius apud cit. Cl. P. FORT. a BRIX. §. 4887. inven-

venti non ſemel fuerunt, cujus alia nequit aſſignari cauſa, niſi quia ovum fœcundatum aut *in ovario*, ejusque *tubis*, remanſit, aut in *abdomen* deſcendit, 2. Narrat Hippocrates, teſtis oculatus *l. de nat. pueri. n.* 4. fœminam quamdam tibicinam abortum feciſſe, qui talis erat, *veluti ſiquis ovo crudo externam teſtam circumcirca adimat.* 3. Demum fœtus illi omnes, qui cæſo mortuæ matris utero extrahuntur, crudum quoque *ovum*, ſuis tantum membranis comprehenſum, referre ſolent. Id ipſum etiam Ariſtoteles agnoviſſe videtur, dum *l.* 3. *de generat. animal c.* 9. de illis loquens animalibus, *quæ intra ſe pariunt animal*, *iis quodamodo*, inquit, *poſt primum conceptum oviforme quoddam efficitur; humor enim in membrana tenui continetur, quaſi ovi teſtam detraxeris.* His ſuppoſitis

Conceptio hominis,

III. Homo *concipitur*, quando ſemen virile, utero fœmineo injectum, iſtius calore in halitus reſolvitur, & per tubas *Fallopianas* ad ovarium fœmineum penetrat, ovulumque unum vel alterum fœcundat, (hæc autem *fœcundatio* certe non poteſt ulli alteri cauſæ adſcribi, niſi ſoli illi Benedictioni cœleſti,

leſti, & operatrici, *Gen.* 9. *v.* 7. *creſcite*, *&* *multiplicamini*, *&* *replete terram)* quod paullatim intumeſcens tandem ovarii membranam rumpit, & per alterutram *tubam Fallopianam* in *matricem*, ut ajunt, decidit: quam primum vero illuc pervenit, ope *placentæ*, ut vocant, *uterinæ* fœtus cum utero conjunctus, *venam umbilicalem* ſortitur, cujus ope alimentum poſtea e ſanguine materno percipit, ibique tam arcte cum matre conjungitur, ut quacunque vehementiore materni ſanguinis agitatione, per imaginationem, & affectus inde naſcentes ſuborta, fœtus ipſe etiam varie afficiatur, nævosque varios maternos contrahat, ut experientia quotidiana teſtatur.

IV. Fœtus in utero ad maturitatem tandem perductus, atque ab incurvato ſuo, & in orbem coacto corporis ſitu moleſtiam ſentiens, ſe dein explicare paulatim nititur; hinc pronus verſus uteri os ruens Matrem vehementer gravare, premere, ac tendere incipit, donec tum ipſius fœtûs volutatione, tum Matricis, partiumque eam ambientium Elatere, (Elater *vis* eſt *poſt compreſſionem ſe reſtituendi)* tunicæ, illum in- Et Nativitas.

involventes, rumpantur, os uteri aperiatur, ac magno & doloroſo Matris niſu atque conatu fœtus in lucem protrudatur, ſive *naſcatur.* Nunc ſequitur

PROPOSITIO. V.

Animæ rationales non fuerunt ſimul omnes in mundi exordio a Deo creatæ, & organicis corpuſculis, tunc itidem a Deo creatis, atque in ovis fœmineis deliteſcentibus, incluſæ.

Wolfii Syſtema impugnatur.

CDXX. PROBATUR I. *Authoritate* ſupra citati Concilii Lateranenſis V., (CDXII.) in quo dicitur, *animam rationalem, pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter eſſe — multiplicatam, & MULTIPLICANDAM:* atqui ſi animæ rationales fuiſſent a mundi exordio ſimul creatæ unacum organicis corpuſculis, *multiplicatæ* quidem forent pro futurorum hominum numero, ſed non MULTIPLICANDÆ: ergo. 2. Certum eſt apud omnes Theologos, & SS. Patres, animam Chriſti non ab initio mundi, ſed in ipſo primum

mum ſuæ Puriſſimæ conceptionis inſtanti creatam fuiſſe: ergo falſo pro ſua ſententia Wolfius allegat illud *Gen.* 2. *requievit (DEUS) die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat.* Ut magis poſtea ex ſolutione objectionum patebit. 3. Salvâ hac Wolfii ſententiâ nemini plane ſuaderi *virginitas* poſſet, cum per eam innumeræ animæ, jam actu in ovariis fœmineis exiſtentes, (ut ipſe aſſerit) & Redemptoris haud dubie ſanguine ad beatitudinem æternam habiles factæ, cœlo excluderentur, niſi per Matrimonii uſum, a ſingulis fœminis initum, e ſuis corpuſculis evolutæ, ad Baptiſmi gratiam promoverentur: hæc autem ſequela Chriſti Doctrinæ ab Apoſtolo Paulo traditæ. 1. *Cor.* 7. aperte repugnat &c. adeoque plane cæcutiebat Wolfius, dum ita confidenter *loc. cit.* §. 705. aſſerere auſus eſt, ſe *non videre, quid inde ſequatur, quod vel naturali, vel revelatæ Religioni, vel virtuti ſit adverſum, ſi in prima ſtatim rerum creatione animas a Deo productas aſſirmes unacum ſtaminibus fœtûs.*

Probatur II. *Ratione.* Vel organicum ejusmodi corpuſculum, quod in ovulo fœmineo incluſum animam ratio-

tionalem in ſe continet, motus *vitales* exercet, vel non? ſi 2*dum*: ergo eo ipſo *rationali anima* præditum non eſt, quia ubicunque illa habetur, *vita* datur, (CCCLXXIII.) quemadmodum a contrario, ubi anima diſceſſit, vita ceſſat. Si 1*mum*, tunc profecto ad hominem *concipiendum* neceſſe haud quaquam eſt, ut ovum fœmineum a maſculini ſeminis aura fœcundetur, quia hoc ipſo, quod organicum illud corpuſculum *vivat*, & vere *animatum* ſit, jam habet ex ſe motum illum omnem, quem a viro recipere deberet: (*n. præc.* III.) ergo ovulum ſine viro moveri, partes extendi, ſtaminaque evolvi poſſunt, (prout modo, poſt hominis nativitatem, id omne contingit in corpore ipſius, quamdiu anima rationali gaudet) quod tamen nec ipſe Wolfius in ſuis principiis admittere valet. CONFIRMATUR I. In organico corpuſculo, quod in ovo fœmineo delitescit, tales *mutationes* fiunt, quibus *confuſa* rerum *perceptio*, ſive *ſenſatio* atque imaginatio in *anima*, illi copulata, reſpondet: (ita Wolfius ſupra citatus. (CDXVIII.) ergo nihil ipſi deeſt, quo minus *vivens* appellari valeat, cum nihil *ſenſitivæ imaginationis* capax ſit,

quod

quod non *vivit*. II. Prorſus impercep-tibile eſt, quomodo per tot ſæcula, quot jam ab orbe condito usque in præſens fluxerunt, fieri continuo potuerint *motus* in corpuſculo hominis modo geniti, quin ipſius corpuſculi partes, in quibus illi motus contingebant, aliquid vel minimum *paſſæ* unquam ſint, *nutritione* reparandum: ſin autem admittat Wolfius, illud corpuſculum vere in ovo fœmineo *nutriri*, quæro cum Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 134. undenam illi adveniat materia, ad nutritionem requiſita? & cur, ſi fiat *nutritio*, non pariter *accretio* habeatur? *nutritio* porro in illo corpuſculo abſolute fieri nequit, quin perfecte *vivat*, & conſequenter quin ad hominem concipiendum *fruſtranea* omnino ſit maſculini ſeminis actio. &c. III. Dici a Wolfio, cum *rationis ſufficientis* principio, non poteſt, quidnam talis anima, unacum corpuſculo organico latens in ovo fœmineo, *confuſe* percipiat? nam, ſi verum eſt, quod ipſe docet *Pſychol. Empir.* §. 57. *per mutationes* ſcilicet, *quæ in corpore noſtro accidunt, nos intelligere, cur res materiales in mundo aſpectabili percipiamus, & cur tales potius percipiamus, quam alias,*

aperte ſequitur, nullam prorſus rerum earum, quæ aſpectibilem mundum hunc conſtituunt, percipi, ne *confuſe* quidem, ab anima tunc poſſe, eoquod nulla earum rerum poſſit mutationem aliquam in corpuſculo organico, quamdiu in ovo deliteſcit fœmineo, excitare, cum in eo ſtatu res corporeæ non ita *præſentes* ſint illi corpuſculo, prout requiritur ad motum illi communicandum: abſque *motu* autem, ſive *impetu,* motionem nullam fieri apud omnes in confeſſo eſt: (ſecus enim eo ipſo aliquid fieret absque *ratione ſufficienti*) ergo. IV. Vel in omnibus omnino fœminis exiſtunt ejusmodi ova, quibus animæ rationales inſunt, vel non; ſi in *omnibus?* ergo *plures* a Deo conditæ ſunt animæ, quam naſcituri ſint homines, (non enim ex *ſingulis* fœminis homines, ut patet, actu ſemper naſcuntur) & conſequenter ipſemet mundi creator *fruſtra*, & *ſine ratione ſufficienti*, eas creaſſet: aut dicat Wolfius, in quem finem creatæ forent tot animæ, nunquam humano corpori conjungendæ? an redemptæ? an æternum duraturæ, aut ſponte ceſſaturæ? &c. Si vero in iis tantum fœminis, ex quibus homines certo

na-

naſcituri ſunt, ovula prædicta lateant, animas rationales in ſe continentia, ſequitur, quod in fœminis, absque matrimonii uſu decedentibus, natura produxerit fruſtra aut *ovula*, ſiqua habent, rationali anima non prædita, aut *organa*, ad eum finem in ipſis elaborata: atqui hoc rurſus nec *experientiæ* congruit, nec aliis Wolfii principiis, cum etiam juxta ipſum verum ſit axioma illud: *Deus & natura nil faciunt fruſtra*: ergo.

Rabbinorum fabula.

CDXXI. *Corollarium.* Cum nulla detur animarum *præexiſtentia* tum in ſenſu *Origenis*, (CDXV.) tum in ſenſu *Wolfii*, (n. præc.) ſponte quoque ſua corruit ridicula *Rabbinorum* ſententia, docentium, quod, cum nos haud aliter obſervandæ cuicunque *legi* obnoxii ſimus, niſi eadem nobis *promulgata* fuerit, omnium hominum, qui futuri fuerant, animæ jam ante corpora, Angelorum inſtar, initio mundi creatæ, in *Sinay* montis vertice ſimul adfuerint, legemque ex Tabulis, Moyſi datis, ſolemni promulgatione inter fulgura & tonitrua acceperint. Hic error, tum in *jure naturæ*, tum in *Theologia morali* uberius quoque refutari ſolet.

Sententia Catholicorum.

CDXXII. Poſtrema denique, eaque ſanior de animæ rationalis origine opinio tenet, omnium hominum animas adhucdum a Deo creari, ſuoque ſingulas corpuſculo tunc primum infundi, cum ad eum ſtatum in utero materno illud pervenerit, ut in eo *vitaliter* operari mens valeat. Sive porro *organicum* illud gignendi fœtûs *corpuſculum* (inquit Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 117.) ex ſeminum commixtione in utero Matris elaboretur, ſive formatum initio temporis a Deo fuiſſe dicatur, & ovo fœmineo incluſum, perinde eſt. Satis eſt enim, ut ad vitæ munera obeunda non dicatur idoneum, niſi maſculini ſeminis aura accedat, ovumque fœmineum ſua vi & energiâ fœcundum reddat. Jam pro hac ſententia ſit

PROPOSITIO. VI.

Anima rationalis a ſolo Deo fieri poteſt, & re ipſa efficitur.

Anima a ſolo Deo creatur.

CDXXIII. Probatur. Anima rationalis eſt ſubſtantia phyſice *ſimplex*: (CCCXCII.) ergo produci niſi per *creationem* non poteſt; (CCXVII.) *ſubſ.* atqui ſoli Deo compe-

tit

tit creandi virtus, dicente S. AUGUSTINO *l.* 12. *de civ. Dei c.* 24. *Neque enim fas eſt, ullius naturæ, quamlibet minimæ mortaliſque, creatorem, niſi Deum credere, ac dicere*: ergo &c. unde etiam idem S. DOCTOR *Epiſt.* 190. *n.* 16. expreſſe ita loquitur: " Quis negat, non unius „ tantum, ſed omnis animæ creatorem „ DEUM atque factorem, niſi qui ejus „ eloquiis apertiſſime refragatur? ſine „ ulla quippe ambiguitate per Prophe- „ tam dicit: *omnem flatum ego feci*, ani- „ mas videlicet intelligi volens, quod „ verba conſequentia manifeſtant. Non „ itaque unum, quem facto ex terra „ homini primo inſpiravit, ſed omnem „ flatum ipſe fecit, & ipſe adhuc facit.„ Pari modo etiam loquitur Cicero. *qq. Tuſc. l.* 1. *c.* 27. in hæc verba ſcribens: *animorum nulla in terris origo inveniri poteſt, — — nec invenietur unquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi a Deo.* Et quidem

PROPOSITIO VII.

Anima rationalis tunc a Deo creatur, & organico gignendi fœtûs corpuſculo infunditur, quando ea in ipſo habetur partium evolutio, ſive organizatio, quæ ad operationes vitales immediate ſufficit.

Et corpori debite organizato infunditur,

CDXXIV. Probatur I. *Negative*, hoc eſt ex rejectione ſententiarum, de animæ rationalis origine hactenus recenſitarum; ſi enim nulla ex iis opinionibus ſatisfacit, nec alia adhuc, quam præſens, ſupereſt, profecto huic unice aſſentiendum eſt. At quoniam argumentum *negativum* ſine *poſitivo* parum aut nihil probat, hinc

Probatur II. *Poſitive*. Anima rationalis tunc *recedit* a corpore, quando iſtud idoneum atque ſufficiens amplius haud eſt ad motus *vitales* peragendos: ergo etiam tunc ſolum anima rationalis humano corpori a Deo infunditur, quando ea in ipſo corpore habetur partium evolutio ſive organizatio, quæ ad operationes *vitales* immediate ſufficit.

CDXXV.

CDXXV. *Scholion* I. Dixi *ad operationes vitales*, non *rationales*, ut veteres quidam Philoſophi, famoſæ *animarum ſucceſſionis* Patroni, dicebant, docentes, quod in generatione hominis, quando organa in fœtu (*Embryo* is quoque dicitur) adhuc ſunt valde imperfecta, attamen pro *nutritione* jam apta, primo producatur *anima vegetativa*; poſtea vero, quando organa ſunt perfectius elaborata, anima vegetativa rurſum deſtruatur, & ejus loco producatur *ſenſitiva*, ac tertio denique, ſi organa ſint omnino perfecta, deſtructæ etiam animæ *ſenſitivæ* ſuccedat *rationalis*, quæ etiam ſimul ſit *vegetativa*, & *ſenſitiva*. Aſt non videtur, in quem finem tot ſint entia multiplicanda, ſive animæ? & quidem ſine neceſſitate; nam *ex una parte* omnia, quæ præſtare deberent duæ animæ præcedentes, poteſt in fœtu humano anima *rationalis* æque immediate præſtare, ac in corpore magis adulto eadem nunc operatur, ſeſeque *vegetativam* non minus & *ſenſitivam*, quam *rationalem* a poſteriori, ſive per effectus ſuos, demonſtrat. *Ex altera* vero *parte* nil obſtat, quo minus eadem anima rationalis ſtatim ab initio operationum

Absque eo, quod detur ſucceſſio animarum.

vita-

vitalium Embryoni infundatur, aut ſi quid obſtaret, foret *defectus* debitæ *organizationis*? (ut veteres illi putabant) ſed quæro: an per *debitam organizationem* intelligunt organa tam perfecte elaborata, ut anima per eadem immediate quoque *ratiocinari* queat? num vero ſolum intelligunt organa ſatis perfecta pro *vegetationibus*, & *ſenſationibus* eliciendis, ac ſaltem *inchoata* pro *ratiocinationibus*, & *volitionibus*? non 1*mum;* alias anima rationalis ante *ſeptennium*, quo potentia ratiocinandi in actus ſuos exire primum cenſetur, corpori haud infunderetur, quod eſt aperte falſum. Si 2*dum*: ergo eo ipſo tunc pro *anima rationali* infundenda jam datur diſpoſitio ſufficiens, eoquod poſſit ponere operationes *ſaltem aliquas* ſibi *proprias*, nempe *vegetationes*; (quas etiam, juxta adverſarios, ponit poſtea, cum *ſola* exiſtit in corpore) ad reliquas vero habeat organa *inchoata*, & functionibus rationalibus deſtinata.

Galeni adhuc opinio refutatur,

CDXXVI. *Scholion* II. Galenus cum aliis quibusdam, non tantum *ſucceſſive*, ſed *ſimul* & actu tres in homine animas ſtatuiſſe fertur, tum realiter inter

ter ſe diſtinctas, tum etiam loco diſſitas, *unam* ſcilicet *rationalem* in cerebro, alteram *ſenſitivam*, ſive, ut nominabat, *iraſcibilem* in corde; *tertiam* denique *concupiſcibilem* in *hepate*. Triplex hæc anima juxta Platonem (qui huic quoque ſententiæ ſubſcripſiſſe fertur) Reipublicæ bene ordinatæ ſimilitudinem in ſe continet, cum in ea triplex pariter detur ordo, videlicet *Senatorius*, *Militaris*, & *plebejus*: verum opinio hæc ſatis refutatur tum ex dictis de *ſpiritualitate* animæ, tum etiam quia anima *concupiſcibilis* nequit appetere jucunda, & averſari moleſta, niſi illa *cognoſcat*: alias enim ferretur in incognitum: & conſequenter anima *concupiſcibilis* formaliter quoque *cognoſcitiva*, ſeu *rationalis*, eſſe debet: ſimiliter de anima *iraſcibili* loquendum eſt.

CDXXVII. *Scholion* III. Manichæi teſte S. Augustino *l. 6. contra Fauſt.* c. 8. uti duo rerum principia ſtatuebant, alterum *bonum*, alterum vero *malum*, ita duas quoque in eodem homine ſimul adſtruebant animas rationales, unam ſcilicet *bonam*, a bono Deo, & alteram *malam*, a malorum omnium auctore, ſeu malo genio, pro- Sicut & Manichæorũ.

du-

ductam, atque ex hac animatum diverſitate concupiſcentiam malam, ſpiritûsque adverſus carnem inſultum provenire, & non hominem, ſed *malam* tantum in homine *naturam* peccare contendebant. Aſt hic pariter error, in DEUM ſummopere blaſphemus, & *libertati* creaturarum e diametro oppoſitus, Jure a S. Synodo Conſtantinopolitana IV. damnatus, & anathematis flulmine percuſſus dudum fuit, atque hodiedum a Theologis paſſim refellitur, qui luctam illam, quam in nobis haud ſemel experimur (juxta illud. *Gal.* 5: *carò concupiſcit adverſus ſpiritum*) neutiquam excitari aſſerunt a diverſis naturâ animabus, ſed ſolum a diverſis *unius ejusdem*que animæ *ſenſitivo-rationalis* inclinationibus, & operationibus, ex diverſis objectis & motivis, animæ propoſitis, originem ſuam deducentibus: unde & homo *inferior* adverſus *ſuperiorem*, & appetitus *ſenſitivus* contra *rationalem* pugnare dicitur. Neque appetitus *ſenſitivus* eſt ipſa continuo *volitio libera*, ſed *materialis* tantum, & ab organis *corporeis* dependens animæ rationalis affectio, de qua habetur illud Aſceticum: *non nocet ſenſus, dummodo abſit conſenſus?*

CDXXVIII.

CDXXVIII. *Scholion* IV. De Monſtris humanis, (CCCXXV.) in quibus partes *primariæ*, e. g. *cerebrum*, & *cor*, ſunt duplicatæ, nullus dubitat, quin ea *duplici* anima, & quidem rationali, informata, & conſequenter duplici quoque Baptiſmo Baptizanda ſint; ſecus autem ratiocinandum, ſi partes *primarias* habeant ſimplices, & tantum *ſecundarias* poſſideant duplicatas. Ratio vero eſt, quia in *priore* caſu revera duplicata adſunt organa, animæ *rationalis* operationibus ſufficienter inſervientia; ſecus in *poſteriore* caſu dicendum eſt. Monſtra quænam humana duplici anima gaudeât?

CDXXIX. *Scholion* V. Cæterum quo temporis momento anima rationalis Embryoni infundatur? Medici certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Alii namque opinantur, fœtum animari circa *ſeptimum* a conceptione diem, eoquod tunc jam appareant tenujora quædam partium initia, ad *aliquas* ſaltem operationes vitales & *vegetationes* ſufficientia: alii econtra *trigeſimo* primum die poſt conceptionem in maſculis, & *quadrageſimo* circiter in fœmellis fœtum animari anima rationali putant; nam circa id tempus membra omnia ſatis ela- Quo die fœtus animetur? incertum eſt:

elaborata jam ſunt, quamvis ipſe fœtus adhuc valde exiguus ſit. At vero Conimbricenſes, *in* 2. *l. de anima. c.* 1. *q.* 4. docent, delineationem corporis in *Maſculis* perfici circa *quadrageſimum* diem, in *fœminis* autem circa *octogeſimum*, idque ex eo cum multa verſimilitudine deducere conantur, quia in Lege Moſaica fœmina, ſi maſculum pepererat, 40 diebus; ſi fœminam, 80 diebus ſe domi continere juſſa fuit: hunc quippe numerum complures S. Scripturæ interpretes *ad imitationem naturæ, ac temporis, quo in utero corpus formatur*, præſcriptum fuiſſe ajunt. Forſan a vero aberrant minus (inquit Cl. P. Hauser. *Pſychol. p.* 1. *q.* 7. *art.* 3. §. 149.) qui media incedentes via, circa *vigeſimum* diem fœtus animari opinentur magis, quam affirment. Interim nobis perinde eſt, quocunque die animetur embryo? quia ſolummodo affirmamus, animam rationalem tunc infundi, quando ad *aliquas* operationes *vitales* debita habetur partium evolutio, quo autem die id contingat? Medicis, ad quorum forum ſpectat, diſcutiendum omnino relinquimus.

CDXXX.

CDXXX. *Scholion.* VI. Sed & pariter incertum eſt, quænam ſit *cauſa* efficiens rudis illius delineationis, ſeu organizationis *cordis*, *cerebri* &c. quæ ſenſim in fœtu ſeu embryone perficitur? nam, præter mox antea dicta (CDXIX. II.) alii eam putant proficiſci ab ipſa jamjam præſente *anima infantis*; alii vero longe plures illam adſcribunt *animæ Matris*, imediatione ſuppoſiti applicatæ; concurrentibus ſpiritibus, generationi inſervientibus; cum enim detur *cauſa efficiens* creata, (CCLI.) & anima inſuper Matris ſit longe ac eminenter *perfectior* quam hæc machinula, optime dici poſſe putant, quod Deus animæ Matris indiderit *virtutem*, illam fætûs delineationem efficiendi, maxime quia anima rationalis *vim* & *actionem* in corpus, ut in *Sect. ſeq.* videbimus, actu exſerit. Porro contra poſitas hactenus propoſitiones quoniam moveri non nulla ab adverſariis queunt, hinc ut eorum argumentis obviari poſſit

Pariter non conſtat, quænam ſit cauſa efficiens organizationis ejusdem?

Solvuntur Objectiones.

Traducianorum ſententiæ non favet S. Scriptura;

CDXXXI. OB. I. *Contra IV. Propoſit.* Syſtemati *Traducianorum* (CDXVI.) favet S. Scriptura; nam *gen.* 46. *v.* 26. dicitur: *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius.* Item *Gen.* 12. de Abrahamo & Loth dicitur, quod acceperint ſecum *animas, quas fecerant in Haran*: ergo, ſi in ſenſu *litterali* S. Scriptura accipiatur, animæ rationales revera *per traducem* generantur. R. N. C. Nam S. Scripturæ perquam ſolemne eſt loqui per *Synecdochen*, qua ſcilicet aut *contentum* pro *continente* ſumitur, id eſt (in noſtro caſu) *anima* pro *corpore*, illam in ſe continente, aut *pars* pro *toto*, hoc eſt, *anima ſola* pro toto *homine*, in quo ſenſu etiam illud *Levit.* 5. accipiendum eſt, ubi dicitur: *anima, quæ* TETIGERIT *aliquid immundum* &c.; unde ſenſus illorum verborum eſt: *Cuncti homines, qui egreſſi ſunt de femore Jacob.* Sic etiam paſſim homines viles *viles animæ* vocari ſolent, & econtra duces in bello ſtrenui *fortes animæ* nuncupantur. Ad hoc autem, ut filii dici queant *egredi de femore parentis*, ſufficit,

cit, ut ex lumbis ejus egrediatur aura ſeminalis, qua ovulum maternum fœcundetur, gignendique fœtûs corpuſculo talis in ovulo communicetur motus atque vigor, qualis in eo requiritur ad hoc, ut anima rationalis a Deo infundatur, ſicque *homo* fiat: (CDXIX.) quoniam porro hæc ſeminalis aura ex Patre in Filios, & ab his in nepotes, aliosque immediate deſcendentes *per traducem* vere ac phyſice propagatur: hinc etiam nos omnes ex Adæ, *primi parentis*, *lumbis ſeu femore exiiſſe* (*mediate* ſaltem) veraciter dici ſolemus.

Inſt. 1. Filius nequit veraciter dici *deſcendiſſe de Patris femore*, niſi *totus* inde egrediatur: atqui *totus* inde non egreditur, ſi ſolum *quoad corpus* ab eo deſcendat, ergo etiam *quoad animam* ab eo traduci debet. R. N. m. Etſi enim *corpus* non ſit hominis pars *principalis*, ea tamen eſt, quæ ſola, cum hominem intuemur, a nobis conſpicitur, unde, ſicuti ſtatua v. g. dicitur *tota* ab artifice confecta, utut ſolam *formam* elaboraverit artifex, ita etiam homo vere genitus ab homine *ex toto* fuiſſe dicendus eſt, etſi non niſi *ſolum corpus* actioni paternæ in acceptis referri queat.

Inſt. 2. Deus, poſtquam in principio creavit bruta & hominem, tam illis, quam huic æqualiter benedixit, dicens: *creſcite & multiplicamini*, quodlibet nempe *ſecundum ſpeciem ſuam*: atqui *ſpeciem humanam* non conſtituit ſolum *corpus*, ſed & *anima*: ergo vi datæ illius benedictionis homines ſe defacto tam quoad *corpus*, quam quoad *animam* multiplicare, conſequenter *per traducem* generare, poſſunt. R. D. M. Benedixit, abſtrahendo tamen circa *modum* multiplicationis. C. M. ita, ut *eodem modo* ſe multiplicent. N. M. & D. m. ſpeciem humanam metaphyſice ſumptam C. m. ſenſibiliter, ſeu prout ſolum corpus in intuentium ſenſus incurrit. N. m. & C. ipſa quoque bruta divinam illam benedictionem *inæqualiter* participant; alia enim non niſi unum, alia plures ſimul fœtus in lucem emittunt; aliaque ſunt *ovipara*, alia *vivipara*: Igitur, quod homo *animam* non æque ac *corpus* generare poſſit, id non oritur ex benedictionis cœleſtis defectu, ſed ex animæ ipſius *natura ſpirituali ac ſimplice*, quæ *ex materia* prodire nullatenus valet. (CCXVII. CCCLXXXVII. & CCCXCII.) Nihilominus tamen adhuc homo *ſpeciem*

ſuam

ſuam multiplicat, vereque *hominem* generat, dum talem *actionem* ponit, quam ex moderno inviolabili auctoris naturæ decreto, animæ in corpus infuſio ſtabiliter ſequitur, licet *formam* ipſe non generet.

Inſt. 3. Cauſa, quæ ponit *ultimam* alicujus formæ *diſpoſitionem*, eo ipſo quoque ejusmodi formam producit: atqui homo ponit ultimam diſpoſitionem ad introducendam animam rationalem, nempe fœtûs *organizationem*: (CDXXX.) ergo & ipſam animam rationalem producit. R. N. M. vel diſt. ſi forma & diſpoſitiones ſint in eodem ordine C. M. ſi in diverſo ordine, prout hic contingit, dum anima eſt *ſpiritualis*, diſpoſitiones vero *materiales*. N. M. & D. m. homo ponit ultimam diſpoſitionem, ſolum *materialem*, & tanquam cauſa mere occaſionalis C. m. ponit diſpoſitionem *ſpiritualem*, & ut cauſa vere efficiens. N. m. & C. videantur etiam ſuperius dicta. (CCXXVIII. *Ob.* 2. *Inſt.* 4.)

Inſt. 4. *Cum Origene* & *Pelagio* apud S. Augustinum. *Epiſt.* 190. *n.* 22. Si anima *ex traduce* non eſt, ſed ſola *caro* tan- Nec requiritur illud Sy-

ſtema ad declarandam peccati originalis transfuſionem.

tantum habet traducem peccati, tunc nec intelligi, nec explicari poteſt, quomodo *originale peccatum*, ab Adamo commiſſum, in poſteros omnes tranſierit, omniumque *animas* infecerit: ergo dicendum potius eſt, quod animæ ipſæ ex Adamo in poſteros traductæ, aut aliqua ratione in anima Adami contentæ fuerint, haud ſecus, ac v. g. *ægritudines* quædam corporeæ a parentibus in filios traduci, diffundique ſolent, ex eo, quod humores ipſi tenuiſſimæque partes a parentum corporibus in filii corpus transferantur. R. N. A. & quoniam ad *Theologos* magis quam *Philoſophos* ſpectat, declarare, quomodo ab infantibus *peccatum originale* actualiter contrahatur, ac commiſſum jam ſit cum Adamo ab omnibus, quorum voluntas voluntati ejusdem alligata fuit? hinc ſolam D. AUGUSTINI mentem, quam is deſuper *l.* 5. *contra Julianum n.* 17. aperuit, hic apponere ſatis ſit: ait vero, illud exinde fieri, *quia anima infectæ carni, unione ineffabili, copulatur*, ſicque *alterum in altero*, (anima ſcilicet in corpore) *tanquam in vitiato vaſe, corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur.* Nempe, ut explicare etiam nititur

Magiſter Sentent. l. 2. Sent. diſt. 31. " Ca-
„ro propter peccatum corrupta fuit in
„Adam, adeo, ut, cum ante pecca-
„tum vir & mulier ſine incentivo li-
„bidinis, & concupiſcentiæ fervore,
„poſſent convenire, eſſetque thorus
„immaculatus; jam poſt peccatum
„non valeat fieri carnalis copula abs-
„que libidinoſa concupiſcentia, quæ
„ſemper vitium eſt, & etiam culpa,
„niſi excuſetur per bona conjugii. In
„concupiſcentia ergo, & libidine, con-
„cipitur caro formanda in corpus pro-
„lis. Unde caro ipſa, quæ concipi-
„tur, in vitioſa concupiſcentia pollui-
„tur, ex cujus contactu anima, cum
„infunditur, maculam trahit, qua pol-
„luitur, & fit rea, id eſt, vitium con-
„cupiſcentiæ, quod eſt originale pec-
„catum. „ Cæterum ſi allata paritas
de *morbis corporeis*, in filios traductis,
quidquam valeret, ipſæ quoque *vir-
tutes*, aut *juſtitia*, quæ in parentum
anima reperiuntur, eodem jure in filios
traduci poſſent, ac deberent, imo qui
ex juſtis ſanctisque parentibus oriren-
tur, nullum originale peccatum, nul-
lamque labem contraherent, & con-
ſequenter nec Baptiſmus iis foret ne-
ceſſarius &c. Hæc autem omnia a con-

ciliis damnata, atque a SS. Patribus per clariſſimos S. Scripturæ textus dudum confutata ſunt.

Inſt. 5. Plane indignum Deo eſt, animas impuras, & peccato originali actu infectas creare: ergo earum productio parentibus, & non Deo immediate adſcribi debet. R. D. A. impuras, *qua impuras*, ſeu reduplicative, ac ita, ut impuritas Deo imputetur C. A. ſpecificative, & ita, ut impuritas in alium refundatur. N. A. & C. ſicut *animæ* vitium non eſt, ſi v. g. in pede claudo motum producat vitioſum, ita nec indecens ex parte Dei eſt, ſi animam creet nobiliſſimam, quæ maculam originalem actu tunc contrahat, quando ipſa corpori, poſt congreſſum viri conjugalem, conjungitur.

Wolfi, ſententiā non probat, quod Deus die ſeptimo a creando quievetit.

Ob. 2. *Contra Propoſit. V. cum* Wolfio *Pſychol. rat.* §. 705. *Deus die ſeptimo a creando ceſſaſſe legitur Gen.* 2. v. 2. *Unde Theologi recte colligunt, quod hodie nil amplius creet, ſeu ex nihilo producat: ſcripturæ igitur convenit creatio animarum, in prima ſtatim creatione a Deo facta.* R. 1. N. illud additum *Antec.* quod ſcilicet ex illo textu Theologi

colli-

colligant, *Deum hodie nil amplius creare*; nunquid enim plurimi, iique præſtantiſſimi Theologi aderant in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. celebrato? hi tamen unanimiter definiêre, *animam rationalem*, *pro corporum*, *quibus infunditur*, *multitudine ſingulariter nedum multiplicatam*, ſed etiam *multiplicandam eſſe*. (CDXX.) item nonne Theologorum Phœnix erat Magnus Augustinus? hic autem *Epiſt.* 166. *n.* 12. expreſſe inquit, illum geneſis locum *c.* 2. *v.* 2. haud impedire, *ne propterea non credamus*, NUNC USQUE FIERI ANIMAS *novas*, *non ex illa una*, *ſed ſicut illam unam*. Et auctor *libri de ſpiritu & anima* (qui liber præfato quoque S. Auguſtino a multis tribuitur) hæc formalia profert: *Quales in exordio die ſexto maſculo & fœminæ dedit*, (animas) *tales* QUOTIDIE *inſpirat ſingulis*, *nova de nibilo creatione*, *non nova conſtitutione*. Unde R. 2. D. M. cum eodem S. Patre *l.* 4. *ſuper genes. ad litteram*. Deus die ſeptimo requievit a condendis *generibus*, aut *ſpeciebus*, ad mundi integritatem ſpectantibus, C. A. a novis condendis *individuis*, ſeu ab iis creandis ſubſtantiis, quæ ſunt neceſſariæ, ad alicujus, tunc a ſe conditæ,

ſpeciei propagationem perficiendam. N. A. & C. Quando anima rationalis modo a Deo creatur, non utique fit aliqua *ſpecies* nova, quam ante Deus ipſe non fecerat, ſed fit tantummodo, ut illa ſpecies, quam ad ſui imaginem primo creaverat, prorſus non extinguatur & pereat, ſed propagatione perſeveret. Porro ſi Deus die ſeptimo ita *quieviſſet* ab *omni* creatione, ut nullam omnino ſubſtantiam poſtea produxiſſet, ſequeretur, ipſam quoque Chriſti animam jam ab initio temporis a Deo fuiſſe creatam, & corpuſculo organico in ovario Evæ incluſam, cum tamen omnes Theologi cum prælaudato S. Augustino *in Enchirid. n.* 11. Theodoreto Dial. 2. Fulgentio *l. de fide ad Petrum c.* 17. *n.* 61. & aliis SS. Patribus, unanimiter doceant, animam Chriſti eo primum tempore fuiſſe creatam, quo Angelo nuntianti repoſuit Virgo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum!* R. 3. textui allato alium opponendo, nempe illum *Joan.* 5. *v.* 17. ubi Chriſtus, æterna veritas, inquit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, qui certe in ſenſu *litterali* æque manifeſte *priori* opponitur, ac iſti duo *litteraliter* inter ſe

pugna-

pugnare viſi ſunt Arianis, dum idem dixit *Joan.* 10. *v.* 30. *ego & pater unum ſumus*, & *Joan.* 14. *v.* 28. *Pater major eſt me.* Cum igitur Wolfius *infallibilem* ſenſûs S. Scripturæ *judicem* cum aliis Proteſtantibus non agnoſcat, haud video, quomodo ex S. Scripturæ textibus quidquam probare valeat, prout tamen hanc totam opinionem ſuam in citato textu unice fundare videtur. *Pſych.* §. 705.

Ob. 3. *Contra Propoſ.* VI. Si animæ rationales immediate a Deo crearentur, tunc ſequeretur, Deum cooperari fornicatoribus, & adulteris: atqui ſequela repugnat ſanctitati Dei: ergo & id, unde ſequitur. R. N. ſ. M. Licet enim Deus ad actiones *malas phyſice* influat, non tamen (ut in *Theologia naturali* dicetur) *moraliter* cooperatur, ſed potius, iis præſuppoſitis, operatur *bona*, nempe creationes animarum rationalium: hoc autem tam parum repugnat *ſanctitati* Dei, quam parum terræ v. g. vitio verti poteſt, quod ſemina furtô ſublata, vel immundis manibus projecta, ſuo gremio foveat, eisque alimentum ſuppeditet, ut inquit S. Hieronymus *l.* 3. *Apol. contra Ruf. c.* 8.

Deus per animarū creationē fornicatoribus moraliter non cooperatur.

Ob.

Duæ in homine animæ nec ſimul, nec ſucceſſive dantur.

Ob. 4. *Contra Propoſ.* VII. Anima rationalis communiter dicitur *actus corporis organici*: ergo nequit a Deo infundi corpori, nondum rite organizato. *Subſ.* Atqui fœtus, dum primo *vivere* incipit, nondum eſt rite organizatus: ergo eidem nequit, infundi, ſed potius cum M. Philagrio le Roy, & aliis dicendum, ante infuſionem animæ rationalis in Embryone adeſſe animam *ſenſitivam*, quam non amittat adveniente *rationali*, ſive, ut loquitur præfatus author, *tract.* 8. *de anima n.* 135. duas dari ſimul in homine animas, id eſt, *mentem humanam, & ſpiritum animalem, duas ſubſtantias, alteram Divinam, alteram mortalem, fines oppoſitos habentes:* vel ſaltem animarum *ſucceſſio* (CDXXV.) cum antiquis philoſophis admittenda eſt. R. D. m. *Subſ.* fœtus tunc nondum eſt rite organizatus pro *omnibus* operationibus animæ rationales, C. m. pro *quibusdam*, & ita quidem, ut etiam pro aliis ſaltem *inchoatam* habeat organizationem. N. m. & C. videantur ſuperius dicta. (n. cit.) Cæterum ſi *diverſitas operationum*, cui *cit. Philagrius* opinionem ſuam ſuperſtruere videtur, argueret animas realiter diſtinctas, ſequeretur, eandem quoque animam rationalem *a ſemetipſa* reali-

realiter diſtinctam exiſtere; modo enim v. g. ponit *intellectiones*, modo *volitiones*, modo *aſſenſum*, modo *diſſenſum*, quæ plane ſunt operationes realiter *oppoſitæ*. Pariformiter de anima *ſenſitiva* id ipſum dici poſſet, ſcilicet eam eſſe realiter aliam, dum *viſiva* fit, aliam, dum *auditiva*, vel *odorativa* evadit &c. In illos autem, qui *animarum ſucceſſionem* defendunt, *retorqueri* continuo poteſt, quod ſi anima *vegetativa* aut *ſenſitiva* introduci in embryonem, nondum perfecte organizatum, valet, cur non etiam anima *rationalis* in ejusmodi hoſpitium introduci queat, quod paucos intra dies meliori habitationi aptari poteſt per præparationem organorum, ratiociniis perficiendis inſervientium? aut certe, ſi *vegetationes* & *ſenſationes* in fœtu non ſint occupationes, animæ *rationali* competentes, profecto *infantibus*, aut perpetuo *amentibus* (in quibus operationes *rationales* nunquam apparent) anima rationalis omnino deneganda eſt; falſum autem eſt iſtud conſequens: ergo & antecedens.

Inſt. 1. Fœtus *ſolummodo vegetans* pro illo tempore eſt prorſus *indifferens* ad recipiendam *hominis*, vel *bruti* organizationem, cum poſſit degenerare in monſtrum: ergo anima *rationalis* pro

illo

illo tempore eidem nequit infundi. R. 1. N. A. Nam ſi fœtus eas habet organizationes, quæ ſufficiunt ad *vitam* humanam, eo ipſo non eſt amplius *indifferens* ad alias formas, ſed jam eſt determinatus; ſicut juxta adverſarios, (*animarum ſucceſſionem* defendentes) quando in materia datur *capacitas* ad animam *vegetativam* (rationali, ut volunt, *ſubordinatam*) jam non amplius datur indifferentia ad *quamcunque* vegetativam. Quodſi vero, *in caſu extraordinario*, conformatio organorum, & primitivæ diſpoſitiones, ad animam *rationalem* requiſitæ, nullatenus adſunt, ejusmodi maſſa dici nequit ab anima *rationali* unquam fuiſſe informata, ſed potius abortus tunc prodit, vitæ prorſus expers, aut, ſi motum *vitalem* habere videtur, is a ſolo *calore* aut *ſpiritibus* incluſis oriri ſolet, prout v. g. accidit in corde avulſo, adhuc palpitante. Ejusmodi porro monſtra, quæ ab *homine* generantur, motuque *vitali* vere prædita ſunt, nunquam non (ordinarie loquendo) anima *rationali* gaudent, etſi quædam brutorum membra habeant, v. g. pedes hinnuli, equi, aut vituli &c., ob vim matris imaginativam, (CCCXXV.) nec unquam

ani-

animal *irrationale* ab homine generari proprie valet, eoquod in humanis fœminarum ovulis non niſi organica *fœtuum humanorum* corpuſcula deliteſcant, & conſequenter ſub externa monſtri belluini forma *ordinarie* verus ſemper latebit *homo*: Si tamen *extraordinarie* quandoque contingat, ut fœtus ab homine prodiens, omnia aut ſaltem *primaria*, bruti membra habeat, ita ut pro *vera belluâ* haberi debeat, tale monſtrum juxta quosdam (qui potius animalculis *ſpermaticis*, quam *ovulis fœmineis*, fœtûs delineationem adſcribunt) oriri creditur ex *coitu nefando*, quando ſcilicet fœmina humana coit cum bruto; vel, ut alii probabilius ſentiunt, unice perficitur *ope dæmonis*, ovulum animatum bruti in uterum maternum *fœminæ* transferentis, ita permittente Deo, vel ex ſpeciali vindicta cœli &c. hinc R. 2. Anima rationalis pro tunc fœtui nequit infundi, ſi iſte non habeat organa, utut rudia, *homini* tamen propria. C. ſi habeat. N. C. & C. Etſi de cætero in fœtu humano, primo ſtatim tempore, organizatio nondum ſit *abſoluta*, ſupponitur tamen jam *inchoata*, animæque inſuper ineſt *facultas*, ea magis magisque elaborandi.

Inſt. 2.

Inſt. 2. Primis diebus, poſtquam fœtus eſt animatus, fiunt plurimi abortus, ut cum Hypocrate Medici omnes tenent: ergo, ſi eo tempore anima rationalis jam adeſſet, innumeræ animæ, Baptiſmi gratia deſtitutæ, æternum perirent. *Subſ.* atqui hoc repugnat *Providentiæ*, ac *bonitati* Divinæ: ergo. R. 1. *Retorq.* Etiam poſt *trigeſimum*, vel *quadrageſimum* diem, plurimi fiunt abortus: ergo neque illis diebus anima *rationalis* infundenda eſſet, quod tamen ipſimet adverſarii ſuſtinere non audent. R. 2. N. *m. ſubſ.* Deus enim tanquam Auctor naturæ, cum ſinat cauſas ſecundas motus ſuos agere, earundem ordinem nullatenus impedire, ſed illarum potius *exigentiæ*, vi poſiti ſui decreti generalis, ſatisfacere tenetur, unde, ſicut idem ob fines prudentiſſimos quotidie permittit, ut infantes plurimi, tum intra tum extra uterum maternum, vel *caſu*, vel etiam ex *malitia* hominum, ſine baptiſmo decedant, ita eosdem plane fines in permiſſione abortuum habet, & conſequenter talis animarum interitus accidit ſolum *per accidens*, & *præter intentionem* poſitivam auctoris naturæ. Aſt plura de hoc *Theologi*, quorum eſt,

effi-

efficaciter probare, quod Deus revera omnes homines ſalvos fieri velit.

Inſt. 3. A Jure Canonico, *cap. ſicuti.* 20. *cauſa* 32. *q.* 2. homicida non habetur, qui *occidit* fœtum necdum formatum: atqui *occidi* fœtus nequit, niſi ſit *animatus*: ergo talis fœtus, necdum formatus, debet eſſe animatus. *Subſ.* atqui non eſt animatus anima rationali; quia ſecus foret perfectus *homicida*: ergo ante animæ rationalis infuſionem debet alia jam anima, nempe vegetativa, aut ſenſitiva adeſſe, conſequenter a SS. Canonibus *animarum ſucceſſio* adſtruitur. Conf. Theologi & Canoniſtæ paſſim docent, quod ille non incurrat irregularitatem, *homicidio* annexam, qui abortum procurat ante diem *trigeſimum*, utut graviſſime peccet: ergo ſupponunt, quod ante diem *trigeſimum* non anima *rationalis*, ſed ſola *vegetativa*, aut *ſenſitivâ* in corpuſculo fœtûs animati exiſtat. R. D. A. *Homicida* non habetur, ideſt, in foro *externo* pœnâ homicidii puniendum non eſſe ſtatuitur illum, C. A. nunquam re ipſa, in *foro interno* conſcientiæ, homicidium a tali commiſſum eſſe decernitur. N. A. & C. In foro *externo* pœnæ graviſſimæ non ſtatuun-

Iſtique ſententiæ Jus Canonicum non favet.

 tur,

tur, niſi in homicidas *certo* tales: at in foro *interno* conſcientiæ ſuæ talis non abſolvitur, niſi primis illis jam a conceptione diebus abortum procuraverit, quibus, juxta omnes, anima rationalis nondum fœtui infuſa eſſe dicitur: atque iſtud ſtatutum a *Jure Canonico* ideo ſolummodo factum eſt, ut in foro externo plurimæ *lites* & jurgia, alias oritura, evitentur. Quin imo, ſi accuratius perpendantur textus SS. Canonum, patebit, ipſos ſupponere, quod fœtus, ſi ſemel *vivat*, non aliâ præditus ſit animâ, quam *rationali*; nam in *cap. ſicut* habetur: *Reſpondemus, quod, ſi nondum erat* VIVIFICATUS *conceptus, miniſtrare poterit; alioquin debebit altaris officio abſtinere*: Gloſſa quoque interlinearis ad capitulum *quod vero*, nullam prorſus *animarum*, ſibi ſuccedentium, diſtinctionem faciens, ita loquitur: *Non eſt homicida, qui abortum procurat, antequam anima corpori ſit infuſa.* Unde τὸ *occidere* in loco *ſupra cit.* idem ſignificat ac *deſtruere*, aut *corrumpere fœtum*, ſive embryonem, utut nondum animatum, vitæ tamen introducendæ aptum. Idem R. ad *Conf.* Nempe, quia deciſum a Medicis non eſt, num ante diem *trigeſimum* jam ani-

ma-

matus ſit fœtus? hinc Eccleſia, tanquam *pia Mater*, in dubio favet reo. At, quia nihilominus præcipit *Rituale Romanum*, ut fœtui, motum *vitalem* exhibenti, conferatur Baptiſmus, ſupponere quoque pro certo videtur, ſi adſit *anima*, adeſſe *rationalem*, eoquod anima *vegetativa* aut ſenſitiva capax *Baptiſmi* non ſit.

SECTIO II.

De Mutuo commercio mentis cum corpore.

CDXXXII. Arduam hic aggredimur materiam, quam ſatis ad captum explicare minime potuere ſummorum virorum ingenia. Teſtis eſt facundiſſimus ſimul ac doctiſſimus CICERO, qui *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 22. ingenue confitetur: *Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilor occurrit cogitatio, multoque obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanquam alienæ domi, quam qualis, cum exierit, & in liberum cœlum, quaſi domum ſuam venerit.* Teſtis S. AUGUSTINUS, *l.* 21. *de civit. Dei. c.* 10. inquiens: *Modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omni-*

Limites intellectus humani circa præſentem materiã.

nö mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt. Teſtis denique præter mille alios eſt D. GREGOR. NYSS. *de opif. hom.* c. 5. Ubi ſic loquitur: *Mentis, corporisque nexus*, & *ſocietas, rationem quamdam conjunctionis habet, quæ explanari dicendo, & intelligi cogitando non poteſt.* Nec abs re; nam, ut pro norma inculcat prælaudatus D. AUGUSTINUS *Epiſt.* 190. *n.* 16. *Ubi res naturaliter obſcura noſtrum modulum vincit, & aperta ſcriptura divina non ſubvenit*: (Prout in hac materia contingit) *temere aliquid definire humana conjectura præſumit.* Nihilominus, tum quia juxta Tullium *quærendi defatigatio turpis eſt*; *cum id, quod quæritur, ſit pulcherrimum*, tum quia multum lucis affert hujusmodi cognitio non ſolum *arti medicæ*, in ſtatu corporis, animi affectibus, variisque morbis explorandis, e. g. mania, phrenitide, Apoplexia &c., ſed etiam *Philoſophiæ morali*, ſeu *Ethicæ*, eoquod *honeſti* & *æqui*, in rebus humanis, principia non pauca exinde pendeant, tum vel maxime, quia S. quoque facultati *Theologicæ*, ad declarandam perquam difficilem quæſtionem de *unione hypoſtatica* duarum in Chriſto naturarum, (prout monet auctor Symboli S. Athanaſii:

ſicut

ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus,) hæc materia plurimum inſervit, hinc ſaltem eas omnes Hypotheſes, quæ a veteribus, recentioribusque Philoſophis inventæ ſunt, declaratis prius notionibus quibusdam generalibus, clare ac breviter hic recenſere operæ pretium eſſe putavi, ita tamen ut in fine quoque libens obſequi cogitem iterato D. Auguſtini monito *loc. cit.* dicentis, *non erubeſcendum eſſe homini confiteri, ſe neſcire, quod neſcit, ne, dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur.* Itaque

ARTICULUS I.

Declarantur Leges commercii animæ cum corpore in genere.

CDXXXIII. Per *comercium mentis cum corpore* nil aliud intelligitur, quam mirabilis ac conſtans ille conſenſus, quem habent certæ quædam operationes mentis cum certis quibusdam motibus corporis; & econtra certi motus corporis cum certis quibusdam operationibus, ſive affectionibus mentis, ratione cujus modo mens

Commercium mentis cum corpore quid ſibi velit?

mens a corpore, modò corpus a mente dependere, & alterutra harum ſubſtantiarum ab altera quaſi affici immutarique videtur. Enim vero, ut præclare explicat Ariſtoteles *Phyſ. c. 1. quòd animæ ſecundùm ſe ipſas non ſint impaſſibiles a motibus corporis, id manifeſtum ſit valde in ebrietatibus; multum namque animæ mutatæ videntur a paſſionibus corporis. Et e contrario, quod corpus compatiatur paſſionibus animæ, manifeſtum eſt circa amores, & timores, & dolores, & voluptates &c.* qua de cauſa duæ quoque ſtatuuntur *Leges generales*, quibus animæ cum corpore commercium continetur, ſuntque ſequentes.

Leges, ſecundū quas peragitur animæ cum corpore commercium.

CDXXXIV. Lex I. *Poſitis certis quibusdam motibus*, ſeu, ut alii vocant, *impulſibus, aut titillationibus, in organis ſenſuum corporeis, certæ rerum notiones, ſeu ideæ, in anima naſcuntur*, (Log. *fol.* 409.) & quidem 1. *celerrime*, eoque ferme momento, quo in organis corporeis illæ motiones eveniunt. 2. *Inimpedibiliter*, hoc eſt, ita, ut mens, niſi pro tunc vehementer ſit diſtracta, notionem, motui corporeo congruentem, in ſe non poſſit non excitare. 3. Ut, quo magis minusve *perfectus*

at-

atque *intenſus* eſt ille motus, eo quoque *clarior* atque *perfectior*, aut vice verſa *obſcurior* idea in mente conſequatur. e. g. Vix *calor* in organum ſenſorium *tactûs*, aut *lux* in organum ſenſorium *viſûs*, vel *ſonus* in organum ſenſorium *auditûs* &c. incurrunt, mox *celerrime*, *inimpedibiliter*, & *pro modo ac ratione* actionum, in organa ſenſoria exercitarum, in mente excitantur ideæ *caloris*, *lucis*, vel *ſoni* &c., iisque deficientibus, etiam perceptiones in illa deficiunt. Languente autem corpore, vel turbato aut corrupto organo quodam ſenſorio, langueſcit, turbatur, atque in eliciendis claris ideis, vel *ex parte*, vel etiam (ſi læſum ſit *cerebrum*) *ex toto* (ſaltem quoad *operationes rationales*) mens ipſa impeditur; iisdem vero organis denuo reſtitutis, aut curatis, animus, ut ante, operatur, ſeu *intelligit* ac *appetit*.

CDXXXV. Lex II. Viciſſim, *poſitis certis quibusdam appetitionibus in anima, determinati quidam motus in corpore conſequuntur*, ita ſcilicet, ut quædam corporis partes ad ſolum animæ nutum moveantur, tantoque tempore in motu perſeverent, quanto ipſa vult; at-

que a motu ceſſent, quamprimum ipſa jubet: *imperat animus, ut moveatur manus*, inquit S. Augustinus *l.* 8. *conf. n.* 21. *& tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium.* Intellige tamen, *ſi nullum ſit in organo corporeo vitium*, ut mox dictum eſt. *Modum* de cætero, quo corpus imperatis a ſe motibus actu ſatisfacit, mens continuo ignorat, nempe per quos *muſculos* aut *nervos* v. g. moveatur lingua ad loquendum, pedesve ad ambulandum?

Status quæſtionis.

CDXXXVI. *Corollarium* I. Igitur ut *mentis cum corpore commercium* rite explicetur, ratio ſufficiens reddenda eſt, 1. cur ex mutationibus, quæ fiunt in *corpore* a rebus ſenſibilibus, earundem rerum notiones ſive ideæ excitentur in mente, & quidem haud aliter, quam ſi corpus ipſum eas *per ſe* immediate in anima produceret? 2. Cur ad ſolum animæ nutum fiant motus ſpontanei in corpore, & rurſus quidem haud ſecus, acſi cauſa eorundem immediata foret anima? in his enim duobus animæ cum corpore *commercium* totaliter conſiſtit. (CDXXXIII.)

CDXXXVII.

Artic. I. ejusque difficultas.

CDXXXVII. *Corollarium* II. Difficultas commercium iſtud nitide ſolideque declarandi inde conſurgit, quod ambæ partes illæ, inter quas commercium habetur, *anima* ſcilicet & *corpus*, in entitate ſua nimium quantum inter ſe diverſæ ſint; mens quippe humana *ſpiritus* eſt, qui per hoc, quod cum corpore quovis *compenetretur*, ſe longitudine aut latitudine ſua corpori nequaquam applicare, & conſequenter nec iſtud impellere, vel e loco dimovere poſſe videtur: & ſi etiam hoc (quod nempe ſpiritus creatus agere in corpus quodlibet, illudque variis motibus afficere poſſit) *credatur* magis, quam *ſciatur*, videtur tamen rationi omnino adverſari, ut *corpus*, moles de ſe *iners*, directe agat in ſpiritum, eumque *per ſe* immutet; nam etiam huic, utpote *penetrabili*, & inextenſo illius maſſa applicari nequit. Adeoque non adéo mirandum, quod quidam, rei hujus difficultate obruti *minuti Philoſophi*, vel animam hominis *materialem* eſſe impie aſſerere, vel *realem* omnino corporum exiſtentiam negare auſi ſint, *Idealiſtæ* ac *Moniſtæ* propterea appellati; (CCCLXXIX.) nam *Dualiſtæ* (*n.cit.*)

Quatuor de commercio ſententiæ

etiam ipſi in quatuor ſententias, vel potius Hypotheſes, abiere, quarum *prima* eſt Peripateticorum, & vulgo *Syſtema influxûs Phyſici* dicitur; 2*da* eſt Carteſii, & vocatur *Syſtema cauſarum occaſionalium*, vel *aſſiſtentiæ;* tertia, Leibnitium auctorem, Wolfiumque propugnatorem acerrimum habens, Syſtema *harmoniæ præſtabilitæ* nuncupatur: 4*ta* denique, *Syſtema Tourneminianum* appellata, ad Syſtema *influxus phyſici*, a quo ſubſtantialiter non differt, revocari ſolet, hodieque multorum applauſu & approbatione gaudet.

Declaratur in exemplo

CDXXXVIII. *Scholion.* Ut prædicta Syſtemata, ſeu *Hypotheſes*, claram tyronum mentibus ideam hic prævie ingenerent, ſequens exemplum ipſis inſervit: Cajus e. g. 1. *vult* Epiſtolam ſcribere, 2. & ſtatim dexteram *movens* arripit calamum, & characteres format. Hic *τὸ velle ſcribere* ad *animam;* manum vero actu *movere* & ſcribere ad *corpus* ſpectat. Jam ergo ad explicandum, quomodo fiat, ut, dum Caji *anima* vult ſcribere litteras, *manus* obſequatur ac moveatur? aſſerunt I. *Peripatetici*, id fieri *per influxum Phyſicum*, id eſt, dum anima *vult* ſcribere, illa quoque, tanquam

quam cauſa vere *efficiens*, ex indita ſibi a Deo virtute, nervos dexteræ impellit, eamque per *ſpiritus animales* in nervis diſcurrentes movet. Hoc ipſum tenet quoque Cl. P. Tourneminius. II. *Carteſiani* vero rem ita declarant, conformiter ſupra dictis. (CCL.) Dum anima *vult* ſcribere, Deus, quaſi *ex machina* advocatus, & a motione animæ *occaſionaliter* determinatus, membra corporis movet. III. *Leibnitiani* tandem aſſeverant, eo ipſo temporis momento, quo anima *vult* ſcribere, corpus *vi propria*, ac ſine ullo animæ adminiculo, moveri ſecundum leges, divinitus ab æterno ſtatutas, ſive præſtabilitas, fere, ut v. g. *ſonus harmonicus* a pluribus vocibus ac inſtrumentis, (quorum unum *phyſice* in alterum non agit) ex accurata obſervatione & expreſſione modulorum muſicorum, a *Componiſta*, uti vocant, prævie conſtitutorum, accurate efficitur; aut ſicut duo horologia, æquali proportione conſtructa, accurate inter ſe conſentiunt, ſuasque vibrationes, indicumque revolutiones abſolvunt, etſi neutrum in alterum agat, ſed unumquodque tantum, quod ſuum eſt, absque alterius adminiculo, perficiat,

nem-

nempe ſtructuræ legibus convenienter, quas artifex in horologiis conſtruendis ad ejusmodi conſenſum obtinendum communiter obſervat. Agamus nunc breviter, attamen in quantum ſatis eſt, de ſingulis hisce ſententiis! Igitur

ARTICULUS II.

Expenditur Syſtema cauſarum occaſionalium, ſive Aſſiſtentiæ.

Syſtema cauſarum occaſionalium

CDXXXIX. Syſtema *Carteſianum*, ſeu *cauſarum occaſionalium* his nititur fundamentis. I. Supponit, animam & corpus hominis duas eſſe ſubſtantias, adeo inter ſe diverſas, ut una in alteram *agere* nullatenus poſſit; hinc II. ſtatuit, Deum T. O. M., tanquam primum hominis opificem, illi perpetuo *aſſiſtere*, & III. *occaſione ſingularum idearum* animæ, ſingulos *motus*, illis ideis convenientes, in corpore producere; & econtra IV. *ex occaſione ſingulorum motuum* corporis ſingulas *ſenſationum* notiones ſive ideas in anima excitare. Et quidem Carteſius eam ſolummodo latam a Deo *legem* fuiſſe docuit, ut in homine *ex occaſione quorundam*

dam motuum corporis excitarentur in anima *ideæ*, & occaſione idearum animæ contingerent certi *motus*, iis harmonice correſpondentes, in corpore: at Cl. P. Malebranche hoc Syſtema in eo reformavit, quod *DEO*, *immediate agenti*, ſingulorum ejusmodi in corpore motuum, atque idearum in mente productiones unice tribuerit: Id eſt, ut hoc Syſtema explicat Cl. ANT. GEN. *Met. p.* 2. *c.* 2. *prop.* 25. DEUS in gratiam *corporis* animam *modificat*, ſeu, *perceptiones* quasdam & *volitiones* in *mente* producit, quæ impreſſionibus in corpore factis, corporeisque modificationibus reſpondeant: & rurſus in gratiam *animæ* quosdam *motus* in corpore ille ipſe DEUS excitat, quia anima hos, & non alios *vult*. Quare nec corpus, in hac ſententia, *influit* ullo modo in animam, nec anima in corpus, nullumque *reale*, ſed *apparens* tantum, inter duas hasce ſubſtantias intercedit commercium; quia cogitationes ac volitiones animæ *cauſæ* tantummodo ſunt *occaſionales* motionum corporis, ſicut motiones corporis *cauſæ occaſionales* cogitationum & volitionum animæ exiſtunt; hæ vero mutationes ſeu modificationes omnes, ut *effective* producantur, a nuda DEI,

per-

perpetuo *aſſiſtentis*, voluntate dependent: unde non minus *Syſtema cauſarum occaſionalium*, quam etiam *Aſſiſtentiæ*, appellari conſuevit. Aſt illi ſequens opponitur

PROPOSITIO

Syſtema cauſarum occaſionalium mutuum animæ cum corpore commercium non explicat.

Innititur falſis ſuppoſitis, CDXL. PROBATUR I. Iſta Hypotheſis *falſis* non paucis innititur *ſuppoſitis*, nempe, 1. cauſas creatas non eſſe niſi *cauſas occaſionales*, (CCL.) 2. Intellectum humanum non efficere *vi ſibi congenita* ſuas perceptiones, 3. nec *reale* in organa ſenſoria *imperium* animæ competere: quorum falſitas eruitur tum ex dictis, (CCLI.) tum ex *ſenſu intimo*, quo conſcii nobis ſumus, nos *cogitare*, *judicare*, *ratiocinari*, itemque *velle*, *nolle*, pedemve aut manum ad libitum *movere*, *ſiſtere*, *contrahere &c.* ac proin certi ſumus, nos vere *agere*, nosque ipſos ad ſingulas ejusmodi actiones *libere* determinare; evidens quippe cuivis eſt, quod *aliter* ſe habeat, dum ſponte v. g. caput, aut ma-

manum propriam *movet*, quam dum ad nutum ſuum ab alio *movetur;* hinc recte inquit Tullius *l.* 1. *qq. Tuſc. c.* 28. *ſentit animus, ſe moveri: quod cum ſentit, illud una ſentit, ſe* VI SUA, *non aliena, moveri;* male econtra ſcripſit Malebranchius *l.* 6. *de inquir. ver. p.* 2. *c.* 3. dum ita ſcripſit: " Non modo *corpora* „non poſſunt eſſe veræ cauſæ ullius „rei, *mentes* etiam nobiliſſimæ in eadem verſantur *impotentia*, nihil poſ„ſunt *cognoſcere*, niſi DEUS ipſas „illuminet, nihil poſſunt *ſentire*, „niſi DEUS ipſas modificet, nihil „poſſunt *velle*, niſi DEUS ipſas verſus „ſe moveat. — — nec homines poſ„ſunt *amare*, niſi quia Deus vult, ip„ſos amare; & quoniam DEI volun„tas eſt efficax, homines non poſſunt „amare, niſi quia DEUS illos indeſi„nenter *impellit* verſus bonum in ge„nere, hoc eſt, verſus ſe. -- ipſi igitur „ſeſe non *movent* verſus bonum in ge„nere: a DEO *moventur* duntaxat. Hanc „impreſſionem liberrime ſequuntur ju„xta *legem divinam*, vel illam verſus „falſa bona determinant juxta *legem* „*carnis*; ſed illam determinare non „poſſunt, niſi intuitu boni; cum enim

„ni-

„nihil poſſint præter id, quod Deus „vult, nihil poſſunt amare præter bo„num. -- -- *Movetur* equidem bra„chium, quando volumus illud mo„veri, ac proinde ſumus *cauſa naturalis* motûs brachii noſtri. Sed cauſæ „naturales non ſunt veræ *cauſæ*: nihil „ſunt, quam cauſæ *occaſionales*, quæ „non agunt, niſi vi, & efficacia *vo„luntatis divinæ* &c.„ Aſſerti hujus falſitas

Repugnat principiis Theologiæ,

Probatur II. Admiſſo hoc Syſtemate 1. non videtur propugnari poſſe *libertas humana*; nam ſi *mentes in eadem*, *qua corpora*, *verſantur impotentia*, ut ait Malebranchius, tunc revera anima rationalis in *volendo* & *nolendo*, æque ac corpus, dum v.g. ab igne aduritur, ſeſe habet mere *paſſive*, ſolusque Deus vere producit omnes *volitiones*, atque eligit, determinatque haud aliter, ac (in iſto Syſtemate) determinat ac efficit *intellectiones*, aut alios *motus corporeos*, & conſequenter anima ſuarum volitionum & actionum *libera* non eſt arbitra. 2. Admiſſa hac ſententia ſequitur formaliter, Deum eſſe *animam mundi*, ut Plato docuit, (CDXIII.) nam per *animam* vulgo aliud non intelligitur, *niſi principium* quod-

quoddam *activum vitæ*, *ſenſûs*, *& cogitationum*: (CCCLXXIII.) atqui juxta illius ſententiæ Patronos (Malebranchium præcipue) omnium dictarum rerum immediatum *activum principium* eſt Deus: ergo ipſe erit formaliter *anima mundi* Platonica, quæ in mundanis machinis perenniter *vivit*, *ſentit*, & *cogitat*. Indeque 3. non apparet, cui uſui ſit vel corpus animæ, vel anima corpori, ſi Deus ſeorſim in ſingulis operatur? 4. In hac Hypotheſi ſcelera, a *corpore* patrata, *animæ* imputari non poſſunt, cum ipſa in corpus non *agat*; nec peccata *cogitationum*, per *aſſenſum* contracta, toti homini, quia ejusmodi *aſſenſus* itidem a *ſolo* Deo unice ponitur &c. 5. inutiles forent *leges morales*; nam cui bono exiſteret v.g. lex: *non occides*, ſi, ut cædes fiat, corpus moveri debet a ſolo Deo, & animus nil poteſt, niſi obtemperare neceſſario, ex occaſione motionum corporis? 6. Denique peccati originalis transfuſio, niſi ſimul Platonica animarum præexiſtentia admittatur, declarari in hoc ſyſtemate nullatenus valet; ſublato enim omni cum corpore mentis commercio, quo ex ſurculo derivetur labes illa Adamitica? dici nequit.

Commercium animæ cum corpore philoſophice non explicat.

Probatur III. In hac Hypotheſi nulla habetur vera notio conjunctionis animæ & corporis: ergo per eam non explicatur. p. *A. a pari.* Male quis diceret, duo horologia, quorum æquales omnino motus ſunt, inter ſe *unita* atque *conjuncta* exiſtere, ex eo, quod *applicata* ſemper eodem modo artificis manus utriusque rotas & elateria urgeret: ergo etiam, in cauſarum occaſionalium Hypotheſi, mentem cum corpore vere *unitam* atque conjunctam exiſtere male infertur ex eo, quod *applicata* ſemper Dei *aſſiſtentis actio* utriusque motiones continuo per ſe ipſam expleat. *Conf.* I. Explicatio Philoſophica non eſt, ſi dicatur v. g. quod *Magnes* attrahat ferrum, & *acus Magnetica* polum conſtanter reſpiciat, id ex eo contingere, quia Deus ad præſentiam magnetis ferrum movet, acumque magneticam ad polum ipſemet dirigit; omnes quippe ſciunt, Deum eſſe, *a quo*, ut ait S. Augustinus *l.* 5. *de civ. Dei c.* 11. *eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo: a quo eſt menſura, numerus, & pondus: a quo eſt, quidquid naturaliter eſt.* Indeque nullus ex ejusmodi explicatione fit *doctior:* ergo a pari neque mutuum animæ cum cor-

po-

pore commercium per hoc ſatis *philoſophice* explicatur, quod dicatur, id propterea eſſe, quia Deus rei ſenſibilis ideam menti imprimit, quamprimum res ipſa *ſenſorium* immutat; motumque corpori communicat, ſtatim ac anima *vult*, ut ille motus in corpore contingat &c., cum ſit par ratio. *Conſ.* II. Philoſophus non eſt, qui pro explicandis naturæ phœnomenis ſola adhibet *abſtracta*, ut ajunt, ſcholæ *vocabula*, *virtutem* ſcilicet *attractivam*, ut explicet, cur magnes ad ſe ferrum *trahat*, *virtutem ſoporificam*, ut rationem reddat, cur papaver ſoporem conciliet; *metum vacui*, ut oſtendat, cur aqua in Syphonem exhauſto aere aſcendat, virtutem *Sympatheticam*, ut declaret, cur virga coryli ad præſentiam metallorum in terra latentium ſeſe inclinet &c. nam ut inquit Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 156. tantundem & ruſticus quiſque reſpondere poteſt. „Nemo non novit, (inquit pariter de „ejusmodi Philoſophis Cl. *Auctor artis* „*cogitandi p.* 3. *c.* 19.) arterias pulſare, „ferrum ad vicinum magnetem tende„re, ſennam purgare, papavera ſo„porem inducere. Qui docti haberi „non cupiunt. -- libere fatentur, ta-

 „les

„les *effectus* in rerum natura eſſe . ſed
„una *cauſarum*, a quibus fiunt, ſe ig-
„naros; cum econtra docti, quos ſup-
„puderet idem fateri, aliter ſe ex-
„tricant; pronuntiant namque, veras
„ſe cauſas adinveniſſe, in arteriis nem-
„pe eſſe *virtutem pulſificam*, in magne-
„te *magneticam*, in ſenna *purgativam*,
„in papavere *ſoporificam*. Idoneum
„me hercle reſponſum! & quo quivis
„e *Sinenſibus* eadem facilitate potuiſ-
„ſet ſibi eam admirationem eximere,
„quam allata illuc recens ex Europa
„*horologia* incutiebant; dicere nam-
„que poterat, ſibi perſpectiſſima eſſe
„ea omnia, quæ cæteri tantopere de-
„mirabantur, illasque eſſe tantum ma-
„chinas, *virtute indicatrice* præditas,
„quæ horas demonſtraret, & virtute *ſo-
„norifica*, quæ easdem dinumeraret. Nec
„ſane ille minus hoc pacto in *horolo-
„giorum* ſcientia profeciſſet, quam no-
„ſtrates Philoſophi in ſcientia *pulſuum*
„arterialium proprietatumque *magnetis*,
„*ſennæ*, & *papaverum*." Jam vero nun-
quid eodem modo, ut iſti Philoſophi,
in ſuo ſyſtemate procedunt occaſiona-
liſtæ? nam 1. res utique *certiſſima* eſt,
commercium mentis cum corpore abs-
que Deo, ejusque voluntate, haberi
non

non poſſe: aſt etiam hoc, quod v. g. magnes habeat *virtutem attractivam* ferri, certitudine ſua, quin etiam *evidentiâ* non caret. 2. Per *vim* porro *attractivam* non plus de ferri in magnetem tendentia notum atque perſpicuum nobis fit, quam quod antea per *ſenſus* immediate hauſimus: at etiam per *legem* à Deo poſitam, vi cujus Deus ipſe *modificet* animam in gratiàm corporis, & viciſſim, plus de iſta *harmonia* non cognoſcimus, quam in nobiſmet ipſis ſentimus continuo. 3. *Virtus* denique *attractiva* nomen eſt adeo vagum, ut nulla prorſus illi competat notio clara atque diſtincta: aſt rurſum *Dei* quoque *voluntas* cauſa omnium *univerſaliſſima* eſt, a qua omnes naturæ effectus *æqualiter* dependent; ergo, ſi omnium judicio, & recte quidem, *philoſophi* nomen haud meretur, qui tendentiam ferri in magnetem per indeterminatum *virtutis attractivæ* vocabulum exponere contentus eſt, nec is profecto, qui in explicando commercio mentis cum corpore, *Deum*, tanquam *ex machina*, vocat & *attrahit*, dignus haberi poteſt, qui inter philoſophos cenſeatur. Ita antea *cit. Cl. P. Fort. a Brix.* Atque hæc ſunt argu-

menta potiora, quibus hoc ſyſtema non minus fortiter impugnatur, quam etiam, plurimorum judicio, expugnatur. *Scio* quidem, inquit Cl. Ant. Gen. *non deeſſe Malebranchianis*, & Carteſianis, *ad hæc quæ regerant*; *ſed ſcio etiam, nullam eſſe falſitatem ſine Patrono.* Cæterum objectiones huc pertinentes ſolutæ ſuperius jam ſunt. (CCLII.)

Accedique Spinoziſmũ genuit. CDXLI. *Scholion.* Iſtud adhuc annotare juvat, quod *Spinoziſmus*, cujus origo alibi (CLXIII.) declarata eſt, ex hypotheſi Carteſiana cauſarum occaſionalium, ut bene obſervat Wolfius *Pſych. Rat.* §. 605. vim ſuam, vel potius venenum deſumpſerit; nam dum Spinoza ex iſtis Carteſii principiis, (in Carteſiana ſiquidem Philoſophia plurimum verſatus, itaque illa delectatus fuiſſe dicitur, ut eam integram in formam demonſtrationum geometricarum redigere voluerit) *probabiliter* eruit, ſibique poſtea *certo* perſuaſit, *vim agendi* nullam creaturis competere, omnesque motus & actiones a nuda Dei voluntate dependere, eo ipſo, in deteriora lapſus, *Deum* & *creaturas* confundere, ac pro uno & eodem habere præſumpſit. Adeo vel ex ſolo hoc fru-

fructu infectam peſſimæ iſtius arboris radicem cognoſcere pronum eſt!

ARTICULUS III.

Examinatur Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ.

CDXLII. Leibnitius vir acutiſſimus, ac in *Matheſi* non minus, quam *philoſophia* apprime verſatus, ſub finem elapſi ſœculi, veterem, atque ut ſcribit, *veram* Philoſophiam reſtituturus, præ cæteris in genuinam *ſubſtantiæ* ideam, quam in recentiorum Philoſophorum ſcholis depravatam eſſe cenſuit, ſolerter inquiſivit, eamque, ut putabat, poſtea inventam erudito orbi communicavit in commentatione *de primæ Philoſophiæ emendatione, & de notione ſubſtantiæ.* Quæ extat in *act. Erud. Lipſ. pag.* 110. *ad annum* 1694. *menſe Martio.* Ejus autem doctrinæ ſumma hæc fuit: omni *ſubſtantiæ*, tam corporeæ quam incorporeæ, voluit competere facultatem, ſeu, ut vocat, *vim* quamdam *activam*, qua mediante continuo agerent, & actiones generi ſuo proprias elicerent. Jam vero exinde, tanquam ex ovo, ſenſim Harmoniæ præſtabilitæ origo.

prodiit *harmonia* ipſius *præſtabilita*, cui fœtui in lucem emittendo integrum omnino decennium Leibnitius impendit, majori tamen forſan laude & commendatione dignus, ſi nunquam ſic parturiiſſet! Nempe harmonicum duarum *ſubſtantiarum*, in homine exiſtentium, conſenſum atque commercium triplici tantum via & ratione explicari poſſe cognovit. 1. Si dicatur, unam in alteram mutuo *influere*, unamque ab altera tanquam cauſâ determinari: & hoc eſt ſyſtema *influxûs phyſici*. 2. Aut ſi teneatur, ambas ſubſtantias ab eadem cauſa *extrinſeca aſſiſtente* determinari, repetita & immediata ſemper actione: idque *cauſarum occaſionalium*, ſeu *Aſſiſtentiæ*, ſyſtema eſt. 3. Aut denique ſi ſuſtineatur, utramque ſubſtantiam a cauſa quidem *extrinſeca*, ſed mediantibus *viribus*, utrique *intrinſecis*, determinari, atque ad agendum propelli: quod eſt ipſiſſimum ſyſtema *harmoniæ præſtabilitæ*: cum porro ſyſtema *influxûs phyſici* rationi *ſufficienti* adverſum putaret, neque ipſi videretur, in *corpore* eſſe ullam poſſe *rationem ſufficientem* actionum animæ, nec in *anima* motionum corporis: cumque inſuper illud ſyſtema quantitatem *virium perennium*,

nium, quam ſtatam & immutabilem is quoque habebat, penitus everteret; ſyſtema vero *cauſarum occaſionalium* vires ſubſtantiarum eſſentiales *activas* pari modo e medio tolleret, commodiorem, ad explicandum mentis cum corpore commercium, hypotheſin præter *harmoniam præſtabilitam* Philoſopho ſuppetere nullam eſt arbitratus, eique plurimi, ex Proteſtantibus præcipue, *novitatum* de ſe perquam amantibus, acceſſere, Wolfius inprimis, qui eam ſententiam pluribus additamentis auxit, atque in ſua *Pſychol. Rat. Sect.* 3. per 46 paginas ita declaraſſe, atque ad captum illuſtraſſe ſibi viſus eſt, ut circa finem (ſcilicet §. 640.) quemcunque ab hac ſua ſententia alienum, pro ſua modeſtia, appellare auſus ſit *hebetiorem*, *quam ut Philoſophicam ſcientiam capere poſſit*, *vel infirmiorem*, *quam ut inoffenſa pietate ſyſtemati harmoniæ præſtabilitæ aſſentiatur.* Aſt ex adverſa parte non pauci, iique *acutiſſimi*, & a *præjudiciis* quam maxime alieni Philoſophi in eundem inſurrexere; maxime vero Cl. P. Fort. a Brix. qui paginis non minus centum duabus ſententiæ iſtius falſitatem ita demonſtrare eſt aggreſſus, ut *hebes*

potius doctorum judicio is videatur, qui iſtam deprehendere, veramque deſuper ſcientiam Philoſophicam capere non poſſit!

Fundamenta, CDXLIII. Eſt autem ſyſtema *harmoniæ præſtabilitæ* juxta Wolfium *Pſych. Rat.* §. 612. illud, *quo commercium animæ & corporis explicatur per ſeriem perceptionum atque appetitionum in anima, & ſeriem motuum in corpore, quæ per naturam animæ ac corporis harmonicæ ſunt, ſeu conſentiunt*: adeoque, ut cit. auctor in ſeqq. §§. declarat, ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ ſequentibus innititur principiis.

I. Ponitur MENS HUMANA veluti quædam *machina*, ſive *ſpirituale automa*, in quo *continuata* quadam *ſerie* una cogitatio ſubſequitur alteram, una appetitio alteram, & quidem 1. ex *innata* animæ *vi*, 2. ac *independenter* ab omni motione in organis ſenſoriis corporis, a rei ſenſibilis externæ appulſu excitata, ita ut *perceptiones & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo contingerent, etiamſi nec corpus nec mundus iſte aſpectabilis exiſterent.* 3. Tali denique lege, ut ne minimum quidem de-

detur temporis inſtans, in quo nulla *perceptio*, nullaque appetitio in anima habeatur, adeo ut *in ſomno* quoque rerum ideas mens ſibi efformet, utut *confuſas* atque *obſcuras*. Sed & idem dicendum de *continua* appetitionum ſeu volitionum *ſerie*, independenter ab omni extranea actione, ſeu determinante principio identidem in anima contingente: quapropter Leibnitius *humanam mentem* definiit, eſſe *ſubſtantiam, cujus perceptiones & volitiones, numero innumeræ, per ſeriem non interruptam & interrumpi impoſſibilem, altera alteram ſequitur.*

II. Corpus pariter tanquam *machina* ponitur, ſive *materiale automa*, eo artificio a ſapientiſſimo rerum omnium opifice Deo confectum atque elaboratum, ut, *independenter ab anima*, eos omnes motus peragat, quos modo fieri in corpore deprehendimus, etiam *voluntarios*: Nempe ſicut juxta Wolfium (§.614.) perceptiones & appetitiones *eodem, quo nunc, modo* in anima conſequerentur, etiamſi corpus non exiſteret, eoquod, ut idem ait (§.613.) *vi ſibi propria* eas mens producat; ita etiam motus, volitionibus animæ reſpon-

ſpondentes (juxta eundem) *vi mechaniſmi corporis*, ex motibus ab impreſſionibus in organa ſenſoria factis, citra ullam determinationem extrinſecam, ab anima pendentem, eodem, quo nunc, modo adhuc conſequerentur, *etiamſi anima non exiſteret*; indeque Wolfius ſupponit, (§. 617.) poſſibile eſſe corpus, in quo ſeries quædam motuum per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria conſervari poſſit.

III. Iſta igitur duo, ex natura ſua tam *diſſimilia automata*, animam ſcilicet & corpus, ita ſimul conjunxit (§. 626.) *omniſcius*, *ſapientiſſimus*, *liberrimus*, *potentiſſimus creator*, & *gubernator rerum omnium*, ut ſinguli motus qui vi mechaniſmi fiunt in corpore, (§. 617.) conſentiant continuo ſingulis perceptionibus, atque appetitionibus, & averſationibus animæ, eodem prorſus ordine ſeſe invicem conſequentes, quo animæ modificationes ſeſe invicem excipiunt.

Et in exemplo declaratio. CDXLIV. *Scholion*. Ad clariorem diſtinctioremque Syſtematis hujus integri ideam excitandam, Algebraiſtarum more, litteras in ſubſidium vocans Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 164. in

in hæc verba ſcribit: fingatur anima Petri, ſeparata ab illius corpore, eaque dicatur A, & corpus C. Jam 1. *anima* illa, a corpore ſejuncta, producat tempore X, *vi ſibi propria*, perceptiones tres continuo ſibi ſuccedentes *b. c. d.* 2. Eodem porro tempore, *vi ſolius Mechaniſmi*, fiant in cerebro illius *corporis* tres motiones *m. n. p.* non quidem *ſimul*, ſed ita, ut una motio alteram conſequatur, ſicuti & illæ perceptiones ita in anima fieri ſupponendæ ſunt, ut earum una alteri ſuccedat. 3. Modo ſic unita fingantur hæc duo *automata*, ut ipſo eodem temporis momento, quo *mens* producit perceptionem *b*, fiat in *corporis* cerebro motus *m;* rurſusque ibi motus *n*, quando in anima contingit perceptio *c;* ac denique motus *p*, cum perceptio *d* in mente efficitur. Hac ratione erit certe machina A. C. compoſita ex *corpore* & *ſpiritu*, ſive ex duabus veluti *machinis*, *diſſimilibus* quidem, attamen ita *conſentientibus* in operando, ut earum actiones ſint prorſus *harmonicæ:* talis ergo machina eſt homo in Syſtemate *harmoniæ præſtabilitæ.* Verum

PRO-

PROPOSITIO.

Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ nedum a viro Catholico, ſed & a ſano Philoſopho ſuſtineri nequit.

Harmonia præſtabilita repugnat principiis Theologiæ,

CDXLV. PROBATUR I. *pars.* Hoc Syſtema æque repugnat mentis humanæ *libertati*, (quæ *dogma Catholicum* eſt) ac Syſtema *cauſarum occaſionalium*: ergo a viro Catholico ſuſtineri nequit. p. A. Admiſſo hoc Syſtemate *actiones* hominis *externæ voluntariæ*, *motusque* corporis independenter ab anima, vi ſolius *Mechaniſmi*, tanquam principii *neceſſarii*, atque ad *unum* determinati elicerentur: ergo, ſicut v. g. *liberum* indici non eſt, ut ſalvâ horologii ſtructurâ, eam horam non deſignet, ad quam indicandam *vi Mechaniſmi* eſt determinatus: ita nec menti *liberum* erit actiones externas, motusque corporis *naturaliter* inſurgentes reprimere, aut impedire, maxime, quia juxta Wolfium illi *motus* in corpore conſequerentur, *etiamſi* iſtud *animæ junctum non eſſet*: ſimiliter, quia in hac ſententia *mens* humana quoad actiones ſuas a nullo principio *externo* dependet, ſed *ex natura ſua* ad ideas

pro-

producendas determinata eſt, eo ipſo rerum quoque *notiones* ſive ideæ ita *neceſſario* in nobis excitarentur, ut impediri non poſſent; nam *neceſſario* fit, quod *per naturam* ac *eſſentiam* fit: atqui *intima conſcientia* nos convincit, in noſtra id *libertate* eſſe, ut ideas *honeſtas* in nobis excitemus, aut *turpes* in mentem revocemus. Item S. Scriptura multis in locis clare teſtatur, *res ſenſibiles*, ac *ſenſus* noſtros, ad mentis *perceptiones* & *appetitiones* multum conferre; ſic enim *Job. c.* 31. *v.* 1. dicitur: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Et *Rom.* 7. *v.* 23. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Item *Sap.* 9. *v.* 15. *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum* &c. ergo. CONF. I. Iſtud Syſtema ad *inhoneſte* vivendum viam apertiſſimam ſternit; nam illius fundamentale principium eſt, quod paſſiones organorum ſenſoriorum corporis ad rerum ſenſibilium perceptiones & appetitiones in anima excitandas nihil prorſus conferant, ex quo ſequitur, ad fovendas honeſtas cogitationes, turpesque vitandas, perinde omnino eſſe, qualiscunque *externorum ſenſuum*

cu-

cura adhibeatur: ſi vero ad hominem *interiorem* nil facit cura hominis *exterioris*, poteſt ſane quilibet libere *ſenſibus* indulgere: quin imo, licet etiam ſenſus cohiberet, illæ tamen ideæ ac cogitationes ſemper ſibi ſucceſſiſſent, *etſi corpus non exiſteret. &c.* II. Hæc ipſa ſententia *macerationes carnis*, ad eam ſubigendam, plane *inutiles* facit, datque anſam, ut, quæ de corporis *pœnitentia* tradit Eccleſia Romano-Catholica, veluti prorſus *inutilia* reddantur; ſiquidem juxta *harmoniſtas* eadem iniqua deſideria habitura eſſet mens, ac habet, ſi caro tot cruciatibus minime affligeretur, eo ipſo, quia omnimoda foret ipſius mentis, quoad rerum perceptiones atque appetitiones, *independentia* a corpore. III. Denique juxta hanc ſententiam nulli *concupiſcentiæ* anima foret ſubjecta; fidei autem dogma eſt, quod, ſi nullum omnino *corpus* exiſteret, nulla etiam in anima *carnis concupiſcentia* eſſet: atqui juxta *harmoniſtas* anima corpori conjuncta, *easdem* tamen, quas ipſi *non conjuncta* eliceret, ideas ac perceptiones produceret: Ergo.

PRO-

Probatur II. pars. Absque ulla *ratione ſufficiente* in hoc ſyſtemate admittitur, mentem eſſe *in continuo fluxu idearum*, quarum ſingulæ ſingulos mentis ſtatus ita efficiant, ut *priores ſemper contineant rationem poſteriorum*; ſunt enim quidam animi ſtatus, quorum *in corpore* facilius, quam in *animo* ratio ſufficiens invenitur, quales ſunt ſtatus illarum *cogitationum*, inter quas nulla eſt *connexio*; nam ſiquis v. g. in manus ſumat lexicon aliquod linguæ alicujus, intra horæ ſpatium percurrere poteſt fugiente oculo duo circiter verborum millia, quorum ſingula ideas diverſiſſimas in mente generant, at nunquam tamen prior vocabuli idea *poſterioris* rationem continet, quin potius ratio illarum idearum tota in impreſſionibus in *ſenſibus*, aut *cerebro* factis continetur. E. g. legit quis hæc verba: *Alpha*, *Aaron*, *Ariſtoteles*, *Armenta*, *Biblia*, *Boanerges*, *Cylinder*, *Dido*, *Ellipſis*, *Paralellogramum*, *Quercus*, *Luna*, *Diagonalis* &c. ecquis in his omnibus unius ideæ in altera *rationem ſufficientem* reddere valeat? *Nec dicere* poſſunt harmoniſtæ, *rationes ſufficientes hic adeſſe*, *etſi non videamus*; nam 1. hoc ipſum quoque *Peripatetici*, qui realem animæ in

corpus *influxum* defendunt, dicere valent. 2. Ut inquit Cl. ANT. GEN. *Met. p.* 2. *pag. mihi* 148. ita ludere cum pueris potuit Pythagoras, ut iis una eſſet ratio: *ipſe dixit*: at Philoſophis ut nova doctrina, & quidem ſenſui intimo (qualis hæc *harmoniſtarum* ſententia eſt) aperte contraria, perſuadeatur, *rationes* ſaltem *probabiles* reddendæ ſunt, quas illi intelligant, & probent. CONF. I. Harmoniſtæ non explicant, quænam ſit illa *vis*, quæ ipſum corpus, conformiter animæ ideis, regit: quæro enim, num illa vis ſit *rationis particeps*, nec ne? ſi 1*mum*: ergo vel ea eſt *mens* ſive ANIMA RATIONALIS, & habetur *influxus Phyſicus;* vel DEUS, & habetur *cauſarum occaſionalium* hypotheſis, quam tamen utramque hypotheſin harmoniſtæ rejiciunt. Si 2*dum*; ſequitur, actiones externas hominum quaslibet eſſe easdem cum actionibus *equorum*, *canum*, aut *felium*, vel *automatum*, quod qui dicit, ipſi ſanæ rationi contradicit. Rurſus illa *vis primigenia*, juxta harmoniſtas tam *corpori* quam *animæ* indita, vel eſt *creata*, & a vi ipſa DEI diſtincta, vel non? ſi (ut eſſe debet;) eſt *creata*, *conſervaturne* perenniter a DEO, necne? ſi *conſervatur*,

(ut

ut reſpondere denuo harmoniſtæ debent) tunc vel earum *virium determinationes* proveniunt a *vi* illa *Dei*, conſervante primigenias ſubſtantiarum vires, num vero a *viribus ipſis*, ſuapte ſe naturâ determinantibus? ſi 1*mum*; hoc Syſtema adæquate cum *Syſtemate Aſſiſtentiæ* coincidit. Si 2*dum*: ergo admitti debet, in *viribus* ipſis ineſſe rationem ſufficientem omnium determinationum; aut ſecus eo ipſo aliquid foret abſque *ratione ſufficiente*. Jam ponatur, e. g. *determinationes corporis* Alexandri Macedonis, aut Julii Cæſaris, eſſe æquales 3000000. quæro: num *ratio ſufficiens adæquata* earum omnium mox ab initio exiſtentiæ ejusdem corporis exſtitit, nec ne? ſi 1*mum*: ergo, cum ſit axioma omnibus perſpicuum, *poſita adæquata ratione ſufficiente poni integrum effectum*, omnes illæ 3000000. determinationum *ſimul* exiſtent, quod tamen Syſtema totum *Harmoniæ præſtabilitæ* evertit. Si 2*dum*: ſitne illa ratio ſufficiens ex poſt primum *adæquata* ex *propria* virium natura, vel ex *aliarum virium influxu*, vel denique a *voluntate Dei*? poſteriora duo continent *Peripateticorum* & *occaſionaliſtarum* Syſtemata, quæ ab *Harmoniſtis* non admittuntur:

tur: *prius* vero ſitne denuo *ratione alia ſufficiente*, an nullâ? ſi dicunt cum *Bilfingero*, *actiones mentis cauſas eſſe determinantes*, *non phyſicas*, *ſed metaphyſicas*, quæro poſtremo: num cauſæ ejusmodi *metaphyſicæ* vere *agunt* in corpus? an vero *occaſiones* tantummodo ſunt, quibus Deus ipſe agat? an neutrum? quidquid dicant, redit idem argumentum, ut adeoque *non difficile ſit videre*, prout inquit cit. Cl. Ant. Gen. *Met. p. 2. pag. mihi* 151. *pudoris ergo*, *ne concederent quidpiam*, *nova hæc vocabula* ab harmoniſtis fuiſſe *excogitata*. Conf. II. In hoc Syſtemate, ut idem mox cit. Cl. Auctor arguit, *pag. mihi*. 148. neque ſciri poteſt, utrum præter mentem etiam aliud quid exiſtat? neque quæ ſint *veræ*, aut inter ſe, aut cum vita noſtra corporea, *rerum relationes*? atqui hoc non, cum alias *Jdealiſmo* janua aperta panderetur: ergo. p. M. juxta *harmoniſtas* mentis perceptiones, ſeu ideæ *ex ipſa mentis natura* profluunt: ergo non poſſunt haberi niſi formæ rerum tantum *poſſibilium*, (eo ipſo, quia in illorum ſententia mens *eodem modo* cogitaret, ut nunc, etiamſi nullum corpus, imo nec univerſum hoc exiſteret) non autem *exiſtentium*; quo enim ar-

argumento perſuadere ſibi anima p teſt, *ideis* ſuis *intus* productis totidem extra ſe *res* reſpondere? non *intuitione*? quia non *res*, ſed earum duntaxat *ideas* intuetur. Non ex *cauſis*? quia hujusmodi ideæ non ſunt *cauſæ* exiſtentiæ rerum. Non ex *effectibus?* quia ejusmodi perceptiones a *rebus ipſis* non naſcuntur. *Si dicat* Leibnitius, *mentem eſſe creatam cum* IDEA TOTIUS UNIVERSI, *quæ paulatim ſe evolvat; cumque certi ſimus, Divinas ideas rebus eſſe ad amuſſim conformes, dubitare nos pariter non poſſe, quin & noſtræ ideæ rebus ipſis reſpondeant.* Tunc 1. ſequitur, rerum *ideas* eſſe a *perceptionibus* diſtinctas, nobisque *innatas*, quod in Logica reprobatum jam eſt. (Log. *fol.* 634.) 2. Paulo clarius explicari debet, quæ ſint partes, proprietates, & conditiones *ideæ* hujus & *mappæ*, ut vocant, *Coſmographicæ*, in qua totum univerſum repræſentari valet? 3. Itemque ratio accurata ſufficiens reddenda eſt, cur in *evolvenda* ea *mappa* ſemper ab iis incipiat mens, quæ primo in *ſenſus* cadunt, nec unquam ultra progrediatur? e. g. *uſu oculorum* detegitur in ea mappa idea *Saturni*: cur igitur ſemel ea patefactâ, non etiam *cætera*, quæ in illa Saturni idea conti-

nentur, *partes* ſcilicet, *corpora* varia, eorumque *figuræ*, *vires*, ac *relationes* (quemadmodum in *telluris* idea evenit,) ſine Teleſcopio manifeſtantur? cur ſine *ſenſuum* uſu, & experimentis nihil ex illa Saturni idea pateſcit? cur non omnes æque faciles ſunt, & habiles in ea explicanda? denique, cum *mappa* illa non poſſit continere, niſi *ideas reales*, cur tot *fictitiæ* nobis obverſantur ideæ? &c. Ita *cit. Cl. Ant. Gen.* CONF. III. Præterquam quod falſum ſit, *mentem* hominis & *corpus* eſſe *ſubſtantias*, quarum una ab altera in ſuis functionibus non dependeat, eoquod inter *perceptiones* mentis, & *motus* corporis, ac viciſſim, tanta ſit *connexio*, quanta eſt inter *cauſam* & *effectum*; ſicut enim poſitâ causâ ponitur effectus, ita quoque, facta in organo quocunque ſenſorio *mutatione*, fit in mente *perceptio*: & ita quidem, ut, ſicut perfectio *effectûs* reſpondet virtuti *cauſæ*, ſic & *perceptio* æqualis ſit *impreſſioni*, in organo ſenſorio excitatæ, ſitque *clarior* vel *obſcurior*, prout magis vel minus valida fuerit impreſſio &c. præter (inquam) aſſerti hujus falſitatem, ſi etiam gratis concedatur, *mentem* & *corpus* eſſe revera duo ejusmodi *automata*, a Wol-

fio

ſio deſcripta, mentis tamen cum corpore *unio* in iſthoc Syſtemate *philoſophice* non explicatur; nam etſi v. g. duo *horologia*, remotâ artificis manu, *ab intrinſeco* motus haberent ita æquales, ut motus unius motui alterius reſponderet, nemo tamen dicet, iſthæc duo automata inter ſe eſſe *unita*: ergo ſimiliter, ob præfatam perceptionum atque *appetitionum* in anima, & *motuum* in *corpore harmoniam*, vera ac genuina *unionis* idea non habetur. Conf. IV. Ponamus globum terraqueum eſſe *machinam*, a Deo ſic conditam, ut, *vi ſolius mechaniſmi*, (quo itidem a Deo inſtructa ſupponi debet) maris aqua bis ſingulis diebus fluat, bisque refluat. Ponamus quoque, ſolem atque Lunam, vi ſolius mechaniſmi, ſuum tam periodicum, quam diurnum motum perficere. Ponamus poſtremo, terraqueum globum ita collocatum in univerſi centro a Deo fuiſſe, quo ipſe *prævidit*, fore, ut effluat mare, cum Luna ad Meridianum pervenit; & rurſum refluat, cum illa Horizonti propinqua eſt. Jam his poſitis quærit Cl. P. Fort. a Brix. *Met.* p. 2. §. 274. An per hanc *Harmoniam* inter globum terraqueum, & cœleſtia corpora, a Deo *præſtabili-*

tam, *maris æſtus* explicari *philoſophice* queat? vel non? ſi 1*mum*? tunc miror, inquit, cur maris æſtus adeo torſerit olim, & modo etiam torqueat philoſophorum ingenia? cum tanta poſſit *facilitate* exponi; mihique gratulor, quod omnium primus tam grande naturæ arcanum in aprico poſuerim? ſi vero *maris æſtus* hoc modo nequaquam exponitur, propterea nimirum, quia *principia*, quæ aſſumuntur, æque *incerta* ſunt, ac ipſum *phœnomenon*, quod illorum ope explicatur, totaque inſuper illius cauſa ex *Divina ſapientia*, imo & *actione* conſervatrice (æque ac in Syſtemate *cauſarum occaſionalium*, contingit) derivatur, eandem ob cauſam neque explicatio *harmoniſtarum* pro *philoſophica* habenda eſt, quia ejus principia ſunt æque *incerta*, ac *arbitraria*, neque, ut ipſe Wolfius paſſim fatetur, niſi pro mera *hypotheſi* haberi ipſum Syſtema valet; ait enim præter alia §. 637. in Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ *Mechaniſmum corporis* eſſe nobis *incomprehenſibilem*, attamen *poſſibilem* atque *probabilem*, non vero aliquod *perceptum*, aut *demonſtratum Theorema*. (§. 617.) & vero quomodo probabunt *harmoniſtæ*, quod

mens

mens adeo *per ſuam naturam* ſit determinata ad producendam idearum ſeriem, ut a nullo prorſus *extrinſeco* dependeat, ac proin tanquam *ſpirituale automa* ſpectari poſſit? cum ipſe Wolfius contrarium docuerit alibi. (§§. 62. & 63.) idem a proportione de *corpore* dicendum. (§. 617.) Porro nec poteſt anima dici *automa*, niſi manifeſte oſtendatur, quod anima *ſemper cogitet*; ſicut enim in automate v. g. horologio, poſito ſimul motu unius rotæ ſemper motus alterius ſubſequitur, ita etiam in anima fieri deberet, quæ tamen perennis cogitatio *incerta* omnino eſt, ut paulo poſt patebit. (CDXCIV.) Plura adhuc contra ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ argumenta adducit cit. Cl. P. Fort. a Brix. ſolideque probat, hanc ſententiam cum aliis Wolfii principiis, in ſua *Pſychôlog. Rat.* ſtabilitis, aperte pugnare, atque hypotheſis *probabilis* (Log. *fol.* 439.) dotes non habere.

Solvuntur Objectiones.

CDXLVI. Ob. 1. *Potuit* Deus, ac etiamnum *poteſt*, ſeriem perceptionum definire in qualibet Harmonia præſtabilita

hominis libertatem non ſalvat.

anima, dependenter ab iis mutationibus, quas in organis ſenſoriis corporis, cui eam copulare decrevit, ipſe prævidit certo futuras: (in quo caſu certe *anima* cujuslibet hominis, in idearum productione, a *corpore*, cui copulata eſt, actu *dependeret*, non quidem ut re ipſa *exiſtente*, ſed prout a Deo *prævifo*) ergo & revera ita *definiit*, maxime, quia ejus *ſapientiam* & *omnipotentiam* tale opus magis commendat. R. D. A. potuit ſic definire, ita tamen, ut tunc anima *per ſe* ac *intrinſece* non ſit amplius indifferens ad ponendos vel non ponendos actus ſuos, ſed potius a principio aliquo *externo*, Deo ſcilicet (æque ac in ſyſtemate *cauſarum occaſionalium* contingit) in producendis rerum ideis dirigatur. C. A. ut anima *intrinſece* maneat *indifferens*. N. A. & C. Si a Deo determinatur mens, ut hanc potius, quam aliam idearum ſeriem producat, jam non ipſamet anima *vim repræſentativam* univerſi dirigit, ut tamen Wolfius contendit. (*Pſych. Rat.* §. 613. *in notis*) dein, ſi ſeries idearum determinata eſt a Deo *ex præviſione mutationum*, in corpore futurarum, eo ipſo illud *corpus*, in quo una potius, quam alia contingat muta-

tationum ſeries, ut *poſſibile* ſupponi debet, quod rurſus negat Wolfius, dum ait: (*ibid.* §. *625.*) *anima, talem habens ſeriem perceptionum, poſſibilis intelligitur, etiamſi nullum poſſibile ſupponatur corpus, in quo ſeries motuum harmonicorum detur;* aut, ſi re ipſa mens *independenter a corpore* perceptiones ſuas elicit, dicant harmoniſtæ, cur, alterato corpore, impedito organo &c., anima *aliter* ſe habere incipiat? & quidem ex *proportione*, qua corpus immutatur? vel denique ſi pro ratione ſufficit *prævisa conſenſio* mentis, cur non pari jure ac facilitate explicari valet attractio magnetica, fluxus & refluxus maris, ut mox dictum eſt? poſtremo, an non credunt harmoniſtæ, quod infinitam Dei T. O. M. *ſapientiam* ac *omnipotentiam* multo magis commendet, ſi animam ita artificioſe manus Dei e nihilo produxit, ut ab ipſa quidem continuo, quoad ſui conſervationem, ac neceſſario dependeat, intrinſece tamen ad quosvis motus ſeu actus *libere* determinare ſe valeat? certe tam artificioſam *machinam* univerſum mortalium genus, cunctis etiam inter ſe collatis conſiliis, perficere nequit, etſi rariſſima de cætero artis opera, attamen

men ex ipſa ſtructura ſua ad certos ſolummodo ac determinatos motus edendos diſpoſita, efficere queat. (CCCXIV.)

Inſt. 1. Per ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ definitur, *vim animæ non dirigi a principio externo, ſed ipſammet animam eandem dirigere, ita ut ſit totius perceptionis, quam habet, cauſa ſufficiens.* Ita Wolfius: (*loc. cit.* §. 613. *in notis*) ergo in hoc ſyſtemate anima manet intrinſece indifferens ac *libera.* R. N. A. male enim hæc Wolfii verba cum doctrina alibi tradita cohærent, tradit namque (*Pſychol. Empir.* §. 57.) *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore noſtro contingunt, contineri.* Ideoque *perceptiones rerum materialium in mundo aſpectabili a mutationibus, in corpore iſto contingentibus dependere:* Ergo ſibi aperte contradicit Wolfius, dum in *Pſych. rat.* §. 613. ait ipſammet animam totius perceptionis eſſe cauſam efficientem. Adde, quod etiam paulo inferius (nempe §. 715.) doceat, quod *anima in ſtatu præexiſtentiæ* (CDXVIII.) *ſibi repræſentet hoc univerſum convenienter mutationibus, quæ in animalculo ſpermatico,*

vel

vel in corpuſculo organico, ſtamina fœtûs continente, contingunt. Videat igitur Cl. Auctor, ne, dum principium *rationis ſufficientis* tantopere tuetur, principio *contradictionis* contraire præſumat, ipſeque potius inter *hebetioris* ingenii homines (§. 640.) ob malam doctrinæ ſuæ, hac in parte, connexionem habendus ſit!

Inſt. 2. In hac hypotheſi mens humana ſolum ad *ſenſationes*, non vero ad *volitiones* & *appetitiones*, eſt ex ſua ſtructura automaticâ determinata: ergo libertas humana non læditur, quia, ut affirmat Wolfius (*Pſych. rat.* §. 633.) *neceſſitas motuum, qui appetitionibus animæ in corpore reſpondent, non tollit libertatem in anima.* R. D. C. libertas *interna* non læditur, hoc eſt, illa, quæ *interiores* tantum mentis *appetitiones* reſpicit Tr. C. libertas *externa*, ſeu quæ ad regulandos corporis motus *externos* ſeſe extendit, hominemque *exteriorem* componit. N. C. & C. non *anima* ſola, ſed corpus & anima ſimul junctæ *hominem* conſtituunt; unde, cum *totus* homo ſit *liber*, nequaquam ſufficit, ut *anima* ſuas volitiones & *appetitiones* internas libere eliciat, ſed & in-

inſuper requiritur, ut etiam *motus corporis* externi, quos anima vult, in *hominis* poteſtate ſint; aut ſecus propter actus *externos* (utpote juxta Wolfium nequaquam *liberos* ſed mere *naturales*,) nullus *fur* aut *latro* puniendus eſſet: id vero cum falſiſſimum, omnique juri ac honeſtati contrarium ſit, prout ipſemet rurſum docet, (§. 635.) falſum quoque erit, quod neceſſitas motuum, qui fiunt in corpore, non tollat *libertatem* in anima. Verum eſt quidem, & ab omnibus conceditur, quod *motus corporis externi* (æque ac animæ *perceptiones* internæ) non ſint *immediate* liberi, nemo tamen, vel ſolâ conſcientiâ teſte, negabit, eos *mediate* ſaltem eſſe liberos, ac voluntatis imperio ſubjectos. Scilicet ipſa *determinatio*, ſeu motionis *volitio*, eſt animæ *immediate* libera; motus autem membri, e. g. brachii, eſt *mediate* ita liber, ut, omiſſa hac animæ volitione, nequaquam exiſteret, ſenſusque intimus nos docet, quod anima libere poſſit vel organa ſenſoria ad objecta ſenſibilia percipienda applicare, eorumve ideas, prius habitas, in memoriam revocare, vel etiam reſpuere, ſeſeque ad alia convertere, id quod in ſy-

ſte-

ſtemate Wolfii reſpectu *motuum*, quos corpus *vi mechaniſmi* ponere DEBET, dici nequit.

Inſt. 3. Etſi motus corporis vi mechaniſmi in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ſint *determinati*, ac neceſſarii; tamen a DEO non aliter determinati ſunt, niſi quatenus is per ſuam *præſcientiam* certiſſime novit, quod mens, illi copulanda, eosdem motus *libere* ſit volitura, vel non volitura: ergo illi actus ſunt adhuc ſufficienter liberi. R. N. C. nam illi motus corporis, a DEO prævifi, vel ſunt in poteſtate mentis, vel non ſunt? ſi 1*mum*: ergo non datur *determinatio* ad illos ponendos *vi mechaniſmi*. Si 2*dum*: ergo ſunt eo ipſo ita *neceſſarii*, ſicut motus *naturales*; motus enim *naturales* Wolfius (*Philoſ. pract. p.* 1. §. 12.) vocat eos, *qui per eſſentiam*, & *naturam animæ*, & *corporis determinantur*: unde & *ibid.*§.529. docet, illos *per ſe homini imputari non poſſe*. Quare ex hoc argumento tantum ſequitur, quod anima forte, in iſta hypotheſi Wolfiana, ſit libera ad *volendos*, vel non *volendos* motus, non vero, quod (ut conjuncta corpori, ad hos motus vi mechaniſmi determinato) adhuc

Præſcientia Dei in ſyſtemate harmoniſtarum non tribuit libertatem.

huc ſit libera ad illos ponendos, vel *non ponendos*, cum eos, in hoc corpore vi mechaniſmi contingentes, impedire nullatenus poſſit.

Inſt. 4. Præſcientia Dei, juxta omnes Theologos ac Philoſophos, non tollit *libertatem* noſtrarum *volitionum*, etſi prævideat, eas *certo* futuras: ergo etiam illi *motus corporis* erunt adhuc perfecte in ſe liberi, etſi a Deo infallibiliter *prævideantur*. R. Præter paulo ante dicta, (*in R. ad Ob* 1.) N. C. *diſp.* eſt, quia *præſcientia* Dei, ut iidem Theologi docent, creaturam non *determinat*, ſed totum actum primum proximum (CCXLII.) indifferentem relinquit: econtra in ſyſtemate harmoniſtarum, reſpectu *motuum corporis*, ponitur ex parte actûs primi proximi aliquod conſtitutivum, *neceſſitans ad unum*, ſcilicet ipſe *mechaniſmus*, & conſequenter hic tollitur libertas; non vero ibi. Sic enim v. g. homo, *intrinſece* quidem liber, attamen per *inſolubile* vinculum carceri incluſus, non amplius (*extrinſece* ſaltem) cenſetur *liber* ad manendum in carcere, vel non manendum, etſi *prævideatur* ſimul huic neceſſitati tandem aquieſcere, & *velle*,

quod

quod mutare nequit: ergo etiam *a pari*, etſi v. g. Deus habeat præſcientiam, quod Petrus cras *libere* ſit ambulationem non poſiturus, ſimulque, poſitâ ſua præſcientiâ, rem ita diſponat, ut Petro *vinculum* pariter ejusmodi inſolubile iniiciatur, jam non amplius craſtina die Petrus *libere* ponet non ambulationem, & ex conſequenti, nec Deus prævidebit, quod Petrus, ſicut in *volendo*, aut non *volendo*, ita etiam in *ponendo* vel non *ponendo* eandem ambulationem, *liber* adhuc ſit exſtiturus: *Subſ.* Atqui hoc modo res ſe habet in ſyſtemate harmoniſtarum, circa actus hominis ſaltem *externos*; Dei enim præſcientia reſpectu illorum motuum ferme hoc modo eſt interpretanda: *Si exiſteret hoc, vel illud corpus, cum hoc vel illo rerum materialium nexu, neceſſario in ſingulis eorum hæc & illa motuum ſeries contingeret*, & per conſequens Deus nunquam prævideret, eos *libere* eſſe ponendos, quia Deus revera *tali modo* omnia ab æterno prævidet, quomodo in tempore ſingula accident, ejusque præſcientia rebus nec aliquid addit, nec quidquam demit: unde, ſicut v. g. prævíſus motus horologiorum non eſt *liber*, ita nec actiones *ex-*

ternæ, a tali *automate* per neceſſariam motûs legem ponendæ.

Inſt. 5. Saltem anima ſemper manet libera, ut ſit vel in hoc corpore, cum his motibus neceſſariis, vel in alio corpore, cum aliis motibus neceſſariis: atqui hæc libertas eſt ſufficiens: ergo. R. N. m. anima enim, ut mox dictum eſt, & in *Sect. ſeq.* magis demonſtrabitur, actu debet eſſe libera ad *hos* vel *illos* motus corporeos *ponendos*, vel non ponendos, & ſic nunquam, ſalva libertate ſua, exiſtere poteſt in aliquo corpore, motus ſuos *neceſſario* exercente, utpote quia tunc careret *facultate electiva*, ac *libertate exercitii*, quæ illi continuo ineſt, ita, ut non tantum alios & alios motus *velle*, ſed etiam actu *ponere* queat; at vero in ſyſtemate Wolfii motus quicunque in corpore non ponitur, quia anima *vult*, eumque *elicit*, ſed quia *mechaniſmus* corporis eum hic & nunc in ſua ſerie *exigit*: fere ut in horologiis duobus conſonantibus, inter ſe independentibus, evenit; quare & conſenſus animæ reſpectu corporis in harmoniſtarum ſententia potius *caſus*, quam *cauſa* dici debet.

Ob. 2.

Motus externi in corpore ſunt mediate ſaltem liberi.

Ob. 2. Ad libertatem requiritur intellectus, quia juxta commune axioma, *nihil eſt volitum, niſi præcognitum*: atqui corpus, motusque corporei non habent *intellectum*: ergo nec *libertatem*, & conſequenter quoad motus *corporeos* neque in ſyſtemate harmoniſtarum, neque in alio quocunque ſalvari libertas debet. R. D. M. Ad libertatem immediatam C. M. ad mediatam. *Subdiſt.* requiritur in imperante actum C. M. in exequente N. M. & ſic D. m. N. C. Reſponſio patet ex dictis *ad Inſt.* 2. nam, licet etiam in aliquo caſu *actus externi*, ac intellectiones quoque, liberum hominis arbitrium prævenientes, absque ulla libertate eliciantur, manet tamen ſemper *voluntati* jus ac imperium pro aliis caſibus. Profecto ipſemet Wolfius (*Pſych. Empir.* §. 941.) ita loquitur: *Ad libertatem adeo requirimus volitionum, &* ACTIONUM, *quas volumus contingentiam*: ergo tam *volitiones*; quam *actiones*, juxta ipſum, debent habere *libertatem*, etſi *diverſo modo*. Item §. 935. adhuc multo clarius inquit, *actiones humanas, ad quas pertinent motus corporis, a voluntate mentis pendentes, eſſe contingentes.* Videat ergo, ne rurſum ſibi contradicat!

 Inſt.

Inſt. 1. Motus corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore conſequuntur, teſte Wolfio (*Pſych. Emp.* §. 935.) ita comparati ſunt, ut corpus ad eos, atque ad oppoſitos iisdem æque diſpoſitum deprehendatur; nam, dum v. g. corpus ambulat, habet adhuc potentiam ad ſtationem, vel ſeſſionem: ergo corpus non eſt determinatum ad hos motus præ aliis. R. 1. Ipſe iterum Wolfius alibi, nempe *Pſych. Rat.* §. 633. ait *quod* MOTUS *in corpore, qui volitionibus animæ reſpondent, ſint neceſſarii*, addit tamen, *minime obſtare, quo minus* VOLITIONES *in anima ſint liberæ*, adeoque ſolum admittit, actus *internos*, non vero *externos* eſſe *liberos*. R. 2. D. A. Corpus ad actus oppoſitos eſt æque diſpoſitum potentiâ remotâ, ſive organicâ quadam conſtructione C. A. potentiâ proximâ N. A. & C. vi mechaniſmi certe alius motus nequit oriri, niſi quem ordo tangit, ut in machinis, v. g. in horologiis continuo videre licet.

Inſt. 2. Motus corporei, licet vi mechaniſmi ſecundum ordinem, ſibi ab auctore naturæ præſcriptum, ſe invicem conſequantur, poſſunt tamen ab ani-

anima impediri, ſi ſcilicet iſta non accedat loca illa, in quibus prævidentur certæ impreſſiones, ad organa ſenſoria allapſuræ, & ſeriem motuum determinaturæ: ergo etiam illi motus ſunt *mediate*, & conſequenter etiam ſufficienter liberi. R. N. A. ait enim Wolfius immediate citatus,(§.633.)*quod motus in corpore, qui volitionibus animæ reſpondent, ſint neceſſarii, nec naturaliter diverſi eſſe poſſint ab iis, qui actu conſequuntur*: Igitur in iſtius ſyſtemate naturali modo non poterit evitari occaſio, ad certum motum determinans, ne alias perturbetur *mechaniſmus* corporis, & interrumpantur motus, ita dependentes ab hac determinata excitatione impreſſionum. Indeque ab harmoniſtis minime ſalvatur *libertas humana*, ſaltem quoad actus *externos*, ac voluntarios; nam ſi, ut denuo Wolfius inquit, (§. 637.) *Archimedes tam ſublimia inventa, quibus geometriam ditavit, in libris ſuis expoſuiſſet, librosque ſingulos eodem, quo conſcripti ſunt, modo ſcripſiſſet, etiamſi nulla ipſi fuiſſet anima*, quomodo actus *externus* ſcriptionis dici poteſt *liber*, etiam *mediate* tantum?

Sect. II.

Ad Theologum ſpectat, præcavere, ne per aliquod ſyſtema Philoſophicum libertas humana tollatur.

Ob. 3. Theologi non intereſt, quodnam de commercio inter mentem ac corpus ſyſtema defendat Philoſophus; cumque non inutile ſit, ſyſtemata quæcunque excoli, & in foro Philoſophico de iisdem diſputari, Theologus etiam Philoſopho ſuam ſtatuendi libertatem illæſam relinquere poteſt. Ita *Wolfius* (§.546.) ergo ex principiis Theologicis hoc ſyſtema impugnari non debet. R. N. A. Nam, ut egregie arguit Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 205. nimium ſane intereſt Theologi Catholici, & quidem hoc præſertim œvo, in quo non niſi *nova* placent, probe ſcire, quodnam de *commercio* mentis cum corpore ſyſtema Philoſophi defendant. Poſſunt enim circa hujus commercii explicationem errores plurimi, orthodoxæ fidei contrarii, doceri, peſſime præprimis de humana *libertate* ſentiendo, indeque ad *idealiſmum*, ac *fataliſmum* (CCCXXII.) viam apertiſſimam ſternendo. Item, ſi *Theologi non intereſt, quodnam de commercio inter mentem ac corpus ſyſtema defendat Philoſophus*, dici etiam poterit, eodem modo *Theologi non intereſſe*, quid de humanæ mentis *ſpiritualitate*, *immortalitate*, atque *origine* Philoſophus quisque ſentiat &c. Profecto ſi *Theologici Juris* non eſt, in Phi-

Philoſophorum placita inquirere, nemo erit, qui frœna illis imponere legitime poſſit. *Poſſunt* nimirum *ſyſtemata quæcunque excoli, & in foro quidem Philoſophico de iisdem diſputari*, cum, ut Lactantius inquit *l.* 7. *Div. Inſt. c.* 7. nulla fuerit ſecta tam devia, neque Philoſophorum quisquam tam inanis, *qui non viderit aliquid veri*; Cavendum tamen quam maxime, ne propterea quidquam, S. Scripturæ ſanctorumque Patrum doctrinæ contrarium, admittatur. Falſum eſt igitur, *poſſe Theologum ſuam ſtatuendi libertatem illæſam Philoſopho relinquere* circa hanc materiam; nam ſi a Theologis relinquenda cuique Philoſophorum eſt, quod de hoc commercio magis arridet, ſtatuendi licentia, dandum quoque erit *Materialiſtis*, ut omni rejecta *ſpirituali* ſubſtantia, quidquid in mundo exiſtit, *corporeum* dicant, *Idealiſtis*, ut realem mundi ſenſibilis exiſtentiam negent, *Fataliſtis*, ut abſolutæ *neceſſitati* humanas actiones ſubjiciant, *Occaſionaliſtis*, ut omnem penitus *agendi vim* menti humanæ ſubtrahant, ipſis demum *Harmoniſtis*, ut mentem & corpus veluti duo, a ſe mutuo independentia, *automata* nobis exhibeant, doceantque impune, perinde

eſſe *animæ*, quidquid *corpus* patiatur, vel agat: hæc autem nunquam dabunt *Theologi* Catholici, & conſequenter neque Philoſophis permittent unquam, ut de cauſa commercii mentis cum corpore, quod eorum palato magis ſapidum eſt, pleno jure conſtituant. Ita ſæpe *citatus* Cl. P. FORT. a BRIX. qui & §. *ſeq.* 206. addit, nullum in *veram* religionem poſſe *detrimentum* ex eo provenire, (prout tamen Wolfius exiſtimat. §. 546. *in notis*) quod Theologi Catholici, ad expendenda Philoſophorum dogmata, S. Scripturam adhibeant, quia *verum vero* contrarium eſſe nunquam poteſt, niſi forte *veræ religionis* nomine eam, quam ipſe profitetur, Wolfius intelligat; *tunc enim*, inquit cit. vir Cl. *eidem damus & ipſi*, *Philoſophorum limitibus ſeſe immiſcere neutiquam poſſe Theologos, quin maximum illa detrimentum ſubeat, ſemperque hanc ob cauſam ſit ſubitura.* Denique (ut ait idem Cl. P. FORT. a BRIX) turpiter hallucinatur Wolfius, ſi *tantæ authoritatis* ſe eſſe putet, ut Theologis Catholicis poſſit *leges* præſcribere; *plurimum, & jure quidem, ei ſemper dabunt Mathematici, neque parum Philoſophi; ſed certo ſciat, Theologos Catholi-*

cos nihil prorſus ipſi unquam eſſe daturos. Videantur etiam dicta in Log. *fol.* 579. & 392.

Ob. 4. *Difficultas de concurſu Dei ad malum non major eſt in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quam in ſyſtemate influxûs phyſici*: ita Wolfius: (§.636.) ergo, ſicut influxus phyſicus erroris contra Theologiam non damnatur, ita nec harmonia præſtabilita damnari debet. Concurſus Dei ad malum facilius explicatur per influxum phyſicum.

R. N. A. Longa enim *diſparitas* eſt inter *influxum phyſicum*, de quo in *art. ſeq.* & ſententiam *harmoniſtarum*; nam juxta *influxioniſtas* Deus ad inhoneſtos corporis motus equidem, ut *cauſa prima*, concurrit, ita tamen, ut phyſica eorum *determinatio* ſit a *voluntate* hominis, corpus vero ſit ad omnes omnino motus vi ſuæ ſtructuræ *æqualiter* diſpoſitum, ac paſſive prorſus indifferens; econtra in ſententia Wolfii corpus hoc modo a Deo elaboratum eſt, ut *vi ſolius mechaniſmi*, independenter ab omni mentis determinatione, omnes ſuos motus tam bonos, quam malos, æqualiter perficiat (CDXLIII.) adeoque juxta harmoniſtas Deus ad turpes etiam motus ita concurrit, ut omnes ab eo fuerint in ipſo corpore phyſice de-

determinati; ac proinde non tantum *permiſſive*, & actione *generali*, ſed *ſpeciali* quodam concurſu in illos influit. Cæterum quæ contra harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema hactenus allata ſunt, *ſi quis forte harmoniſtarum fuerit*, (verbis *cit. Cl. P. Fort. a Brix.* §. 180. concludo) *cui non plane grata hæc ſint, parcat machinæ, vi ſui tantummodo mechaniſmi ita ſcribenti, neque ſecus ſcripturæ, quamvis nullo adminiſtraretur conſilio, nullaque ratione dirigeretur.*

ARTICULUS IV.

Proponitur ſyſtema influxus phyſici.

Syſtema influxus phyſici

CDXLVII. Syſtema *influxus phyſici* dicitur illud, quo commercium inter corpus & animam explicatur per realem ac *phyſicum influxum*: hoc eſt, quo anima per actionem ſuam realiter & *effective* corpus determinat *ad motus* quoscunque *vitales* exercendos, & viciſſim corpus animam ad *ſentiendum*, ſive potius, ad *percipiendum*, phyſice, & per realem idearum impreſſionem determinat. Hoc ſyſtema, cui ſcholaſtici omnes ſemper adhæſere, ac etiamnum adhærent, ſy-

ſte-

ſtema quoque *Ariſtotelico-Scholaſticum*, eique adhærentes *Influxioniſtæ* paſſim appellari ſolent. Hodie tamen non ab omnibus ſcholaſticis æqualiter defenditur; nam 1. non nulli tenent, quod non tantum *anima* phyſice influat, agatque in corpus; ſed *corpus* quoque eadem actione reali & phyſica agat in animam. 2. Alii vero duce Cl. P. *Tourneminio* S. J. (cujus viri inſignis doctrina in actis *PP. Trevoltienſium* ſæpius laudatur, ejusque hac de re ſententia fuſe refertur ad annum 1703. *t.* 2. 3. & 4.) admittunt quidem, animam vere & phyſice agere in corpus; non autem æquali modo corpus in animam. Porro *priorem* nos tantum ſententiam hoc loco examinabimus, *poſteriorem* vero articulo ſequenti reſervamus. Itaque

Dupliciter accipitur.

CDXLVIII. Illi mentis cum corpore commercium ſequentibûs declarant. I. Admittunt equidem, quod anima & corpus geminæ ſint ſubſtantiæ, inter ſe in entitate ſua toto genere *diverſæ;* II. Attamen reſpectu *totius hominis* utramque vocant *incompletam*, unum aliquod *per ſe* conſtituentem, III. ita videlicet, ut anima ſit *forma* corporis intrinſeca, ejusdemque *principi-*

Syſtema influxioniſtarum.

cipium primum tum *eſſendi*, ut ajunt, tum *operandi*; corpus vero *ſubjectum informationis* reſpectu ejusdem animæ, (CLIX.) IV. In quo anima *indiviſibili* modo ſic recipiatur, ut ſit tota in toto corpore, ſimulque tota in qualibet ejus parte, adeoque *definitive* ibi exiſtat, (CCCXLVIII.) V. nec, per conſequens, mere *extrinſece*, & *effective*, ſed *intrinſece* & *formaliter* omnes in corpore motus, tam *voluntarios*, quam *naturales*, ſeu neceſſarios phyſice producat: VI. Pariter ſi quando *corpus* ſeu *ſubjectum* ſuum *intrinſece* ab objecto quodam ſenſibili ac corporeo movetur, aut immutatur, juxta ipſos anima quoque hunc motum participat, quatenus per *intellectum agentem* (ſeu per *vim activam* ſui intellectûs) ſenſibilium mutationum ideas, aut (prout vocant) *ſpecies intelligibiles* mediante intellectu *paſſibili*, de quo in *Sect. ſeq.* ipſa ſibi efformat. VII. Atque hæc omnia celerrime ac in momento, propter intimam formæ cum materia *unionem* (quam nonnulli *duplicatam* admittunt) fieri affirmant.

Eorumque fundamenta,

CDXLIX. Iſtud porro ſyſtema ſuum Peripatetici plerique tanquam veritati con-

conſentaneum inde vel maxime aliis perſuadere volunt. I. Quia per ipſam *experientiam* quotidianam intime nobis conſcii reddimur, quod *anima* noſtra pro libitu ſuo ac imperio non ſolum *ideas* ac perceptiones ſuas, ex ſenſatione vel in- vel externa ortas, eliciat, ſed & *motus* quoque *corporeos*, præcipue voluntarios perficiat; ſicut econtra anima deficiente, aut ejus actione per organa ſenſoria inepta remoram patiente, corpus quoque a motu, vel ex toto, vel ex parte ceſſat. II. Quia, cum corpus & anima ſint ipſius compoſiti partes, (*materialis* ſcilicet, & *formalis*) ſibi invicem intime communicatæ, (CCXC.) prorſus naturale eſt, ut, ſi quovis modo alicujus compoſiti *forma* mutationem ſubeat, id ipſum in *materia* quoque contingat; & e converſo. III. Quia in hoc Syſtemate *motus* etiam & *ſenſationes* corporeæ optimo jure dici queunt animæ *imputari* in genere *moris*, hoc eſt, ut juri naturali aut poſitivo conformes vel difformes, id quod tamen nec in *harmoniſtarum*, nec in *occaſionaliſtarum* ſententiis æquali facilitate præſtari valet. (CDXL. & CDXLV.) IV. Denique, quia in hac ſententia vere

ſal-

ſalvatur, quod anima ſit *forma ſubſtantialis* corporis, prout definitum eſt in Concilio *Viennenſi*, nec non *Lateranenſi V.* nam ipſa totum corpus vere permeat, atque *informat*, tanquam ejus principium *vitale*, *eſſentiale*, ac intrinſecum, operationes ſuas ſic producens, quatenus vel *iñediate* impellit alium aliumque corporis nervum, vel etiam movet *ſpiritus animales*, (ii ſunt ſubſtantia quædam ſubtiliſſima, ſumme fluida, & maxime mobilis, ex arterioſo ſanguine in cerebro elaborata) ita, ut delabantur per eum nervum, (*nervi*, juxta anatomicos, ſunt albicantes quidam velut funiculi, qui ex intima cerebri ſubſtantia, tanquam ex radice prodeuntes per totam animalis machinam ſtupendo prorſus artificio diſſeminantur, & a ſpiritibus animalibus, cum intus cava ſit nervorum ſtructura, luminis inſtar continuo pervaduntur, & quaſi irradiantur) ad eum muſculum, cujus ope motus corporis, hic & nunc ab anima *volitus*, eſt producendus: ſimiliter etiam motus, in corpore excitatus, per nervos ad cerebrum usque propagatus, animam determinat, ut ſenſationis determinatæ ideam completam eliciat &c. ut in *Sect. ſeq.* magis declarabitur: ergo.

Spiritus animales.

Nervi.

Art. IV. Carteſii & Leibnitii rationes contra influxum phyſicum.

CDL. Huic Peripateticorum ſyſtemati recentiores Philoſophi, præſertim Carteſius Leibnitius ac Wolfius, non pauca opponunt, præcipue vero 1. in hoc ſyſtemate nodum non ſolvi, ſed magis potius implicari per terminos, rebus ipſis obſcuriores; nam cum dicitur, animam eſſe *formam*, ſive *entelechiam* corporis humani, nemo clare intelligit, quid ſibi proprie velint hæ voces: *forma* aut *entelechia*? *Itemque*: *unum per ſe*, *ſubſtantia incompleta* &c.? 2. maxime cum omnis *forma* (quæ eſt *actus materiæ*) debeat eſſe materiæ, tanquam ſuæ *potentiæ*, proportionata; hic autem nulla datur *proportio* inter materiam, ſeu *corpus*, & inter formam, ſeu *ſpiritum*. 3. Indeque percipi poſſe omnino negant, quomodo ex corpore in animam transfundi ideæ poſſint? & viciſſim quomodo corpus a ſpiritu moveri & agitari valeat? ſi vero *dicant* Peripatetici, *phantasmata* corporis, dum animæ communicantur, *ſpiritualizari*, & motus ſpirituales animæ corpori communicatos *corporalizari*, caſſas hasce non minus, quam barbaras voces horrent, nedum intelligunt Recentiores, inquit Cl. P. *Donatus a transfig. Metaph. part. ſpec. pag.* mihi

mihi 230. 4. peſſime denique, ait idem Cl. Auctor, hoc ſyſtema videtur conſulere *ſpiritualitati* animæ, cum eam quoque principium *vegetationis* & *nutritionis*, ac aliarum affectionum *pure materialium* faciat: indeque forſan ſupponit Cl. hic auctor, ejusmodi operationes pure *naturales* vel a ſubſtantia quadam *media*, (CCCLXX.) vel certe a ſola corporis organizatione, ſeu *admirabili partium varietate ac textura*, ut vult Cl. P. Corsinus *Phyſ. Part. Tract.* 2. *Diſp.* 4. *c.* 3. §. 3. unice dependere, neutiquam vero ab *anima rationali*, utpote quæ ſolum *intelligat* ac *velit*, vel etiam fortaſſe *ſentiat*, non tamen *nutriatur*, vel *augeatur* &c.

a Peripateticis diluuntur. CDLI. Aſt rurſum ex adverſo inſurgunt ſcholaſtici, optimæ, uti putant, cauſæ ſuæ tutelam ſuſcipientes, atque allatas a Carteſianis & Leibnitianis objectiones hoc modo diluentes.

Ad 1mum. Retorquent in primis argumentum in ſuos adverſarios, qui in ſuis quoque principiis nodum hunc gordium, de animæ cum corpore commercio, multo minus ſolvere queunt, (CDXL. & CDXLV.) quinimo potius ſe-

ſecant, *libertatem* homini adimendo: dein, quod mens humana vere ſit *forma ſubſtantialis corporis*, clare definitum eſt in Conciliis: (CCCLXXVII.) ergo, (dato etiam, & non conceſſo, quod ejus notio ſit *obſcura*) cum *veritas fidei* nequeat eſſe contraria *veritati naturali*, neque id, quod *Theologice* verum eſt, *philoſophice* falſum eſſe poſſit, (Log. *fol.* 390.) non modo cum ſumma *probabilitate*, ſed & cum maxima *certitudine* in Philoſophia, quæ Theologiæ *ancillari* debet, ſuſtineri poteſt, ac debet; falſa econtra cenſenda ſunt *Carteſii* ac *Leibnitii* Syſtemata, in quibus mens humana certe non eſt *forma* corporis intrinſeca, cum vel *Deus utrique machinæ* extrinſece *aſſiſtat*, (CDXXXIX.) vel una machina, omnino independenter ab altera, quaſi duo ſeparata horologia, motus ſuos efficiat, (CDXLIII.) Et conſequenter vere illi dicere ſe poſſe putant, quod non ſolum *corpus*, verum etiam *anima*, ſint ſubſtantiæ *incompletæ*, quia neutra ſeorſim ſumpta eſt *totus homo*, ſeu *totum* compoſitum ſubſtantiale humanum, ad quod tamẽ conſtituendum (pro aliquo ſaltem tempore) ordinatæ ſunt, etſi de cætero neſciamus, *quomodo* hæc mutua utriusque ſubſtantiæ *unio*

a parte rei ſe habeat? Indeque clare etiam ſe loqui arbitrantur, dum *unum per ſe* vocant omne illud compoſitum, cujus partes, aut conſtitutiva in unum ſuppoſitum ſive *ex naturæ lege*, (prout in *compoſito humano* contingit) ſive *ex ſingulari omnino Dei conſilio* (prout factum eſſe Theologi docent in verbi Divini *incarnatione*,) coaleſcunt: ſicque tam *homo*, quam Chriſtus, ſeu homo-Deus dicuntur *unum per ſe*, quia ſcilicet, ut auctor Symboli S. Athanaſii inquit, *ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*: Chriſtus autem juxta omnes Theologos eſt vere *unum per ſe compoſitum* ex *Deo* & *homine*, per unionem *hypoſtaticam* unione *ineffabili* inter ſe unitis: ergo etiam *anima* & *corpus*, ſimul unitæ, ſunt *unum per ſe;* aut ſecus iſta *paritas* in Symbolo adducta nulla eſſet!

Ad 2*dum*. Admittunt equidem, quod inter materiam ſeu *corpus*, & formam, ſeu *ſpiritum* nulla ſit proportio in *entitate*, bene vero *in agendo*, & hoc ex virtute, utrique ſubſtantiæ ab auctore naturæ, indita, & continuo, quamdiu unitæ manent, perſeverante. Quanquã, ut dictum eſt, quidam cum Cl. P. *Tour-*

nemi-

neminio ſentiant, illam *activitatem* ſoli animæ in corpus, non vero corpori viciſſim competere in animam, de quo paulo poſt.

Ad 3*tium.* Id ipſum reſpondent; *modus* vero, quo mens *intelligere*, tum etiam corpus *movere* concipitur, ex dicendis (in *Art. ſeq.* & *Sect. III.*) innoteſcet.

Ad 4*tum.* Quæ in hoc Syſtemate *ſpiritualitati* animæ officere poſſent, jam ſupra (CCCXCIII.) refutata ſunt, quod vero actiones hominis *naturales* & *vegetativas* concernit, eas itidem in ſententia Cl. P. *Tourneminii* clare nitideque explicari poſſe *articulus ſequens* docebit. Itaque nunc ſolum probabitur, 1. quod ſaltem anima in corpus vere ac phyſice agere queat, ſecus ac Carteſius cum Leibnitio exiſtimavit, 2. & ex conſequenti, quod Syſtema influxûs Phyſici Jure defendi, quin & allatis Syſtematibus, in quantum ad veritatem, præferri mereatur.

PROPOSITIO I.

Anima ſpiritualis poteſt Phyſice agere in corpus.

Anima poteſt phyſice influere in corpus.

CDLII. PROBATUR. Si qua cauſa foret, cur phyſice agere in corpus non poſſet, eſſet hæc, quod ipſa ſit ens *ſpirituale*, & cum corpore *penetrabile*, unde nunquam ei *motum* ſeu *impulſum* tribuere poſſet, (utpote qui juxta adverſarios unice ab ente *corporeo*, ſeu *quanto*, provenire ſolet) atqui hæc ratio nulla eſt: ergo anima phyſice agere poteſt in corpus. M. eſt Carteſii, Leibnitii, & Wolfii. m. p. *ab actu ad potentiam* bona eſt argumentatio: atqui actu *entia ſpiritualia*, nempe *Angeli*, teſte hiſtoriâ, tum ſacrâ tum profanâ, egerunt in corpora; nam 1. Angelus *percuſſor* in Ægypto interfecit omnes Ægyptiorum primogenitos. *Exodi* 12. 2. Id ipſum alter in caſtris Sennacherib præſtitit, occidendo 185000. militum. 4. *Reg.* 19. 3. Alius Prophetam Habacuc capillis apprehenſum per aëra portavit. *Daniel.* 14. Itemque Philippum Diaconum. *Actor.* 8. Imo & Chriſtum ipſum. *Math.* 4. 4. Adhuc hodie Angeli mali diverſos ac inordinatos motus

ex-

excitant in energumenis, quorum corpora obſident, item in maleficiatis per invocationem Magorum; (CCCXX.) neque enim ejusmodi effectus, & actus quandoque turpiſſimi, ſoli *Deo immediate agenti* adſcribi poſſunt: ergo etiam *anima*, tanquam *ſpiritus*, phyſice in corpus agere poteſt. Confirmatur I. Si enti *ſpirituali* eſſentialiter repugnaret agere in corpus, tunc neque Deus, qui eſt purus ac illimitatus *ſpiritus*, agere, ac entia corporea movere poſſet; vel ſi ille hoc præſtare poteſt, & quidem *illimitate* ac *virtute propria*, id ipſum quoque (ſaltem *limitate*, ac *virtute* a Deo ſibi collata) anima poterit, utpote quam idem ille Deus *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* creavit. *Gen.* I. *v.* 26. Conf. II. Motus, qui dicuntur *voluntarii*, ad ſolum animæ nutum excitantur, (CDXXXV.) & ad libitum animæ continuantur: ergo revera ab anima tanquam *principio intrinſeco* determinantur, neque ſufficit aſſignare principium quodcunque *extrinſecum*, ut patet ex refutatis ſententiis: inſuper illa *determinatio* corporis ad motus ſuos non eſt effectus *imaginarius*, ſed *realis*, & *naturalis*: ergo haberi non poteſt niſi per actionem realem, ſeu, ut Scholaſtici

loquuntur, per *influxum phyſicum*, conſequenter anima realiter & phyſice agit, ſeu influit in corpus. Quare

PROPOSITIO II.

Syſtema influxus phyſici aliis Syſtematibus eſt præferendum.

Syſtema influxûs Phyſici

CDLIII. PROBATUR. Hoc Syſtema melius congruit principiis *Theologiæ*, ac *Philoſophiæ*, naturæque *phœnomena* intimæ conſcientiæ conformius explicat, quam alia Syſtemata: ergo eſt illis præferendum. p. A.

magis congruit fidei.

Quoad 1mum. Hoc Syſtema 1. magis ſalvat definitionem Eccleſiæ, (CCCLXXVII.) quod anima ſit *forma corporis humani.* (CCCLI.) 2. Non præjudicat *libertati hominis*, eo ipſo, quod actus externi non vi *mechaniſmi corporis*, aut ex immediata *aſſiſtentia Divina*, ſed vi ſolius *animæ*, unum motum præ altero eligentis ac imperantis, contingant, 3. indeque etiam clare, & ad captum explicat, quomodo animæ, tanquam principio electivo ac effectivo, actus quoque externi voluntarii ad *prœmium* vel *pœnam* valeant *imputari*; hæc autem omnia nec Carteſius,

(CCCXL.)

(CCCXL.) nec Leibnitius, aut Wolfius (CCCXLV.) Theologiæ principiis conformiter ſalvant: ergo.

Quoad 2dum. Magis *Philoſophica* explicatio eſt, motus corporeos tanquam effectus adſcribere *formæ*, ex virtute a Deo ſibi conceſſa, corpus informanti, ſemper intime præſenti, atque effectui accomodatæ &c., quam cum *Carteſio* recurrere ſtatim *ad Sacriſtiam*, ut ajunt, Deumque, quaſi ex *machina*, continuo accerſere, aut cum *Leibnitio* machinas chimæricas, a ſe invicem prorſus *independentes*, attamen mutuas in ſe *cauſalitates* exercentes fingere: (CCCXLV.) *Prob. II. Conf. III.*) ergo. p. A. Philoſophi eſt, quamdiu cauſa ſecunda creata ſupereſt, tamdiu ad Deum vel machinas *immediate* non recurrere: atqui hoc fit in Syſtemate influxûs phyſici: ergo. p. m. Hoc Syſtema pro *immediata* cauſa motuum corporis aſſignat *imperium animæ* volentis, tanquam cauſæ ſecundæ, & non Deum, aut corporis *mechaniſmum*, atque etiam reddit *rationem ſufficientem* poſiti vel ſublati motûs: (CCCLII.) ergo. Confirmatur. Naturæ oppido conſonum eſt, ut, mutatâ quomodocunque *formâ*, illius quoque *ſubjectum*, quamdiu utraque ſub- Philoſophiæ,

ſtantia mutuo ſibi unita exiſtit, mutari debeat: (CCCXLIX. II.) atqui anima eſt *forma*, & corpus *ſubjectum*: ergo naturæ valde conſonum eſt, ut, ſi anima mutetur (vel potius, libere ſeſe modificet) corpus quoque ſimiliter mutetur, & conſequenter in hoc Syſtemate (in quo non *immediate* ad Deum, ſed ad cauſam ſecundam, *animam* ſcilicet, recurritur) *magis philoſophica* explicatio datur, quam in aliis Syſtematibus. (CCCXL. & CCCXLV.)

Et naturæ phœnomenis declarandis.

Quoad 3tium. Naturæ humanæ *phœnomena*, commercio animæ cum corpore congruentia, ſunt diverſæ *motiones*, *ſenſationes*, & *affectus*, in alterutra ſubſtantia eo ordine excitari ſoliti, *ac ſi anima & corpus in ſe mutuo influerent*, ut ipſe Wolfius inquit *Pſych. Rat* §. 537. *hoc eſt*, *ac ſi anima* vi sua *produceret motus voluntarios in corpore*, & *corpus vi ſua produceret perceptiones rerum ſenſibilium in anima*: atqui hæc phœnomena Syſtema influxus phyſici *intimæ conſcientiæ conformius* explicat: ergo. p. m. Intima conſcientia, etiam juxta *harmoniſtas*, nos oppido convincit, quod anima *vi ſibi propria* ſuas volitiones & appetitiones eliciat, (ideo enim harmoniſtæ

ſtæ occaſionaliſtis non accedunt) atqui hæc ipſa quoque conſcientia intima nobis tanquam rem certam perſuadere nititur, eandem quoque animam *vi ſibi propria* motus corporeos *voluntarios* libere ponere vel omittere; pro libitu enim v. g. anima extendit brachia, inclinat caput, pedes movet &c. &, quamvis nullum *Jus* ſeu *libertatem* habeat in motus corporis *naturales*, in eos tamen omnes actione quadam (quæcunque illa ſit, de qua *in art. ſeq.*) vere ac *phyſice* influere debet, aut ſecus præter *animam rationalem* alia adhuc ſubſtantia *media*, tanquam illorum motuum cauſa, admittenda foret, ut paulo poſt dicetur: certe ab affectionibus *animæ* mutatur phyſica etiam *corporis* conſtitutio; nam, dum in mente varii ac vehementes dominantur *affectus*, varii pariter in corpore, & quidem eodem tempore, conſequuntur *motus*, affectuum vehementiæ convenientes, e. g. vehemens, & cum affectu validiore conjuncta *imaginatio* motus in corpore efficit convulſivos, corpori ac vitæ ſæpe pernicioſos: econtra animâ gaudente motus cordis redditur facilior, illâ triſtante totum quoque corpus langueſcit &c., id quod profecto ſine reali

actione fieri non poſſe, *ſenſus* nos *intimus* edocet. *Animæ* viciſſim a *corpore* dependentiam, hujusque *actionem qualemcunque* in illam, perſuadere nobis contendunt variæ, pro varia *corporis* conſtitutione, temperie, ac mutatione, in *mente* excitari ſolitæ *perceptiones*; non enim *eaſdem* ſemper anima rationalis ideas elicit in corpore primum *infantis*, dein *pueri*, *juvenis* ac *viri*, ſed pro varia diſpoſitione & augmento ac perfectione cerebri, quo ſolum in naturali ſua temperie conſtituto libere ratiocinatur, læſô autem, vel a naturali ſua diſpoſitione penitus deflectente, ipſa quoque de ſtatu *perceptionis* claræ, atque diſtinctæ dejicitur, & ad ſolas *ſenſationes* ac *vegetationes* exercendas cogitur. Rurſus, prout humores, ac *ſpiritus animales* ſunt magis vel minus temperati atque diſpoſiti, partesque ſolidæ diverſo modo tenſæ, mens etiam operationes ſuas ſecundum diverſos perfectionis aut imperfectionis gradus exercet: unde pro ratione non tantum ætatis, ſed & vitæ, generis, diætæ, ſexûs, ac loci ſeu climatis, variis quoque homines *affectibus*, ingeniique ad *ſcientias* acquirendas capacitate, ac etiam *virtutibus* ſunt præditi. &c. Quæ-

iti-

itidem omnia absque vera ac *phyſica* corporis in mentem *actione* (quamvis hæc ſit *ineffabilis*, & vix ab ullo explicari ſatis queat) fieri non poſſe, conſcientia intima dictare nobis videtur: ergo iſtud Syſtema naturæ phœnomena intimæ conſcientiæ conformius explicat, & conſequenter *occaſionaliſtarum* ac *harmoniſtarum* Syſtematibus longe meretur præferri. (CCCXLIX.) Sane argumenti hujus vim ipſemet quoque Wolfius probe agnovit, dum *Pſych. Rat.* §. 587. aperte fatetur, *neminem in dubium vocare, niſi* EXPERIENTIÆ MANIFESTÆ *contradicere velit, perceptiones tales eſſe, ut poſſint cenſeri effectus, vi corporis producti, & motus quoque voluntarios tales deprehendi; ut non repugnet, eos eſſe effectus, vi animæ productos:* quid ni ergo Metaphyſicus, *manifeſto* hoc *ſenſuum teſtimonio* ſuffultus, æque ſolide concludat *animam* ſaltem (ſi non etiam corpus in animam) Phyſice influere in motus *corporeos*, ac Phyſicus *experimentorum* ſubſidio adjutus absque ulla hæſitatione affirmat, *aërem eſſe gravem, ignem* eſſe *activum* &c.? verum

Non dicas cum eodem Wolfio §. 579. influxum phyſicum eſſe *ordini naturæ* adverſum, utpote qui exigat, ut *in toto univerſo ſemper conſer-*

vetur eadem virium vivarum quantitas, dum econtra in iſto Syſtemate *vis nova motrix* oriretur in aliqua materia, quæ ex nulla alia in eandem derivetur, ſcilicet a *ſpiritu* communicata *corpori*. Nam *contra eſt*, quidquid ſit de illo *ordine naturæ*, de quo pauci philoſophi quidquam ſcire volunt, lex iſta locum ſolummodo habere poteſt in *conflictu* duorum *corporum*, eorumque *mutua percuſſione*: econtra hic ſermo eſt non de mutua actione unius *corporis* in aliud, ſed de actione *animæ ſpiritualis* in *corpus*, quæ certe motuum *corporeorum* leges ſequi non debet; alias nec etiam *Deus*, nec *angeli* corpora movere poſſent, utpote quæ nec ab iſtis, nec ab illo *phyſice tangi* queunt. Quapropter continuo *retorqueri* argumenta Wolfiana valent, eique identidem verbis S. Augustini acclamandum: *nunquid ideo negandum eſt*, *quod apertum eſt*, *quia comprehendi non poteſt*, *quod occultum eſt?* apertum ſcilicet eſt, quod anima *vere influat* in corpus, etſi occultum ſit, *quomodo* influat? Pro hac igitur difficultate ulterius declaranda

AR-

ARTICULUS V.

Expenditur Syſtema Cl. P. Tourneminii.

CDLIV. Cl. P. Tournemine S. J. vir ſummi ingenii, doctrinæ, ac modeſtiæ, prout acta PP. Trivoltienſium eum deſcribunt, *unionem atque commercium animæ cum corpore*, ſervato quoad ſubſtantiam ſyſtemate influxûs phyſici, ſequentem in modum explicat, *ad annum* 1703. *Tom.* 2. 3. 4. & 1704. *Tom.* 2. *memoires de Trevoux.* Ejus Synopſin ex Cl. P. Hauser. *Pſychol. p.* 3, *q.* 5. *art.* 1. 2. & 3. prout ipſe ex aliis, actuum Trivoltienſium circa hanc doctrinam compendiatoribus, deſumpſit, hic appono. Syſtema Clariſſ. P. Tournemine.

I. Supponit Cl. P. Tourneminius, corpora ſingula inter ſe non aliter *differre*, niſi per diverſam eorum *mechanicam ſtructuram*, qua reddantur apta ad uſus diverſos, nempe ad recipiendos varios *motus*, & *impreſſiones*, quas vel ab objectis ſenſibilibus extrinſece ambientibus, vel a ſpiritibus animalibus, in corpora activis, recipiunt, indeque ad varias *ſenſationes*, ac *motiones* determinantur. Corporū differentia per eorum ſtructuram habetur.

II.

Situs partiū unus præ aliis corpori & animæ accomodus.

II. Supponit, poſſe quidem corpus humanum habere *varios ſitus* omnium ſuarum partium, ſcilicet humorum, ſpirituum animalium &c. inter hos tamen omnes ſitus *unum* eſſe, quo corpus ad functiones animæ humanæ reddatur magis idoneum, & quo *obtento* anima bene, commodeque ſe habeat, id eſt, in ſtatu ſuo *connaturali* conſtituatur. Unde corpus humanum veluti *ſubtilis & delicata quædam machina* ab ipſo ſpectatur, cujus motus regularis dependeat ex ſitu & fluxu regulari ſpirituum animalium, & humorum. Iſte porro fluxus (quem ſpiritus illi animales *ex ſe* non habent) quia facile turbari aliunde poſſet, hinc

Virtus animæ diverſa juxta diverſitatem corporis.

III. Quemadmodum machinæ horologæ ſuum debetur *elaterium*, quo in motu *regulari* conſervatur, & quaſi animatur, ita & Deus providit machinæ corporeæ de tali anima, quæ virtutem *intrinſecam* haberet, ſpiritus in competente ſtatu continendi. Itaque cuilibet animæ, tanquam animato elaterio, indita eſt a Deo virtus naturalis, partes illius corporis, cui deſtinata eſt, continendi in hoc ſitu, ad functiones organicas ibi exercendas idoneo, id eſt, ani-

animæ bono reſpondente. Atque hanc *virtutem* in qualibet anima *diverſam*, & relativam eſſe ad *corpus* exiſtimat Cl. Auctor, ſeu ſtructuræ *bujus* in individuo corporis accommodatam & proportionatam. Hæc autem *virtus*, quoniam cum ipſa *anima* identificatur, (LXIX.) *differentiam* quoque illius propriam, juxta ipſum, conſtituit, ut adeo animæ, diverſis corporibus deſtinatæ, haud ſecus inter ſe differant, quam ipſa corpora, quibus animæ deſtinantur, ratione ſuæ ſtructuræ inter ſe differunt.

IV. Supponit, animæ, naturali hac virtute inſtructæ, competere duplicem actionem, *immediatam* videlicet, & *mediatam*. Actione *immediata* juxta ipſum anima agit in *ſpiritus animales*; *mediatâ* vero, id eſt, *mediantibus* illis *ſpiritibus* regulariter motis, in reliquas corporis partes. Hæc porro *actio* non eſt animæ libera, nec a cognitione aut voluntate dependet, ſed eſt *neceſſaria*, eoquod anima ſit ad illam determinata *per naturam ſuam*. Præterea hæc actio eſt *continua*, ſive tamdiu durat, quamdiu homo vivit, hoc eſt, quamdiu ſpirituum animalium, quibus Actio animæ immediata, & mediata.

ad movendum corpus anima utitur, curſus omnino non interrumpitur. Jam vero in hac actione Cl. Auctor conſtituit ipſam *unionem phyſicam* ac *formalem* animæ cum corpore, quatenus ſcilicet anima, quamprimum in corpus ſibi rite proportionatum, apteque præparatum infunditur, illud *neceſſario* prædicta actione complectitur, continet, fovet, *ſuum*que efficit. Cæterum quamvis hæc actio vitalis, ſpectans præcipue *commercium*, & *unionem*, ſit *neceſſaria*, aliæ tamen actiones ſunt homini *liberrimæ*, ſeu *internæ*, ſeu *externæ*, quas ſcilicet anima libere exerit in ſpiritus animales, ad hoc, ut motus *voluntarii* in corpore ad nutum voluntatis peragantur.

Paſſiones præveni- entes, & reflexæ.

V. Supponit, *Paſſiones animi* poſſe generatim dividi in *prævenientes* & *reflexas*. *Prævenientes* juxta ipſum ſunt, quæ prius notantur in corpore, quam ab anima *diſcernantur*, ſeu *cognoſcantur*. E. g. *Melancholia*, membrorum *torpedo* &c. unde hujusmodi actiones præcedunt quidem *reflexam* animæ cognitionem, non vero actionem illam animæ *neceſſariam*, utpote quæ fovet: & conſervat corpus, & a qua omnes

ſen-

ſenſationes oriuntur. Reflexas vocat, quæ non niſi poſt aliquam appetitionem & cognitionem in anima oriuntur, ipſumque in corpus penetrant, a quo & fomentum, & incitamentum animæ eſt ſubminiſtratum: tales paſſiones ſunt *ira*, *amor*, *æmulatio* &c. quibus corpus humanum varie immutatur. Porro paſſiones etiam *prævenientes* vult eſſe *neceſſarias*, fixas, ac permanentes, ſaltem quamdiu activa cauſa durat; *reflexas* autem *liberas*, utpote ad nutum animæ excitabiles.

Actio mutua inter corpus & animam non datur; bene vero realis dependentia.

VI. Supponit, quod, quamvis anima ex virtute ſibi propria atque intrinſeca poſſit agere in ſuum corpus, corpus tamen haud viciſſim agere, ſeu *phyſice influere* queat in animam ſpiritualem: proinde actio *mutua* inter mentem & corpus in hoc ſyſtemate non datur; datur tamen vera ac *realis dependentia* animæ a corpore, & corporis ab anima, ob ſpecialem illam ſubordinationem, ſeu proportionem quoad operationes, ex qua veraciter & actu *mutuum reale commercium* inter utramque ſubſtantiam exſurgit, fundatum nempe in *actione conſervativa corporis naturali*, ac *animæ intrinſeca*, qua

partium ſitum ſibi accommodum *anima* retinet, reparat, immutat &c., ſicque *actione reali* diverſimode afficit corpus; *corpus* vero actionem conſervativam, animæ propriam, unde unde juvat, turbat, impedit &c. abſque eo, ut ipſam ſpiritualem hominis ſubſtantiam actione quadam *phyſica* attingat. Jam

Explicantur in hoc Syſtemate ſenſationes naturales.

CDLV. Ut hoc ſuum ſyſtema naturæ Phœnomenis, ex mutuo animæ cum corpore commercio dependentibus, clare & liquido conſentire oſtendat Cl. Auctor, varias tam *corporis*, quam *animæ* affectiones ſequenti ordine declarat.

I. Explicat SENSATIONES, noſtram cognitionem PRÆVENIENTES, & vel DELECTATIONEM, vel DOLOREM, in corpore parientes. Corpus humanum, inquit, teſte experientia ambiunt innumera alia corpora, in illud continuo agentia: horum aliqua, pro ſua aut effluviorum *ſubtilitate*, aut *figura*, ad penetrandum apta, vel *impetu* denique violenter accepto, non raro ſeſe inſinuant in internos corporis poros atque receſſus, ſuisque impreſſionibus, utpote variis, diverſimode

cor-

corpus humanum afficiunt; nam aliquæ *conducunt* ad ſervandum *ſitum partium maxime connaturalem*, facilitantque actionem animæ, adeoque ipſa *voluptatem*, ſeu *delectationem* exinde percipit: aſt impreſſiones aliæ *turbant* ſitum, & reſiſtunt actioni animæ, *difficilem*que reddunt conſervationem humorum, ſpirituumve, debito ordine non amplius fluentium: id vero quoniam animæ *moleſtum* accidit, iſta propterea *dolorem* vel tædium ſentit, & conſequenter DELECTATIO nil aliud eſt, quam quædam hujus actionis conſervativæ *facilitas*, percepta ab anima; & DOLOR eſt ejusdem actionis *difficultas*. Dolor porro & delectatio *creſcit*, aut *decreſcit*, prout creſcit aut decreſcit *facilitas* aut *difficultas* actionis, delectatione tamen *præveniente* multo ſemper vivacius afficitur anima, quam *reflexâ*, utpote liberâ & ad nutum impedibili: nunquam ergo *corpus* phyſice *agit* in animam, quamvis anima *dependeat* a corpore in ſua actione. voluptas, Dolor,

II. Explicat PASSIONES ANIMI. Sicut nempe diverſæ *corporis diſpoſitiones* diverſam reddunt actionem animæ in corpus, eam vel *juvando*, vel *impedi-* Paſſiones animi præventes & reflexæ.

diendo; ita diverſæ *diſpoſitiones* ac immutationes animæ, quas *in ſe ipſa* patitur, diverſam quoque reddunt ejusdem animæ actionem. Hinc paſſiones PRÆVENIENTES juxta ipſum oriuntur *ex alterata corporis diſpoſitione*. Quamprimum ſcilicet aliquis humorum, in corpore humano contentorum, vel excedit in copia, vel deficit, mox intemperies iſta actionem animæ *difficiliorem* reddit, & ſenſus ille intimus, quem anima habet de hac *difficultate*, eam illi diſpoſitionem inducit, quam *languorem*, aut *melancholiam* vocamus: (videantur etiam dicta Log. *fol.* 344. & *ſeq.*) Econtra ſi anima agitetur aliqua paſſione REFLEXA, quæ v. g. ex cognitione boni amiſſi, aut illatæ injuriæ ſit orta, tunc anima producit actum *indignationis*, aut *iræ*, a quo actu cum ipſa vehementer afficiatur, proportionatus partium ſitus non tantum non conſervatur, ſed ab anima ipſa *tumultuante* impeditur, turbaturque actio illa conſervativa magis minusve pro varia corporis *diſpoſitione*, atque ad recipiendos actionis male affectæ motus *capacitate*. Sic *ira* temperamentum *cholericum* penetrat fulguris inſtar: *Melancholico* inſidet diutius, utut tardius

con-

concipiatur: ferme ſicut *ignis* corripiens materiam *oleoſam* non eſt ita rapidus, attamen multo tenacior. Indeque rite deduci cenſet Cl. P. Tournemine, quod præcipua PASSIONUM SEDES ſit *cor;* nam paſſiones *prævenientes*, e. g. *languor*, ſeu *melancholia*, ſunt *effectus* alterationis: & paſſiones *reflexæ* ſunt *cauſa* alterationis in humoribus, præſertim in ſanguine: hæc autem alteratio in *corde* maxime ſentitur, ſuffragante omnium experientiâ: ergo merito *paſſiones* dicuntur reſidere in *corde;* *cognitiones* autem in *cerebro.*

III. Explicat ORTUM & ŒCONOMIAM IDEARUM. Putat nempe, omnino concedendum eſſe, quod anima intellectiva, proprie loquendo, & *ſe ipſam*, & alia omnia, quæ cognoſcit, *in ſe ipſa* cognoſcat. Et quidem *ſe ipſam*, inquit, anima *intuitive* videt, cum ſit objectum immediate *præſens*, & *proportionatum* potentiæ cognoſcitivæ; ad alia tamen objecta, ſive materialia, ſive immaterialia, ſe non extendit animæ actio, niſi *mediante ſuo corpore*: (imo hujus quoque ſtructuram *intuitive* anima unita minime cognoſcit) jam vero facile intelligitur, quod anima ſentiat Ortus & œconomia idearum.

ſuam *actionem* in corpus, illiusque diverſas *immutationes* percipiat, ſaltem dum *attenta*, & ſui conſcia eſt. Denique (cum ob neceſſariam *connexionem effectus* cognoſci nequeat, quin etiam illius *cauſa* ſuo modo cognoſcatur) anima, ſuam *ſubſtantiam*, ſui *cauſam*, ſuasque *proprietates*, & accidentales *mutationes*, quæ in ipſa contingunt, cognoſcendo, diverſas quoque omnium iſtorum effectuum cauſas cognoſcit in ipſis *effectibus*, id eſt, in *ſe ipſa, hoc vel illo modo affecta*. Igitur ex mente Cl. Auctoris anima rationalis *primo* cognoſcit SE IPSAM, ſuam exiſtentiam, & proprietates eſſentiales, 2*do* DEUM, tanquam *cauſam* ſui adæquatam. (Intellige tamen ſemper, per ideas *ſenſim acquiſitas*, ex quarum defectu INFANTES animas certe ſuas aut DEUM *intuitive* non cognoſcunt. Vide dicta Log. *fol.* 644.) proin *anima* & *Deus* ſunt primum objectum cognitionis humanæ, & *regula* reliquarum cognitionum. 3*tio* Cum anima perpetuam in corpus ſuum *actionem* habeat, variasque in eodem corpore impreſſiones excitent alia corpora, intra & circum mota, varias quoque in anima reſultare *actiones* neceſſe eſt, quas dum

per-

percipit, cauſas etiam illarum actionum *occaſionales* ſuo modo cognoſcit, nempe CORPORA illa agentia, ceu cauſam in ſuo effectu; hinc varias format *ideas amari*, *dulcis*, *duri*, *mollis*, *lucidi*, *ſonori* &c. 4to. Ex his ſequuntur in voluntate actus *appetentiæ*, vel *averſionis*, atque ex iſtis ideæ rurſum aliæ, & 5to. ex omnibus per *reflexionem* & *combinationem* adhuc aliæ rerum tum *exiſtentium*, tum *poſſibilium* &c. atque ita peragitur tota idearum œconomia.

IV. Explicat DIVERSAS ANIMÆ FACULTATES. 1. Vis ea competit animæ, ut organa illa delicatiſſima cerebri (ex ſuppoſito, quod ſint rite diſpoſita) valeat movere, quandocunque velit, agitationem hanc organorum, utut minimam, conſequitur productio, aut excitatio idearum, quæ dicitur INTELLECTIO FORMALIS, de qua in *Sect. ſeq.* Intellectio. 2. Si organa illa cerebri delicatiſſima vel *occaſionaliter*, vel per *virtutem* animæ liberam *eodem modo* denuo moveantur, quo prius mota ſunt, dum producebantur cognitiones, & ideæ rerum primæ, tunc etiam redibunt ejusmodi ideæ ac cognitiones, quibus res

olim cognitæ de novo repræſentantur.
Memoria ſenſitiva. Et in hoc conſiſtit MEMORIA, quæ tanto eſt *felicior*, quo meliora ſunt *organa* & reſpondens iis *virtus* animæ perfectior eſt.
Imaginatio. 3. BONA IMAGINATIO conſiſtit in ea cerebri diſpoſitione, quæ *prompte* excipit impreſſiones quaslibet, ſive a corpore, ſive ab anima derivatas: indeque etiam reſultat ſenſationum atque idearum *vivacitas*.
Judiciũ. 4. JUDICIUM dependet ab ea organorum diſpoſitione, qua *diu* eundem *ſitum* conſervare valent. Et hinc oritur illa *vis*, ſeu vigor *defæcati ingenii*, atque *judicii limati*: ubi accedit aptitudo retinendi plures ſimul impreſſiones ſine perturbatione, aut organorum vitio, dicitur *extenſio ingenii*:
Ingeniũ vaſtum, leve, ſtupidu &c. ſi præter *extenſionem* adſit quoque *intenſio*, ſeu *vivacitas*, vocatur *ingenium vaſtum & penetrans*: econtra ſi organa difficulter eundem ſervent ſitum, orietur *levitas* ingenii: ſi organa difficulter moveantur, *ſtupiditas*; ſi organorum quæpiam implicatio motum ſequatur, & perturbatio, *obſcuritas* &c. quæ quidem omnia non in ſolas *corporis* diſpoſitiones, ſed etiam in *virtutem animæ*, iis reſpondentem, refundit Cl. Auctor.

V.

V. Denique explicat MORBOS & MORTEM. Nempe vis animæ finita ac limitata nequit continuo ſuperare vires eorum corporum, quæ nos ambiunt, & ſemper in nos agunt: proin illa virtus animæ in continendo naturali ſpirituum animalium ſitu ſenſim *languere*, ac etiam omnino *deficere* poteſt. Ad hæc ætas & uſus diuturnior atterit organa. Caſus violentus, malignitas aëris, cibi noxii, longæ & vehementes paſſiones &c. exhauriunt ſpiritus animales, alterant partes, eorum motibus neceſſarias, easque ad corruptionem diſponunt. Inde anima *impeditur* in ſua actione, illamque *difficultatem* parit, quam in *morbis* experitur corpus. *Mors* vero ipſa tunc ſequitur, ubi ſpirituum animalium fluxus omnino intercipitur, aut deſtructione organorum & meatuum, aut corruptione partium, in, & ex quibus elaborari ſolent ſpiritus; aut inſolitæ paſſionis impetu &c. unde *actio* animæ penitus ſiſtitur, ſicque juxta Cl. Auctorem ceſſat *unio* inter animam & corpus, finitumque *commercium* eſt, qui ſtatus vocatur *mors*. Morbi, & mors.

CDLVI. *Corollarium.* Quoniam Syſtema influxus Phyſici aliis defacto in- Hoc Syſtema

eſt ad interim quoad ſubſtantiam aſſumendum.

ventis Syſtematibus eſt longe præferendum, (CDLIII.) eoquod ſaltem anima vere ac phyſice agere in corpus queat; (CDLII.) etſi perceptibile minime ſit quomodo corpus agat in animam, & quidem neque *a priori*, neque *a poſteriori*, neque etiam *ex analogia* demonſtrari poſſit, prout tamen de influxu animæ in corpus, dici valet: (CDLII.) quoniam inſuper Syſtema Cl. P. Tourneminii omnes bonæ *Hypotheſis* dotes (Log. *fol.* 439.) in ſe complecti videtur, ſcilicet *facilitatem*, *ſimplicitatem* & *uniformitatem*, ut conſideranti liquet, nihil obſtat, quominus ad interim, donec fors adhuc clariora excogitentur, aſſumatur pro declarando animæ cum corpore *commercio*: num vero hæc ipſa ſententia ad explicandam quoque *unionem* ejusdem utriusque ſubſtantiæ ſimiliter ſatisfaciat? *articulus ſequens* docebit. Hic ea ſolummodo, quæ contra ingenioſum hoc Syſtema tam ipſemet Cl. Auctor, quam alii, ut in citatis Actis PP. Trivoltienſium habetur, invenêre, adhuc ſub oculos ponenda ſunt, maxime prout ea refert Cl. P. *Daniel Stadler* in ſuo libello, *de commercio* &c. Friburgi Briſgoiæ anno 1741. edito.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

CDLVII. OB. 1. Corpus non agit in ſpiritum: (CDLIV. VI.) ergo neque anima in corpus. p. C. ſicut nulla eſt *proportio* corporis ad ſpiritum, ita nulla eſt proportio ſpiritûs ad corpus: ergo. R. 1. *Retorq.* natura *inferior*, & imperfectior non agit in naturam *ſuperiorem*: ergo nec natura ſuperior in inferiorem, adeoque nec *Deus* nec *angeli* corpora movebunt &c. inde R. 2. N. C. ad p. D. A. Nulla eſt proportio ſpiritûs ad corpus in *entitate*. C. A. in vi agendi, & quidem etiam in corpora, quam ſibi identificatam habet quilibet *ſpiritus* N. A. & C. Sicut experientia docet, quod anima active poſſit *intelligere*, & *velle*, ita eadem docet, quod poſſit etiam *in corpus agere*, illudque movere. (CDLII.) Hinc Cl. Tourneminius *animam* definit, eſſe *ſubſtantiam, vi non ſolum intelligendi ac volendi, ſed etiam in corpus ſuum agendi præditam.* Nempe anima habet *ſuperioritatem* reſpectu corporis, ac *diſſimilitudo* naturæ non excludit abſolute *activitatem* ſuperioris in inferiorem, alias nec Deus phyſice corpus movere poſſet, atque in illud agere. Dein *diſparitas*

Spiritus tanquam ſuperior agere valet in corpus.

ritas eſt, quia corpus nequit aliter agere, niſi per *impulſum* alteri impreſſum, quem anima in ſe nequit recipere, adeoque nec a corpore *moveri*: econtra corpus ab anima per ſpiritus animales, utpote ſumme activos, æque moveri valet, ac energumeni v. g. a malis angelis, illorum corpora poſſidentibus &c.

Inſt. Deus non agit in corpora, niſi per *voluntatem* ſuam: ergo etiam anima non aliter influit in corpus. R. 1. N. A. vel Diſt. ſi *voluntas DEI* ſumatur pro ipſa *omnipotentia* Divina, ſeu pro potentia *executiva* C. A. Si ſumatur pro ſolo *decreto*, ſeu pro ſola *cauſali applicatione* omnipotentiæ Divinæ. N. A. & C. Sed quoniam hoc ad Theologos, hinc R. 2. Tr. A. N. C. *Diſparitas* eſt, quia volitiones, quæ ſunt in *creaturis*, non ſunt tam *efficaces* ſicut volitiones, quæ ſunt in Deo, in quo *velle* & *poſſe* idem eſt. Dein nonne ſæpius actu aliquid *cognoſcimus*, *amamus* &c. etſi diſtincte has actiones minime percipiamus? Quidni & anima phyſice influat in corpus, licet intellectus noſter ipſam actionem noſtram haud ſatis percipiat? Ergo a pari.

OB.

Ob. 2. Si anima *ſe ipſam* intuitive videt, ut vult hoc Syſtema, (CDLVIII.) nequit dari ratio, cur propriam ſuam *eſſentiam* tam parum cognoſcat, ut anima quorumdam hominum crediderit, ſe eſſe *corpoream*: ergo falſum eſt iſtud Syſtema. R. N. A. Nam ex *una parte* vis ſeu potentia intelligendi in anima eſt *finita*, ſicut & ipſa eſt objectum ſolummodo finitum, adeoque non poteſt ſic occupari continuo, ſive *attenta* reddi a ſe ipſa, ut ad alia non diſtrahatur: ex *altera* vero *parte* fiunt in corpore mutationes innumeræ, & impreſſiones continuæ in ſenſibus externis æque ac internis, quæ neceſſario animam ad percipiendum determinant, unde nec mirum, quod inter tantas diſtractiones frequenter evagetur, fere ſicut v. g. aliquis per importunam aliorum, moleſtias excitantium, turbam a ſeria veritatis contemplatione impeditur. Accedit, quod mens in hac vita omnes ideas a rebus *ſenſibilibus* haurire debeat, nec ullas ſibi *innatas* poſſideat. (Log. *fol.* 632. &c.) demum Ethnici quoque ſapientiores *ſpiritualitatem* animarum clare agnoverunt, & demonſtrarunt. (CCCLXXXVIII.)

Cur anima intuitive non ſemper ſe cognoſcat?

Ob.

Ob. 3. Non explicatur in hoc Syſtemate, quod omnium maxime deſideratur, nempe *quomodo* anima determinetur ad perceptionem, quin admitti debeat, quod ſpiritus animales phyſice agant ac influant in animam: ergo commercium corporis cum anima manet imperceptibile. p. A. Paſſiones *prævenientes* ſunt prius in corpore, antequam ſint in anima, utpote ex agitatione humorum ac ſpirituum ortum trahentes: (CDLV. II.) ergo nequeunt communicari animæ niſi per realem ac Phyſicam ſui impreſſionem, atque agitationem. R. N. A. Mentem namque determinant, quatenus actionem illius conſervativam impediunt, aut facilitant, ut antea dictum eſt. (n. cit.)

Spiritus animales non agũt phyſice in animam.

Inſt. 1. Hoc ipſum eſt imperceptibile, quomodo nempe ſpiritus animales actionem animæ impediant, aut facilitent, niſi phyſice influant in ipſam animam: ergo. R. N. A. Nempe ſicut v. g. bene vel male diſpoſitis organis muſicis facilitatur vel impeditur actio *organœdi*, quin organa muſica phyſice influant in organœdum; aut ſicut bene vel male præparato calamo facilior, aut difficilior, redditur actio *ſcriptoris*, quin calamus phyſice agat in ipſum, ſic etiam *juvari* aut *impediri* valet anima

ma per ſpiritus animales, etſi phyſice in animam non influant, indeque *actio* illius *facilior* ab ijs reddi, quam ſi dein anima per *ſenſum intimum*, aut *conſcientiam*, percipit, etiam *delectationem, dolorem*, ſimileſque affectiones, pro varietate determinationum, ſive liberarum, ſive neceſſariarum, percipit.

Inſt. 2. Si ſpiritus animales in animam ipſam nil agunt, tunc anima nullo modo dependet a corpore: atqui conſequens non admittitur: ergo nec antecedens admitti debet. R. N. A. Adhuc enim ſufficiens animæ a corpore dependentia habetur, (CDLIV. VI.) licet hoc in animam ipſam non agat, quia ſcilicet actio, ſive activitas animæ dependet ab actuali ipſius corporis *diſpoſitione*. (CDLIV. III.)

Inſt. 3. In hac ſententia anima non ſentiret, ac perciperet diverſa *objecta*, ſed tantum diverſitatem ſuæ *actionis*: atqui hoc eſt contra ſenſum communem: ergo. R. D. A. Ita tamen, ut hoc ipſo etiam cauſas occaſionales hujus actionis ſuo modo cognoſcat, velut cauſam in effectu. C. M. (CDLV. III.) Ita ut hoc non fiat. N. M. &c.

Etiam

Etiam ii, qui docent, animam determinari per *undulationem ſpirituum*, aut per *ſpecies*, (de quibus in *Sect. ſeq.*) fateri debent, quod anima objectum percipiat tantum in ſuo *effectu*.

Inſt. 4. Sic non darentur paſſiones *prævenientes*, ſed omnes eſſent *ſubſequentes* actionem animæ; *reſiſtentia* enim aut *facilitas* actualis in ordine ad accipiendam actionem aliam *ſubſequitur* illam actionem: atqui hoc eſt contra ſuperius dicta: (CDLIV. V.) ergo &c. R. D. M. non darentur paſſiones prævenientes actionem illam *univerſalem* & *continuam* animæ, qua tendit ad conſervandum debitum ſitum in partibus corporis C. M. non darentur paſſiones prævenientes cognitionem ac advertentiam animæ N. M. (n. cit.) &c.

Omnia objecta externa aliquo modo animæ actionem immutant.

Ob. 4. Plurima corpora agunt in animam, quin actionem conſervativam corporis impediant, turbent, aut faciliteut; nam 1. perinde eſt animæ, ſive hic ſive ille *color*, aut *ſonus* ſeſe inſinuet oculi *retinæ*, vel auris *cochleæ*. 2. Multa percipiuntur ab homine ſine *doloris* aut *voluptatis* ſenſu: ergo tunc ſaltem non habebit locum data explicatio

catio Cl. P. Tourneminii. R. D. A. ita tamen, ut tunc ſaltem aliquo modo *immutetur* illa animæ actio, C. A. ut non immutetur. N. A. & C. quod *colores* & *ſoni* diverſimode afficiant organa ſenſoria, *phyſica* docebit: inde autem *diverſæ* quoque ſpirituum atque fibrarum *commotiones* oriuntur, quibus animæ actio, *aliquo* ſaltem *modo*, immutari ſolet, etſi *dolor*, & *delectatio*, non fiat adeo *notabilis* homini, vel ad alia forſan diſtracto, aut ejusmodi immutationibus jam nimium aſſueto; *ab aſſuetis* enim, ut fert adagium, *non fit paſſio*, intellige *notabilis*. Cæterum etiam Peripatetici admittere debent, quod v. g. color *cæruleus* aliter afficiat organum viſûs, quam *flavus*, aut *purpureus*; nam alias non poſſet dari ratio, cur anima in organo externo aliam & aliam ſenſationem producat, & dependenter ab hac alias & alias ſpecies ad ſenſum internum propaget, dum color *cæruleus* repræſentatur, quam dum *flavus* aut purpureus? adeoque argumentum in ipſosmet adverſarios *retorqueri* valet.

Ob. 5. In hoc ſyſtemate deberet anima mutilato ſemel corpore, v. g. pede vel digito abſciſſis, continuo *dolo-* Cur dolor nō ſentiatur muti-

lato, atque iterum ſanato corpore? *rem* ſentire: atqui hoc eſt falſum, & contra omnem experientiam: ergo & ipſum ſyſtema falſum eſt. p. M. anima in tali corpore nunquam deinceps eſt habitura debitum ſuarum partium ſitum: ergo. R. N. M. ad *prob.* N. A. poſt ſanatum quippe vulnus habet debitum ſitum partium adhuc præſentium, ideoque dolorem non ſentit: aliter dicendum foret, ſi Chirurgus minus dextere rem ſuam egiſſet, tunc enim pergeret revera mens ſemper percipere aliquod *impedimentum* in actione ſua, & conſequenter etiam *dolorem*, ut experientia quotidiana demonſtrat.

Cur in ſomno, vel apoplexia dolor non cótingat? *Inſt.* Nequit dari ratio in iſta Hypotheſi, cur anima non ſentiat *dolorem*, aut variationem ſuæ actionis in *ſomno*, vel *apoplexia*, prout tamen ſentit v. g. in aduſtione manûs: ergo dolor in *difficultate* actionis animæ, & voluptas in *facilitate* &c. non conſiſtunt. R. N. A. Ratio namque eſt hæc, quia *in ſomno* propter interceptum fluxum ſpirituum animalium, impreſſionum externarum communicatione impeditâ, non immutatur actio animæ in organo ſenſûs *interni*, quod tamen requiritur ad perceptionem actionis illius. In *Apoplexia* item

item actio animæ non ita immutatur, ut *ſpecialem* ipſa apprehendat *difficultatem*; intercipitur enim fluxus ſpirituum animalium quandoque in *aliquibus* tantum organis, v. g. in dextro vel ſiniſtro brachio &c. ſalvo *ſenſu interno*, ſalvaque actione animæ in cerebrum: econtra per *aduſtionem* divelluntur, ac lacerantur partes corporis: aliam igitur, atque aliam difficultatem in hisce pati debet animæ actio, quam ſit interceptio ſpirituum, aut muſculorum, humore apoplectico obſeſſorum, languor. Omnis nempe DOLOR, ſi *in genere* ſpectetur, conſiſtit in aliqua *difficultate*, ſupra explicata, (CDLV.) attamen MAGNITUDO *doloris*: ſive dolor *in ſpecie* non tantum ex *difficultate*, ſed etiam ex *diverſa ratione difficultatis* dependet.

Ideæ innatæ in hoc Syſtemate admitti non debent.

OB. *6.* In hoc ſyſtemate ideæ innatæ manifeſte docentur: atqui hoc eſt contra dicta in Log. *fol.* 634. ergo. p. M. Si mens *ſe ipſam* intuitive & quidem omnium *primo* cognoſcit, *ſui* certe *ideam aliunde* haurire non poteſt: ergo iſta ſaltem *animæ* idea erit innata. R. N. M. una cum *prob.* puto equidem, quod Cl. P. Tourneminius nil aliud intelligi voluerit, quam quod mens, ſi

quando ex *confuſæ* & *obſcuræ* rerum perceptionis ſtatu (qui tamdiu durat, quamdiu perfecto rationis uſu homines carent) ſemel emerſerit, omnium primo ex ideis omnibus, usque ad illud tempus habitis, ideam *claram* atque *diſtinctam ſui ipſius*, ac Dei, homini *qua rationali* competentem, incipiat efformare, non vero quaſi absque aliarum præcedentium idearum, ex rebus ſenſibilibus decerptarum, concurſu, eas tanquam ſibi *innatas* poſſideat: aut ſecus etiam dicendum foret, quod anima vel in *infantis* corpore, vel in *ſomno*, & *ſe ipſam* intuitive videret, & in ſe ipſa *Deum* cognoſceret, quod plane *rationi* ac *intimo ſenſui* adverſatur: adeoque licet in illo ſtatu anima ſibi ſit *præſentiſſima*, & cogitationibus variis atque vivacibus *non diſtracta*, Deus tamen tanquam *auctor naturæ* ad hujusmodi cognitionem non concurrit, cum *ut talis* ordinarie ſe attemperet diſpoſitioni & ſtructuræ cauſarum naturalium; hæc autem ſtructura pro ſtatu *infantiæ*, propter organa ratiocinationi exercendæ nondum apta, & pro ſtatu *ſomni*, ob interceptos ſpiritus animales, actionem animæ tunc in cerebro non immutantes, ad ideas *cla-*

ras

ras atque *diſtinctas* efformandas haud ſufficienter diſpoſita eſt; & conſequenter nec ipſe Deus concurrit.

Ob. 7. Si anima poteſt exercere actionem ſuam in corpus ſex menſium, non poterit ſufficienter agere in corpus 30 annorum; atqui hoc eſt contra experientiam: ergo &c. p. M. corpus 30 annorum plus difficultatis eidem opponit, quam corpus ſolummodo 6 Menſium: ergo, cum anima ſit limitatæ virtutis, non poterit ſufficienter in illud agere. R. N. M. Unacum ejus *prob.* nam potius dici debet, quod corpus 6 Menſium plus *difficultatis* animæ faceſſat, quam corpus 30 annorum, quia ſcilicet in *priore* ſtatu illa machina nondum eſt bene elaborata, atque ad operationes rationales, animæ ſuppeditandas, accomoda, adeoque ejuſmodi imperfectio maſſæ inæqualitatem compenſat.

In corpore infantis anima ſentit plus difficultatis, quam in corpore viri.

Ob. 8. Juxta hoc ſyſtema anima, vi actionis *conſervativæ* ſemper applicaret oculum ad objectum, ut inde impreſſionem reciperet: atqui hoc iterum eſt contra experientiam, quæ docet, quod objectum ſæpe præveniat

Mens nõ neceſſario quidquam percipit.

operationem animæ, atque in oculos incurrat hominis, nil tale prævidentis, aut cogitantis: ergo. R. N. M. & *ſuppos*, quod anima per actionem illam ſuam *conſervativam* applicet organa ſenſuum ad objecta ſua; hæc enim unice verſatur circa ſpiritus animales, in competente ſtatu continendos: (CDLIV. III.) igitur objecta externa faciunt ſuas impreſſiones ſeu motiones in organis ſenſoriis; hæ autem impreſſiones, ſeu motiones diverſæ, diverſimode afficiunt ſpiritus animales, animæque actionem illam *immutant*, & vel juvant, vel turbant aut impediunt. Interim concedi etiam debet, quod mens humana libere poſſit applicare organum viſûs, recte diſpoſitum, cuicunque objecto, quod videre cupit in determinata diſtantia, movendo ſcilicet eosdem ſpiritus per imperium ſuum, quod in ipſos habet, ut fluant per nervos & muſculos, viſioni eliciendæ accomodos, nam anima non tantum actionem *neceſſariam* habet in ſpiritus animales, ſed etiam liberam: (CDLIV. IV.)

Hoc Syſtema nil — Ob. 9. Saltem hæc actio *conſervativa* non haberet locum in SS. Euchari-

riſtiæ Myſterio, quia ibi anima Chriſti non agit in corpus; nam juxta plerosque Theologos anima ibi non audit, nec videt &c. ſed omnium ſenſuum uſu caret, propter compenetrationem omnium organorum; ergo juxta hoc ſyſtema Chriſtus Euchariſticus non viveret, quod eſt contra fidem. R. N. A. Anima quippe Chriſti in SS. Euchariſtia revera actionem in ſuum corpus ponit, ac ita continet ſpiritus, quibus animatur vita, ut diffluere non poſſint. Dein Em. Card. *Cienfuegos* ſupra citatus contrarium docet: (CCCXLVII.) hoc ergo ad altius forum, ſcilicet ad *Theologicum* ſpectat.

Art. V. derogat fidei.

Ob. 10. Dum anima dicto modo (CDLV. III.) percipit ſuam actionem, vel ſiſtit in ſola hac perceptione, vel non ſiſtit, ſed aliam adhuc cognitionem ſeu perceptionem elicit? R. cum cit. Cl. P. Stadler, in cognitionibus *brutorum*, atque etiam in cognitionibus *materialibus* hominum poſſe forte admitti, quod mens ſiſtat in ſola percetione hujus actionis: quando autem datur cognitio *ſpiritualis* ultra *materialem*: (per actum ſcilicet *reflexum*

Quomodo mens actionis ſuæ immutationem percipiat?

ſupra directum, aut hujusmodi &c.) dici poteſt, quod anima ab hac perceptione actionis ſuæ determinetur ad cognitionem ſpiritualem, *materiali* ſuperaddendam.

Inſt. 1. Perceptio illa actionis eſt ne aliquid *ſpirituale*, vel *materiale*? ſi 1*mum*, tunc *brutis* denegatur omnis perceptio, imo & *homini*, quoad actus pure ſenſitivos, per quos iſte non differt a bruto. Si 2*dum*, tunc a perceptione *materiali* anima *ſpiritualis* debebit determinari, quod ipſum eſt imperceptibile. R. Quod illa perceptio nil aliud ſit, quam *modus* quidam, animæ ſpirituali realiter identificatus, & ſolum modaliter ab ea diſtinctus, (CCCLXXXIII.) per quam ipſa *varie* ſe *modificat*, quin propterea aliquid, realiter a ſe diſtinctum, producat: poteſt autem ſic ſe modificare ex *vi activa*, atque a Deo ſibi indita virtute, cum ſit eſſentialiter *principium cogitationum activum;* ſeu *ſubſtantia intelligens*, (CCCLXXV.) ac inſuper corpus phyſice moveat, (CDLII.) licet ipſa a corpore moveri phyſice non valeat.

Inſt. 2. Imperceptibile eſt, quomodo anima per ſolam ſuam *actionem*, certa

ta ratione *modificatam*, in organo *externo* v. g. videat Sylvam, vel audiat campanam ſonantem &c., & dein per propagationem *modificationis* illius in ſenſu *interno* percipiat, ſe videre Sylvam oculis, vel audire ſonum; quomodo enim perceptio certa ratione modificatæ actionis poteſt eſſe *viſio*, vel *auditio?* ergo hæc explicatio nodum non ſolvit. R. N. A. Et quæro cum cit. Cl. P. Stadler, quid ſit *viſio* objecti? nunquid eſt *perceptio impreſſionis*, ſeu *motionis* in organo viſûs ab objecto excitatæ? ſic enim v. g. dum cœcus baculo tangit *aquam*, aut *ſaxum*, nunquid *per diverſimodæ impreſſionis*, ab utralibet ſubſtantia factæ, *perceptionem* actu ſentit, aquam *mollem*, & ſaxum econtra *durum* exiſtere? Ergo per *analogiam* (Log. *fol.* 515.) idem dici poterit *de perceptione modificationis*, quam patitur actio animæ, & quæ modificatio ſequitur ad impreſſionem objecti in organo externo: jam vero ſi res ſic procedat in ſenſu *externo*, nil vetat idem dicere de ſenſu *interno*, quod nempe ejus perceptio ſit perceptio actionis, quæ modificatur ab undulatione ſpirituum, reſpondente impreſſioni factæ in ſenſu externo.

Corpora in iſta Hypotheſi differunt in ſtructura, non tamen ſpecifice.

Ob. 11. Syſtema Tourneminianum prætendit, quod omnium hominum corpora differant in ſtructura: (CDLIV. I.) atqui hoc eſt incredibile: ergo &c. R. N. m. Nam ſi vel ſolus *vultus* hominum ſpectetur, non facile duos homines reperire erit ita ſimiles, ut diſcerni non poſſint. Imo commendat hoc ſapientiam ac potentiam auctoris naturæ.

Nec animæ ſpecie diverſæ ſunt.

Inſt. 1. Etiam animæ humanæ in hoc ſyſtemate differunt intrinſece; (CDLIV. II.) atqui hoc nequit admitti, quia alias homo ab homine deberet differre *ſpecie*: ergo, R. N. M. Non enim eſt neceſſe, admittere inter animas differentiam *ſpecificam*, etiam in iſta Hypotheſi, ſed tantum *differentiam perfectionis*, intra limites *ejusdem ſpeciei*.

Inſt. 2. Atqui differrent juxta iſtud ſyſtema in prædicato *eſſentiali*: ergo ſpecie. R. D. Aſſ. ut prius, intra limites tamen ejusdem ſpeciei C. ſecus N. Aſſ. vel, ſi plus intenderit Cl. P. Tourneminius, ipſi quoad hoc minime aſſentior, ſed potius *retorqueo: corpora*, utut habeant diverſam *ſtructuram*, *ſpecie* tamen non differunt, ſed *numero*

tan-

tantum, & ut diverſa *individua*: ergo nec animæ differunt *ſpecie* ob *virtutem* diverſam, quam in diverſæ ſtructuræ corporibus exſerunt; nam diverſitas operationum, inclinationum &c. in diverſis hominibus, ex qua præcipuum argumentum *ſpecificæ* animarum inæqualitatis peti ſolet, poteſt refundi in organorum, temperamenti, ac *diſpoſitionum* mutationem, & varietatem, prout experientia nos edocet de ſimili diverſitate in eodem homine; aliter enim idem homo operatur ut *infans*, aliter ut *vir*, aut *ſenex*; jam hæ inclinationes aut actiones ipſi placent, jam illæ, nec tamen plures in eo animæ *ſpecifice* diverſæ ſimul aut ſucceſſive admittuntur. (CDXXV.) Accedit, quod contra communem hominum perſuaſionem ſit, quaſdam animas eſſe *ex natura ſua* ſtupidas, libidinoſas, aut econtra *dociles* vel *caſtas* &c. ſed potius adſcribuntur ejusmodi differentiæ educationi, defectui naturalium diſpoſitionum, pro ratione *ætatis*, *nutrimenti* &c. mutabilium. Videatur etiam Cl. P. Hauser *Pſychol. p.* 1. *q.* 2. *art.* 3. ubi *animarum in perfectione eſſentiali inæqualitatem* fuſius refutat.

AR-

ARTICULUS VI.

In quo conſiſtat unio inter corpus & animam?

Unio differt a comercio. CDLVIII. Quam plauſibiliter hodie ſyſtema Cl. P. Tourneminii ad explicandum *actuale commercium* mentis cum corpore paſſim recipitur, tam fortiter eidem contradicitur, dum docet, quod *relatio* virtutis proportionatæ ad hoc corpus faciat *unionem poſſibilem* cum corpore; *applicatio* vero hujus virtutis faciat *unionem actualem* ſimul, & *commercium* (CDLIV. IV.) *unio* namque, ut omnes uno quaſi ore affirmant, *præſupponitur* jam ante applicationem illius actionis neceſſariæ, qua anima corpus continet, quia, conformiter trito illi adagio, *operari* ſeu *agere* (adeoque etiam *actionem* conſervativam *exercere*) primum *ſequitur ad eſſe*: ergo compoſitum humanum, quod formaliter in ſuo *eſſe completo* per ipſam *unionem* conſtituitur, (CCXXVI.) jam præſupponitur ad actionem humanam: hoc eſt, ut anima *operetur* operatione humana, debet pro priori *dari*, ſeu *exiſtere* homo, & conſequenter

etiam

etiam *unio*, ſine qua non haberetur *totus* homo. (n. cit.) Hinc Cl. P. Tourneminius melius dixiſſet, quod *unio* ſit *commercium radicale*, non vero *actuale*. Porro

CDLIX. *Unio* in genere dicitur nexus ſive vinculum, ex duobus aut pluribus faciens unum totum. Et quidem pro diverſitate *totius* varia quoque datur unio, nempe 1. *moralis* quæ conſiſtit in certo quodam plurium voluntatum conſenſu, quo fit aliquod totum morale, e. g. reſpublica, vel exercitus. 2. *Artificialis*, qua totum artificiale connectitur, e. g. domus. 3. *Naturalis*, ſive *phyſica*, quæ eſt conjunctio plurium, *ex ipſis naturæ legibus* ad ſe mutuo ordinatorum, e. g. corporis & animæ ad conſtituendum hominem. & de hac ſola in præſens quæſtio nobis eſt. At vero

Unio moralis, artificialis, & naturalis.

CDLX. Unio *naturalis* rurſum alia eſt *continuativa*, & alia *informativa*, & hæc utraque in *cauſalem ſeu radicalem*, ac in *formalem ſeu actualem* iterum ſubdividitur. *Continuativa* eſt, quæ partes totius integralis facit eſſe *continuas*, ſeu *non interruptas*. (CCXIX.) 2*da*,

Unio continuativa, & informativa.

ſeu

Unio ſubſtantialis, accidentalis, cauſalis, & formalis.

ſeu *informativa* eſt, quæ nectit partes, inter ſe ita compenetratas, ut una ſe habeat ut *ſubjectum*, altera ut *forma*, ſubjectum perficiens. Sed & ſi *forma* cum *ſubjecto* ſit aliqua ſubſtantia, *unio* quoque vocatur *ſubſtantialis*; ſecus vero accidentalis dicitur. Unio item *cauſalis* conſiſtit in omnibus illis requiſitis, ex quibus intima plurium conjunctio, & perfectionum communicatio oritur. *Formalis* denique dicitur ipſa determinatio duorum aut plurium extremorum ad faciendum unum. Illa porro *requiſita* ad *unionem formalem* informativam in homine, juxta præfatum ſyſtema Tourneminianum, ſunt 1. *corpus* habens ſtructuram diverſam a ſtructura aliorum corporum. 2. *Anima* accomodata huic ſtructuræ. 3. Tot *diſpoſitiones* in corpore, ut anima actionem conſervativam exercere poſſit. 4. Denique applicatio *omnipotentiæ* divinæ ad productionem hujus actionis conſervativæ, vel ſaltem exigentia ad hanc applicationem. Hæc omnia dicuntur etiam *actus primus proximus* (CCXLII.) unionis informativæ reſpectu animæ. His prænotatis ponitur

PRO-

PROPOSITIO.

Unio formalis informativa ſunt ipſa extrema, ſub actu primo proximo conſtituta.

CDLXI. Probatur eodem modo, uti ſupra de *relatione* dictum eſt, (CCXII.) nempe poſita *albedine* unius parietis, prout alterius muri, tanquam *termini*, albedinem reſpicit, ſeu, quod idem eſt, poſita duplici albedine ſub actu primo proximo ad *eſſe ſimile*, habetur tota *relatio* ſimilitudinis, & quidem *formalis*: (n. cit.) ergo etiam poſitis extremis ultimis (corpore ſcilicet, & anima) formaliter unita habentur duo extrema, corpus ſcilicet & anima, hoc eſt, *totus homo* (CCXXVI.) Conf. Eo ipſo, quod *hæc* anima producatur ad exigentiam hujus materiæ, *ſic* & non aliter diſpoſitæ, pro nunc compleri per formam ſibi *proportionatam* exigentis &c. talis anima non amplius manet *indifferens*, ut ſit in hoc vel alio corpore, tanquam *ſubjecto*, ſed potius *determinatur* ad *hoc*, & non ad aliud corpus informandum: ergo animæ ſublata eſt *indifferentia* ad hoc corpus

Unio formalis ſunt ipſa extrema ultima.

pus

pus animandum; viciſſim corpus per ejusmodi *actum primum proximum* eſt ſufficienter *determinatum*, & aptatum *tali* animæ: ergo formaliter ceſſat *indifferentia* ad conſtituendum unum totum, etiam abſque omni alia entitate *modali* ſuperaddita, vel (ſi forte hæc, tanquam *modus mortuus*, ab aliquo admittatur. CCXVIII. & CCXIV. *Ob.* 5.) ſaltem abſque *entitate*, a duobus extremis, ſub actu primo proximo conſtitutis, *ſtricte realiter* dictincta: ita ſcilicet, ut ipſum *commercium radicale*, conſtituat unionem, ut ajunt, *fundamentalem*; actus vero *comparativus intellectûs* ſuperveniens unionem *formalem* efficiat, fere, ut de *relatione* dictum eſt. (CCXII.)

Non vero decretum Dei,

CDLXII. *Corollarium* I. Ad habendam *unionem* animæ cum corpore non ſufficit ſolum *decretum Dei*, volentis, hanc animam huic corpori eſſe conjunctam; nam decretum Dei eſt aliquid mere *extrinſecum*: ergo non poteſt dare denominationem realem & *intrinſecam* τȣ̃ *uniti* reſpectu animæ & corporis, ſicut nec ſufficit, ex eadem ratione, unio quædam *artificialis*, aut *moralis*; aut ſecus poſſet quis etiam v. g. dici *doctus*

vel

vel *plus* per ſolum Dei *decretum*, aliamve formam ſibi non inhærentem.

CDLXIII. *Corollarium* II. Superflua quoque eſt illa quorumdam Scholaſticorum *duplex* ac *mutua unio*, qua totum animæ cum corpore *commercium* iſti explicare nitebantur; nam, præterquam quod hoc ſit nodum ſcindere, non ſolvere, ſemperque ipſis declarandum maneat, *in quonam* duplex hæc unio conſiſtat? fane *absque neceſſitate entia* ejusmodi *modalia* iidem multiplicaſſe videntur, eo ipſo, quia ſine *ulla* etiam *unica entitate* ſuperaddita unio formalis habetur: (CDLXI.) ergo etiam ſine *duplici*. Nec per duplicem unionem habetur commercium.

CDLXIV. *Scholion*. Quod hæc doctrina, de unione formali tradita, (*n.cit.*) non ſit nova, ſed jam pridem in Peripato nota, patet ex ipſo Peripateticorum coryphæo Ariſtotele, qui *Met. l.* 3. *t.* 15. clare refutat omnes aſſerentes, quod anima per aliquod *medium* uniri debeat, dum ſic arguit: „Si anima unitur corpori per aliquod *me*-„*dium* uniens, etiam cæteræ formæ „unientur ſubjecto per aliquod *me*-„*dium* uniens, e. g. *ſanitas* unietur ani- Ariſtotelis mens de unione.

„mali per aliquam copulam, & conjunctionem mediam, adeoque *eſſe ſanum* includet iſtam conjunctionem „mediam; *figura* triangularis unietur „æri per aliquam conjunctionem me„diam, - - *albedo* unietur ſuperficiei „per aliquam conjunctionem medi„am &c. *poſtea addit*: occaſio errandi „(id eſt, *ejusmodi medium adſtruendi*) „fuit, quia authores iſti quæſierunt „rationem, unientem ſimul potentiam „& actum, NB. non advertentes, quod „actus ultimus se ipso poſſit actuare „ſuam propriam potentiam.„ Hæc ille.

Solvuntur Objectiones.

Solvitur paritas de unione hypoſtatica.

CDLXV. Ob. 1. Unio Hypoſtatica inter Verbum divinum & naturam humanam conſiſtit in entitate modali ſuperaddita: ergo etiam unio inter corpus & animam humanam. R. 1. N. A. id enim cum Doctore Angelico *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 2. & ſchola fere tota *Thomiſtica* negant graviſſimi Theologi, utputa *Gregorius de Valentia*, *Waddingus*, *Amicus*, *Alvarez*, *Gabriel Vaſquez*, *Simonet*, & alii, teſte Cl. P. Hauser *Pſych.*

p. 3.

p. 3. *q.* 6. *art.* 3. §. 506. ſicut & noviſſime Cl. P. Billuart in *ſumma S. Thomæ, ſive curſu Theol. tom.* 14. *diſſert.* 4. *art.* 3. itemque in *Summa Summæ. Tom.* 5. *diſſ.* 3. *art.* 1. ubi mentem ſuam in hæc verba probat: „ per id verbum unitur hu„manitati, per quod ipſam terminat, „& ſuſtentat: atqui verbum *ſe ipſo*, „ſeu ſola perſonalitate, *omni nexu for„mali excluſo*, terminat, & ſuſtentat „naturam humanam: ergo. M. patet, „quia verbum unitur humanitati per „modum *termini* & *complementi*, ſup„plens vices ſubſiſtentiæ creatæ, ne„que aliud eſt ipſum *uniri* humanitati, „quam ipſam *terminare*. p. m. Verbum „non eſt minus actus purus, & infi„nitus, in ratione *termini* naturæ hu„manæ, quam in ratione *principii* pro„ductivi: atqui ex hoc, quod ſit actus „purus, & infinitus in ratione *princi„pii productivi*, *exercitium producens* res „ad extra non eſt aliquid *reale diſtin„ctum* a virtute *productiva*, ſed actio „immanens, virtualiter tranſiens, quæ „cum virtute ipſa identificatur: ergo „ſimiliter *exercitium terminandi* non eſt „aliquid creatum, a virtute terminan„di, ſeu ab ejus perſonalitate diſtin„ctum.“ Aſt relinquamus iſta Theo-

logis! unde R. 2. Tr. A. N. C. *diſparitas* eſt, quia in priore caſu nulla datur naturalis *proportio* unius naturæ ad alteram; bene vero in poſteriore caſu duo extrema, anima ſcilicet & corpus naturaliter inter ſe *proportionata*, mutuoque ſibi invicem *ſubordinata* ſunt tanquam *potentia* & *actus*. Sic *annulus* quoque & *uncus* non indigent vinculo alio, ſuperaddito, quia *ex ſe* cohærere poſſunt. Item cera v. g. aut ſtannum vel plumbum, absque entitate reali ſuperaddita, formam ſeu imaginem Cæſaris v. g. aut bruti in ſe recipit &c.

Objectũ decreti Divini pro unione declaratur.

Ob. 2. Si non admittatur unio, tanquam *modus*, extremis realiter ſuperadditus, nequit explicari objectum decreti divini, pro eo inſtanti, quo vult unionem: ergo unio erit ejusmodi modus. p. A. Tunc enim Deus nec vult *corpus & animam*, nec *diſpoſitiones*, quia hæc omnia dari poſſunt, quin detur *unio*: ergo. R. N. A. Ad *prob.* dico, quod Deus velit *corpus* & *animam*, non tamen præciſe *ſecundum ſe* ſpectatas, ſed ut ſpectatas *ſub actu primo proximo*, & quidem *ſecundum intentionem* illam, qua ipſemet *vult* ſecundare exigentiam ma-

te-

teriæ, hic & nunc rite diſpoſitæ, & formam ſibi proportionatam expetentis. Scilicet per ſuum *decretum* vult animam, ſpecialiter aptatam, ponere in *hoc* determinato, illique æqualiter *proportionato* corpore ad hoc, ut naturaliter in eodem operetur; vel uno verbô: vult *commercium radicale.*

Inſt. Sic Deus non vellet *unionem*, ſed *effectum* potius unionis, ſcilicet *operationes*, quæ primum *ſequuntur*, poſtquam anima corpori unita eſt. R. N. hoc; non enim ipſas *operationes*, ſed *ſolam potentiam proxime expeditam ad actu operandum* per ſuum decretum reſpicit, hoc eſt, commercium *radicale*, non *actuale*. (CDLVIII.) Nempe Deus, poſitis diſpoſitionibus omnibus, dum vult, ut *hæc* anima dependenter ab *hoc* corpore (pro inſtantibus ſuum decretum ſubſequentibus) naturaliter operetur, eo ipſo ponit *ultimum complementum* actûs primi proximi, facitque, ut hæc *forma*, & hæc *materia* ſint actu *proxime expeditæ* ad operandum: hoc autem *volendo* adeſt *formalis determinatio* duorum ad τὸ *uniri* in unum compoſitum; adeoque corpus & anima ſunt formaliter unita: (CDLX.) ipſum vero

Dei decretum non eſt *pars* unionis, ſed, ut dixi, *complementum* actus primi proximi, ſicut nec *diſpoſitiones* aliæ ſunt *partes*, ſed ſolummodo ſe habent per modum *termini*, quem *connotant* extrema unienda; adeoque etiam novæ *denominationi* inter animam & corpus ſufficit novus ille *reſpectus* tum ad ſe invicem, tum ad ea, quæ connotantur.

Indifferentia corporis & animæ tollitur absque entitate modali.

Ob. 3. Omnis indifferentia debet tolli per aliquid diſtinctum ab indifferentibus; atqui extrema ſunt indifferentia, cum ſint ipſe actus primus proximus, qui poteſt dari ſine unione *actuali*, ſicut v. g. in homine poteſt dari actus primus proximus ad ambulandum, quin actu ambulet. R. D. m. extrema ſola, Tr. m. ſumpta cum commercio *radicali*, ſeu in actup rimo proximo conſtituta, N. m. ad *prob*. Diſt. poteſt dari actus primus proximus *liber* ſine actu ſecundo C. *neceſſarius*, e. g. ignis ad urendum proxime diſpoſitus, quin actu urat, N. Sic autem & in noſtro caſu contingit, ut anima corpori uniatur *naturaliter* ſeu *neceſſario*.

Inſt. 1. Poteſt Deus animam ponere in corpore diſpoſito, ut ibi ſit ſicut dæmon

mon in energumeno, ſine operatione vitali, ſeu *quin informet animam*: ergo illa non unitur *neceſſario*. R. N. A. Iſtud namque prorſus *impoſſibile* eſt, quia anima eſt *ex eſſentia ſua* ad corpus ordinata, ideoque naturaliter ſibi annexam habet *exigentiam* applicationis Divinæ, quod de *dæmone* dici non valet: licet ergo exiſtere ibi poſſit absque operatione *vitali*, implicat tamem, ut hæc forma (*exigens* applicationem Divinam) ſit in materia *diſpoſita*, nec tamen eam informet, quia, ſi dantur omnia conſtitutiva unionis, neque Deus poteſt impedire *unionem formalem*: (ſicut juxta *Modiſtas*, ſi dantur omnia requiſita ad *modum*, etiam iſte *neceſſario* ponitur absque alio modo ſuperaddito) atqui dato commercio *radicali*, ſive poſito actu primo proximo, dantur omnia: (CDLXI.) Ergo.

Inſt. 2. Poſſet ſaltem Deus uni, eidemque embryoni, rite diſpoſito, duas ſimul animas infundere: jam in hoc caſu juxta nos ambæ unirentur, propterea, quia adeſt *actus primus proximus*: ergo unum idemque corpus ſimul & ſemel duplici anima informari poſſet, quod tamen fieri nequit, quia una ma- Nequeũt plures animæ naturaliter informare idẽ corpus

teria unius tantum animæ capax eſt. R. Ad ejusmodi caſus miraculoſos, (qui unionis arcanum magis implicant, quam explicant) quod equidem Deus, ut *abſolutus Dominus*, id facere poſſet, ſed ita tamen, ut tunc *una* ſolum anima (ſcilicet ea, quam Deus ad naturales operationes, ab hac materia dependentes, ad ipſius materiæ rite diſpoſitæ exigentiam, hic & nunc ordinavit:) *naturaliter* uniretur; altera vero *ſupernaturaliter*, ſive ut in illo embryone tantum exiſteret *per accidens*, & ut *hoſpes*, ſicut v. g. anima quæcunque ſeparata poteſt *penetrare* corpus animatum, quin tamen naturaliter illud informet, aut eidem naturaliter uniatur. (Cum non ſit appropriata huic corpori, nec poſita *ad illius exigentiam*, utpote cui ſatisfit per *unam* animam) ac inſuper, etſi *una* vel *utraque* anima in eo caſu per Deum uniretur corpori, id ſemper fieret absque *modo* vel *unico* ſuperaddito. Quod vero alterutra harum animarum non poſſet *naturaliter* uniri, *ratio* eſt, quia non haberet actum primum *completum*, eoquod adhuc obſtaret aliquod impedimentum; una enim anima in tali caſu alteram impediret, (impediendo ſcilicet *negationem*

ſui,

ſui; quæ *negatio* ad unionem ſpectat) adeoque tanquam deciſivum a Deo ponendum foret decretum, ut una præ altera illud corpus informaret. Quod ſi ille ejusmodi decretum non poneret, *neutra* uniretur, ex defectu *ultimi complementi*, quod eſt *decretum*, ut etiam paulo ante dictum eſt.

Inſt. 3. Ex hoc ſequeretur, quod non tantum *naturaliter*, ſed nec *ſupernaturaliter* poſſet anima adventitia alicui corpori jam *animato* uniri: atqui hoc derogat omnipotentiæ Divinæ: ergo & id, unde ſequitur. R. N. Ill. licet enim in eo caſu nulla detur *exigentia applicationis Divinæ*, fundata in natura ipſius *animæ* adventitiæ, poſſet tamen dari hæc exigentia fundata in aliquo fine extraordinario Dei. Si Deus *vellet*, hanc animam adventitiam eſſe, etiam *informative*, in corpore jam animato, tunc haberet finem *extraordinarium*, ob quem id vellet, & conſequenter hoc ipſo daretur *exigentia*, ut omnipotentia Dei (tanquam *executrix neceſſaria* finium, a voluntate Divina intentorum) parata ſeu applicata ſit ad executionem illius finis. Ita ſæpe citatus Cl. *P. Daniel Stadler pag.* 87.

Bene vero ſupernaturaliter.

Inſt. 4. Hæc unio foret tantùm *moralis*, vel ſimilis illi *intimæ præſentiæ*, quam habet angelus in Sydere, quod movet: ergo non bene illa ſic explicatur. R. N. A. Nam etſi *finis* ille a Deo intentus, ob quem in dato caſu habetur *exigentia applicationis*, ſit forte aliquis *finis moralis*, ipſa tamen *exigentia*, & *applicatio*, ac reliqua conſtitutiva unionis erunt aliquid *phyſicum*. *Diſparitas* autem inter Angelum ac animam adventitiam eſt hæc, quod angelus nullam prorſus habeat *proportionem* ad eſſe *formam Syderis*: econtra anima adventitia habet *proportionem* ad eſſe *formam corporis*, ideoque reipſa uniretur cuilibet corpori, per quod tranſit, niſi deeſſet exigentia applicationis ex parte animæ adventitiæ. Ita dicendum quoque eſt de *unione* Christi Evcharistici. In quo equidem ob *compenetrationem* naturaliter deberet ceſſare *unio*, attamen cum Deus *velit* ibi eſſe Chriſtum *vivum* modo comeſtibili, jam datur *exigentia*, ut ſpeciali concurſu omnipotentia ſuppleat id, quod *diſpoſitiones*, aut *modus* præſtarent.

Inſt. 5. Tali modo hæc ſupernaturalis unio involveret intentionem *finis* *extra-*

extraordinarii; eoquod involvat *exigentiam* fundatam in hoc fine: atqui hoc non, quia alias foret aliquid *Divinum*: ergo. R. Tr. M. N. m. Ad prob. *Retorq.* etiam peccatum Adami, ad poſteros transfuſum, involvit aliquid Divinum, nempe *decretum* alligans noſtras voluntates Adamo, ut *Theologi* loquuntur: ergo *a pari.*

Homo generatur & corrumpitur absque entitate modali.

Ob. 4. Si unio non eſt entitas moda*lis*, non poteſt explicari, quomodo generetur, aut corrumpatur homo: atqui hoc debet poſſe explicari: ergo unio eſt modus. p. M. Non enim *anima*, nec corpus generatur, aut corrumpitur: ergo. R. N. M. ad prob. D. A. Ita tamen, ut generetur aut corrumpatur *unio*, hoc eſt, aliquæ diſpoſitiones, quas dein unio formalis ſubſequitur, (CDXIX.) C. A. ut tales non generentur aut corrumpantur. N. A. & C. (CCXXVIII. *ob.* 2. *Inſt.* 4.) ſufficit nempe ad *generationem*, ut parentes præbeant aliquid de ſua materia. Certe SS. Patres non aliter dicunt Chriſtum a B. V. Maria fuiſſe generatum, quam quia de ſuo puriſſimo ſanguine ad formandum Chriſti corpuſculum organicum ipſa aliquid attribuit. Imo quid

quid juvat *entitas modalis* ad generationem? hanc enim non generat Pater, quia hic ipſe poteſt jam eſſe mortuus, dum *unio* producitur in fœtu, utpote quæ poſt plures dies conceptionis primum contingit. Igitur actio generativa poteſt conſiſtere in *productione diſpoſitionum*, ad quas *mediate* & connaturaliter ſequitur productio *animæ*, quæ eſt *ultimus terminus* in generatione hominis, non tamen productus a *generante*. Vel ſiquis etiam velit habere terminum ab actione generativa *productum*, poteſt dici, terminum actionis, *qua generativæ*, eſſe easdem diſpoſitiones poſitas in embryone a cauſa generante. (CDXIX.)

ARTICULUS VII.

Quænam ſit ſedes animæ, corpori unitæ?

Sedes animæ

CDLXVI. Per *ſedem animæ* locus ille corporis intelligitur, in quo anima, quamdiu illi conjuncta eſt, reſidere, ſuasque operationes peragere concipitur. Variæ circa hanc quæſtionem denuo Philoſophorum extant ſen-

ſententiæ; nam 1. Peripatetici docent, animam eſſe diffuſam per *totum* corpus, in eoque *definitive* exiſtere, (CCCXLVIII.) ut principium non tantum *vitale*, ſed etiam *eſſentiale* corporis, reſpectu cujuslibet motûs, in eo contingentis. 2. Plato in *Alcibiade* & *Phedone* mentem quidem corpori toti præeſſe, *ut nautam navi*, eoque uti velut inſtrumento cenſuit; attamen *vitam* & *ſenſum* corporis alteri ſubſtantiæ cuidam *mediæ* (CCCLXX.) adſcribendam eſſe putavit, cui opinioni etiam faviſſe videtur S. Augustinus *de quant. animæ. c.* 31. & 32. 3. Cartesius *de paſſionibus p.* 1. *art.* 30. equidem admiſit, animam eſſe revera unitam *toti* corpori, affirmabat tamen, eam *ſpecialius* operari in conario, ſeu *glandula pineali*, quæ juxta Anatomicos in ſuperiori cerebri parte reperitur, & *glandis* figuram refert. 4. Alii Recentiores animæ ſedem in *cerebello* aſſignant, hoc eſt, in calloſa cerebri ſubſtantia, ubi *nervorum* omnium, per totum corpus diffuſorum *origo* reperitur, & ad quam ſpiritus animales ab exterioribus corporis partibus nervorum ope deferuntur. Quænam ex his ſententiis nobis vi-

Juxta Peripateticos.

Juxta Platonem.

Carteſiū.

Et alios Neotericos.

videatur probabilior? in præſens declarabitur.

PROPOSITIO I.

Anima eſt probabilius per totum corpus diffuſa.

Anima eſt per totum corpus diffuſa.

CDLXVII. PROBATUR I. *Authoritate.* Huic ſententiæ SS. Patres fere unanimiter adhærent; nam 1. S. AUGUSTINUS *Epiſt.* 166. expreſſe inquit: *anima per omnes ejus.* (corporis) *particulas tota ſimul adeſt, nec minor in minoribus, & in majoribus major, ſed alicubi intenſius, alicubi remiſſius, & in omnibus tota, & in ſingulis tota eſt.* Idem uno ore loquuntur S. HILARIUS *in Pſalm.* 18. S. GREGORIUS NYSS. *de opif. hom. c.* 14. & alii, quos recenſere nimis longum foret.

PROBATUR II. *Ratione.* 1. totum corpus *vivit*, & quidem per *ſolam animam* rationalem, tanquam *formam* corporis *ſubſtantialem*: (CCCLXXVII.) ergo hæc debet eſſe per totum corpus diffuſa, & præſens iis omnibus partibus, quas *agitat*, & *vivificat*, ſeu quibus *vim* iſtam *vitalem* tribuit. p. C. quibuscunque enim

me-

mediis (v. g. per *ſpiritus animales*) *vis* hæc *vitalis* per corpus diffundatur, & *undecunque* diffundi incipiat, (ſeu e *cerebro*, ſeu e *corde*) ea tamen ab anima *immediate* provenit (quoniam non poteſt concipi, niſi tanquam vis mentis *vitalis* & *eſſentialis* toto corpore diffuſa, eoquod mens ſit *indiviſibilis*) ergo erit ea vis menti *immanens*, hoc eſt, tota mens velut *Entelechia prima* erit intime toti corpori præſens. Ita Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 2. *c.* 2. *prop.* 21. 2. Eadem unica *rationalis anima* eſt ſimul in nobis *ſentiens* (CCCXCIII.) nam læſa quævis pars corporis immediate ſentit: ergo illa debet in *omnem* partem immediate eſſe diffuſa. p. C. ſi v. g. in *ſolo* capite reſideret, pes eſſet immunis a dolore, vel dici deberet, quod pes doleat in capite, cui tamen loquendi modo *ſenſus communis* & *intimus* contradicit; ſic enim qui patitur Podagram in pedibus, *judicat* ſe *ſentire* in *pede* potius, quam in *cerebro*, optimeque diſcernit inter *pedis* & *capitis* dolorem. Item qui dulce vinum bibit, *judicat*, delectationem percipi in *palato* potius, quam in *cerebro*, aut ſecus etiam *ſomnians* vini dulcedinem *ſentiret*. Hinc bene ait mox cit. Cl. Auctor,

quod,

quod, *qui hoc ſcholaſticorum Syſtema nimis præpropere damnant, ii ſæculo magis indulgeant, quam rationi conſulant. - - dicentes magis, quod placeret, quam quod repererant.*

Nec reſidet in ſolo cerebello,

CDLXVIII. *Corollarium* I. Igitur mens non ita præſidet in *cerebello*, ut non etiam per alia ſingula corporis membra, in quibus datur actio *vitalis*, & *ſenſitiva*, diffuſa ſit: aut ſi ſecus, certe ſequeretur, eam non eſſe *formam* corporis *ſubſtantialem*, uti tamen ab Eccleſia aperte definitum eſt. (CCCLXXVII.) Imo præter animam *rationalem* in eodem homine admittenda foret alia adhuc *media* ſubſtantia Platonis, (CDLXVI.) quæ *vegetationes*, & *ſenſationes* in corpore reliquo, & in ipſo quoque *cerebello*, produceret, ſicque non tantum *animarum* in homine *ſucceſſio*, ſed actu *plures* in illo animæ ſtatui deberent: atqui hoc non, quia ſola anima *rationalis* per ſuum reale cum corpore commercium id omne præſtare valet, ut paulo ante ſufficienter declaratum eſt: (CDLIV.) nec entia ſunt multiplicanda *ſine neceſſitate*, qualis hic ab adverſariis aſſignari nequit: ergo &c. Accedit, quod

tali

tali modo anima, in ſolo cerebello reſidens, nullo modo in corpus *phyſice influeret*, (eo ipſo, quia tunc non foret *forma ſubſtantialis* ejusdem) quod itidem ſupra refutatum eſt. (CDLIII.)

CDLXIX. *Corollarium* II. Quod animæ ſedes ſpecialiter non ſit in *glandula pineali*, obſtant adhuc ſequentia. 1. Referunt PP. Trivoltienſes ad annum 1709. *tom.* 2. *p.* 618. in aperto fœminæ cujusdam cranio totam corruptam repertam fuiſſe illam glandulam, quin tamen illa fœmina ullum defectum ſenſuum paſſa ſit, excepta ſola aliqua capitis gravedine. 2. Nervi juxta Anatomicos potius currunt ad cerebellum, quam ad conarium. 3. Glandulæ omnes, & præſertim pinealis, humorum & ſordium, quæ a reliquis partibus advectæ ibidem ſecernuntur, receptacula exiſtunt: ergo hoc ipſo ad animæ operationes minus aptæ accommodatæque ſunt, eoquod nervi (etſi etiam omnes in hac glandula convenirent) *tendi* ſufficienter nequeant ob humiditatem, ſeroſumque liquorem, in iis exiſtentem. 4. Carteſius id ſolum adſtruit propter animæ *indiviſibilitatem*: at hæc ratio nulla eſt, quia ſive anima exiſtat

Aut glandula pineali.

 in

in *toto* corpore, ſive in *glandula* tantum *pineali*, ubique in ſpatio *diviſibili* erit. Adde, quod illi magis congruat eſſe *definitive* in toto corpore, (quia *ſpiritus* eſt,) quam in *una unica* tantum, & quidem *minima* corporis *parte*, nihilominus

PROPOSITIO II.

Principaliores tamen ſedes animæ, per totum corpus diffuſæ, ſunt cerebrum & cor.

Principalius tamen, ſed non unice, reſidet in cerebro, & corde;

CDLXX. PROBATUR. Per ſedes *principaliores* intelligo illas, quæ animæ *operationibus*, quas in corpore exercet, præprimis inſerviunt: atqui ſic ſe habent *cerebrum*, & *cor*: ergo. p. m. Quoad 1*mum*. In CEREBRO enim nedum *ratiocinia* fiunt, ſed & *ſenſationes completæ*, quia, ſi anima ibi non ſit *attenta*, vel ſi illuc non deveniat *motio*, in organo ſenſorio externo facta, (CDLV.) non fit ſenſatio *completa*, ſed ſolum *inchoata*, id eſt, in parte quidem corporea vere excitata, non tamen ab anima, ut *rationali*, ſed tantum ut *ſenſitivâ* (quæ *qua talis*, ex defectu organorum, *judiciis* & *ratiociniis*

aiis faciendis idoneorum, de aliqua ſenſatione *judicare*, & conſequenter etiam *complete dolere*, aut *triſtari* nequit) percepta: ergo, quia cerebrum ejusmodi animæ operationibus, & quidem *nobilioribus*, *immediate* inſervit, erit *principalior* ejusdem ſedes. *Quoad 2dum.* Cor juxta Ariſtotelem eſt *primum vivens* in homine, & *ultimum moriens*, ac in illo fluidum illud nerveum, quo anima ad operationes ſuas (*vegetativas* maxime & *ſenſitivas*) pro ſtatu moderno utitur, primo excoquitur, in totum corpus diffunditur, atque in illud ultimato refluit, donec tandem anima, ad motum *vitalem* præſtandum impotente corpore, diſcedat: ergo *Cor*, quod animæ operationibus *vitalibus*, *ſenſitivis*, imo & *rationalibus*, pro hoc ſtatu *mediate* ſaltem, (nempe mediante *fluido nerveo*, a ſe excocto) inſervit, erit (comparative ad alia corporis loca, non vero ad *cerebrum*, loquendo) principalior animæ ſedes. Adeoque ambo, ſcilicet tam *cerebrum*, quam *Cor*, ſub *diverſo reſpectu* erunt *principaliores* animæ *ſedes*, alia autem corporis loca erunt ſedes illius ſolummodo *minus principales*, attamen ab anima

virtute vitali neutiquam derelictæ. (CDLXVII.) Et hoc ſolum evincere videntur rationes adverſariorum contra *Prop.* 1. (CDLXVII.) afferri ſolitæ, ſicque ambæ, *Peripateticorum* nempe & *Recentiorum*, ſententiæ invicem conciliari queunt.

Simul enim phyſice in totum corpus influit.

CDLXXI. *Corollarium* I. Dici igitur equidem poteſt, quod anima *præſideat in cerebro*, ex eoque moderetur totam humanam machinam ope motûs, attamen ſimul etiam concedi debet, quod influat phyſice in *totum* corpus; ſufficit enim moveri a mente glandulam pinealem, aut eam cerebri partem, unde procedunt nervi, ut tota corporis *harmonia*, & *vita* conſiſtat: quoniam porro hæc ipſa motio (ſaltem quantum ad actiones *naturales*) non fit *libere*, ſed ex ipſa naturæ *neceſſitate*, hinc ſine influxu phyſico fieri nequit, & conſequenter eo ipſo mens humana per totum corpus ſimul debet eſſe diffuſa, tanquam *principium vitæ*.

Si omnia ejus membra ſint rite diſpoſita.

CDLXXII. *Corollarium* II. Quod membra Paralyſi affecta, quæ excipiendo a cerebro motui apta non ſunt, ſenſu & vita deſtituantur, ratio non eſt, ut

ut adverſarii volunt, quia anima in *ſolo* cerebro exiſtit, tanquam in ſede ſibi propria ac *unica*, ſed potius, quia *vis illa ſenſifera*, & *vegetatrix* (quæcunque ea ſit) quæ ex anima in corpus influit, meatus, vaſa, & organa, energiæ illi apta, habere debet, ut ſic in corpus tranſeat, & agat; unde, ex illorum in dato caſu defectu, membra a Paralyſi læſa movere amplius nequit, fere, ſicut v. g. cannæ quoque ſeu fiſtulæ muſicæ, ſi orificia, unde flatus effluit, clauſa ſint, ſonum non reddunt. Nec interim, quando ſonant, inflari ab aliqua aura, negari poteſt, item ſicut ne plantarum quidem rami vireſcunt, ſi vaſa, quæ ſuccum deferunt, obſtruantur, & tamen, quando virent, id ſolummodo accidit, quia ſuccus eos permeat. Sic *a pari*.

Nec obſtat, quod in cerebro vitæ ſtructura ordiri videatur.

CDLXXIII. *Corollarium* III. Neque item ex eo, quia tota humanæ vitæ ſtructura in *capite* aut *cerebello* ordiri videtur, animæ per totum reliquum corpus diffuſio negari poteſt, aut ſecus etiam dicendum foret, totam *brutorum* animam in cerebro reſidere, (utpote quæ ſimilem habent machinæ ſtructuram) quin & *plantarum* vim vege-

tatricem ſeu plaſticam in ſolo ſemine, aut ſolis radicibus contineri, nec ullo modo corpus plantæ pervadere. Dein ex hac ratione non *cerebrum*, ſed potius *cor*, animæ ſedes dicendum foret; hoc enim omni motui vitali originem præbet, quia materiam, ſeu fluidum nerveum excoquit, ac ſubminiſtrat.

Nec etiã ſequitur, quod anima in toto corpore cogitet.

CDLXXIV. *Corollarium* IV. Denique etſi anima per totum corpus diffuſa eſſe dicatur, haud tamen ſequitur, ipſam in ſingulis ejus partibus propterea *cogitare* poſſe; mens quippe humana, ut dictum eſt, nedum *rationalis*, ſed etiam *ſenſitiva*, ac *vegetativa* exiſtit, easque ſolas actiones exercet, quæ ſunt parti cuilibet *accomodatæ*. Et hinc *videt* quidem in *oculo*, non in *aure*, nec in *aure*, ſed *naribus* odoratur &c; non aliter, ac idem v. g. plantarum ſuccus *candere* poteſt in flore, *vireſcere* in fronde, *flaveſcere* in pomo &c., aut ſicut idem in cannis muſicis flatus altius aut gravius ſonare; idem calor indurare vel liquefacere &c. & hæc per modum *objectionum* dicta ſunto!

SE-

SECTIO III.

De
Potentiis animæ.

CDLXXV. Quoniam homo non tantum *rationalis*, ſed & *animal*, ſeu *ſenſitivus* eſt, hinc etiam communiter a Philoſophis æque ac Aſcetis anima hominis, quamdiu corpori copulata eſt, in duas veluti partes diſpeſci ſolet, quarum unam vocant *animalem*, id eſt, cum brutis communem, alteram vero *rationalem*, & ſoli homini, qua *rationis compoti*, propriam; illa etiam pars hominis *inferior*, iſta *ſuperior* appellari conſuevit. In utraque porro dictarum hominis partium ſuæ determinatæ reſidere potentiæ cognoſcuntur, & quidem tam *cognoſcitivæ*, quam *appetitivæ*, de quibus nunc breviter in iſta Sectione dicetur. Igitur

Anima dividitur in partem animalem, & rationalem.

ARTICULUS I.

De
Potentiis animæ cognoſcitivis, in parte animali reſidentibus.

Facultas cognoſcendi in genere.

CDLXXVI. Fons & origo, ac veluti mater omnium potentiarum, in parte hominis ignobiliore ſeu inferiore reſidentium, habetur *facultas* ſive POTENTIA COGNOSCENDI, hoc eſt, (ut paſſim definitur) potentia illa *materialis*, qua ſibi anima, dependenter ab organis corporeis, ſive externis, ſive internis, repræſentat res varias, etiam extra ſe exiſtentes. Hanc facultatem, quam præ aliis cunctis nobis ineſſe teſte ſenſu intimo obſervamus, veteres *intellectum* vocabant: aſt magnum tamen diſcrimen inter utramque potentiam intercedere certum eſt, nam facultas cognoſcendi *materialis* potiſſimum eſt, & tam *brutis* quam *hominibus* comunis, proindeque *latioris* multo ſignificationis; quam *intellectus*, utpote qui ſolum ſpiritualis (CCCLXXXIV.) exiſtit, illaque melius SENSUS INTERNUS dici poteſt; nam *ſenſus internus* vulgo definiri ſolet, quod ſit *facultas cognoſcitiva animali propria.* Porro actio

ſenſus internus.

illa,

illa, qua anima res ſibi repræſentat, dicitur *cognitio*, *perceptio*, vel etiam *idea*: quatenus vero anima hujus repræſentationis, ſive perceptionis, ſimul ſibi eſt conſcia, a Leibnitio dicitur *appercipere*: repræſentatio autem talis, cujus anima ſibi eſt conſcia, *cogitatio* a Baumeiſtero appellatur.

cognitio. apperceptio. cogitatio.

CDLXXVII. Res, quas per *facultatem cognoſcitivam* nobis repræſentamus, aut ſunt *individua*, aut *abſtracta*: individua item aut ſunt *præſentia*, aut *abſentia*. Individua præſentia nobis repræſentamus per *ſenſum*, abſentia autem per *imaginationem*, & *memoriam*, ut ajunt *ſenſitivam*: *abſtracta* denique per *intellectum* & *rationem* cognoſcimus: ad facultatem igitur *cognoſcitivam qua talem* ſeu *materialem*, hoc eſt, ad partem animæ *ignobiliorem* ſive *inferiorem*, & cum brutis communem, ſpectant facultates *ſentiendi*, *imaginandi*, & *recordandi*: ad partem vero *nobiliorem* ſive ſuperiorem *facultatis cognoſcendi*, hoc eſt, ad potentiam *intellectivam*, pertinent veræ ſic dictæ potentiæ *intelligendi*, *ratiocinandi*, *attendendi*, *reflectendi*, *abſtrahendi* &c., ſoli homini, *qua rationali* propriæ, utpote per quas nedum

Quæ potentiæ ad partem animæ inferiorem ac ſuperiorem ſpectent?

materialiter, *obſcure*, & *confuſe*, ut bruta, ſed etiam *clare* & *diſtincte*, modoque *ſpirituali*, cognoſcere valet: & per duplicem hunc cognoſcendi modum (clare nempe, diſtincte, ac ſpiritualiter *ex una parte*, obſcure autem, confuſe, ac materialiter *ex altera parte*) etiam *facultas cognoſcendi* generice in ſuas differentias abit. Agamus nunc de primo cognoſcendi modo! & quidem, cum omnis cognitio noſtra ortum ducat a *ſenſibus*, (Log. *fol.* 632.) incipiamus a *potentia ſenſitiva*!

Sentiendi facultas. CDLXXVIII. Quando res, corpori noſtro præſentes, nobis repræſentamus; dicimur illas *ſentire*; & ipſæ illæ repræſentationes rerum, corpori noſtro præſentium, dicuntur *ſenſationes*, ſive *ſenſiones*: *facultas* autem *ſentiendi* eſt potentia animæ noſtræ, ſenſiones ſive ſenſationes habendi. Ita Baumeiſterus. *Pſychol. Empir.* c.3.§.497. e. g. cum videmus hortum, variis conſitum arboribus, florumque varietate veſtitum, ea omnia *ſentire* dicimur. Cæterum *facultas ſentiendi* a parte rei omnimode coincidere videtur cum *ſenſu communi* Peripateticorum, quia etiam hic juxta ipſos externorum ſen-

ſenſus communis.

ſuum

ſuum objecta percipit atque dignoſcit. porro corpori noſtro illud dicitur *præſens*, quod in organis ſenſoriis mutationem aliquam producit, & alio nomine etiam *ſenſibile* vocatur: *Idea* denique *ſenſualis* ea denominatur, quæ per ſolam ſenſationem, non vero per intellectionem, aut appetitionem, in anima exiſtit. v. g. Viſum quodcunque objectum malum, citra quod anima in eo complaceat &c. De *ſenſationibus* ſequentia quaſi *generalia* appono, fuſius de illis in *Phyſica* acturus. ſenſibile.

CDLXXIX. I. *Senſatio* (ſi, prout in *homine* fit, & quidem *complete*, accipiatur) eſt quædam animæ *perceptio;* homo namque *ſentit*, quando ejus anima *paſſionem* corporis, cui juncta eſt, immediate percipit: (CDLXX.) *paſſio* vero corporis a *motione* organi ſenſorii, per impulſum objecti cujuscunque externi excitata, oritur. (Log. *fol.* 409.) II. Juxta *Anatomicos* pro re certa haberi debet, quod ex omnibus partibus corporeis ſoli *nervi*, (CCCXLIX.) ex appulſu objecti ſenſibilis affecti, moleſtam aut jucundam in anima ſenſationem excitent: adeoque ſoli illi ſunt *inſtrumenta ſenſationum*, (me-

Senſatio quomodo contingat?

(mediantibus videlicet *ſpiritibus animalibus*, quibus turgent) hi enim cum ex cerebro, tanquam radice, prodeant, immediate cum illo communicant. Et magis etiam exinde patet, quia ligato vel diſſecto nervo nulla amplius fit ſenſatio in ea corporis parte, cui nervus erat inſertus, teſtante *Bœrhavio* medico celeberrimo, *Tom.* 2. *præl. in Inſt. Med. omnem ſenſum, & motum perire in ea parte* (cujus nervus fuerat ligatus) *infra ligaturam poſita, neque redire ſoluto vinculo, niſi nervus tepida irroratus convaluerit.* III. *Senſationes* igitur, quamvis dicantur eſſe *externæ*, ſeu fieri in externis corporis membris, non tamen ſunt meræ *paſſiones* animæ, ſeu entia *recepta* in anima, (intellige ſemper ſi *complete* ſumantur) ſed ſunt *cognitiones*, ab anima *agente* elicitæ; etenim ab *objectis corporeis*, non niſi per *impetum* agentibus, illæ produci nequeunt; & anima inſuper ipſa eſt incapax, *impetum* quemcunque materialem in ſe recipiendi: adeoque ab ipſa anima produci debent ſenſationes tanquam veræ *cognitiones*, quatenus ea ſcilicet, ob impreſſiones in organa ſenſoria factas, (Log. *fol.* 409.) cognoſcit, ſuam in corpus *actionem* immutari: unde ori-

un-

untur *voluptas*, *dolor* &c. (CDLV.)
IV. Sine ulla abſurditate dici quoque valet, omnes ſenſationes (*viſum* ſcilicet, *guſtum*, *auditum*, & *odoratum*) eſſe *tactiles*, hoc eſt, omnes in *motu* & *tactu* convenire, attamen motum, in *diverſis* organis excitatum, eſſe *diverſum*, varieque *determinatum*; nam omnis quidem ſenſatio fit per *tactum*: at ſimul quia ſenſatio in *motu* quodam conſiſtit, & cujusvis organi ſenſorii *alius* & *alius* eſt apparatus, organaque ipſa nervis, ſingulari modo conformatis, conſtant, idcirco pro peculiari cujusvis organi ſtructura *peculiaris* quoque ibidem excitatur *motus*, indeque *ſpecialis* in anima reſpondet *perceptio*, ſeu *ſenſatio completa*. Sic a LUCIS radiis eæ tantum nervorum fibræ poſſunt commoveri, quæ *reticularem* oculi membranam (organum ſenſorium *viſûs*) conſtituunt: a tremulo aeris motu, ſive a SONO, illæ tantum, quæ per antrum *cochleæ* (*auditûs* organum) diſſeminatæ ſunt: a particulis SAPIDI corporis eæ ſolum, quæ in *papillulas* deſinentes ſub externa linguæ tunica latent; organumque *ſaporis* efficiunt: ab ODORI corporis effluvio illæ tantum, quæ per membranam, interiores nari-

um

um anfractus inveſtientem (*odoratûs organum*) diſperguntur: ac demum a ſic dictis *proprie tactilibus* corporum particulis eæ ſolum, quæ itidem conformatæ in papillulas ſub cuticula deliteſcunt, ac ſpeciale *tactûs organum* conſtituunt.

S. Auguſtinus huic ſententiæ favet.

CDLXXX. *Scholion.* Hanc noſtram ſententiam, de potentia animæ *ſenſitiva*, hactenus explicatam, ac ſpecialiter de *modo ſentiendi*, dudum jam docuit S. Augustinus *l. de quant. animæ n.* 48. ubi *ſenſationem* expreſſe definiens inquit, eam eſſe *paſſionem corporis, quæ per ſe ipſam non lateat animam*, ſive, quæ ab anima immediate *percipiatur.* Et *de muſica l. 6. n.* 10. ait, *animam, cum ſentit in corpore, non ab illo aliquid pati, ſed in ejus paſſionibus attentius agere, & has actiones, ſive faciles propter convenientiam, ſive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere, hoc totum eſſe, quod ſentire dicitur. Senſus* porro *externi* ſunt quaſi *feneſtræ*, & *portæ* animæ, per quas ſpecies ſeu motiones a rebus externis productæ illabuntur in animam, unde dein omnis in ea cognitio ortum ducit, ſive, ut ait Cicero *l. de Leg. natura homi-*

ni

ni ſenſus tanquam ſatellites attribuit, & nuntios.

CDLXXXI. Facultas imaginandi, ſeu, ut alio nomine vocatur, Phantasia eſt potentia, *res abſentes tanquam præſentes* ſibi denuo ſiſtendi, & perceptiones priſtinas inſtaurandi: actus vero ipſe, quo rurſum nobis repræſentamus objectum abſens, dicitur *imaginatio*, res denique, quæ ab imaginatione denuo producuntur, & quaſi præſentes in ſui imagine ſiſtuntur, *phantasmata* appellantur. Ita v. g. dum quis ſemel *Romam* vidit, nunc vero ab urbe illa abſens illam ſibi *imaginatur*, ejus *phantasma*, ſeu ut alii dicunt, *imaginem phantaſticam* producit: ſic quoque S. Aug. *l. de Trinit. c. 6.* inquit: *Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præſto eſt apud me Phantasma ejus.* De *imaginatione* antea citatus Baumeiſterus §. 509. & *ſeq.* iſta ferme ponit *Theoremata*, in ipſa ejus definitione fundata. Imaginandi facultas, ſeu phantaſia.

CDLXXXII. I. *Nihil nobis imaginari poſſumus, niſi quod antea ſenſibus percepimus.* Sic v. g. nemo poterit ſibi Romam vere *imaginari*, niſi eam ipſam Imaginandi leges.

ſam antea *viderit*, vel ſaltem ab aliis deſcriptam *audiverit*, ut mox de S. *Auguſtino*, Alexandriam ſibi imaginante, dictum eſt: nempe, etſi eam urbem S. ille Doctor nunquam vidiſſet, audierit tamen ſine dubio ab aliis, quanta civitas foret. Inde *imaginatio* etiam a quibusdam *continuata ſenſatio* vocatur. De cætero anſam forte iſtud theorema dedit illi veterum proverbio: *Nihil eſt in intellectu, quod non antea fuerit ſub ſenſu*, *intellectum* enim & *potentiam cognoſcendi* illi promiſcue accipiebant. (CDLXXVI.) II. *Quo clarius aliquam rem olim ſenſimus, eo facilius eam nunc denuo nobis imaginamur, & econtra quo obſcurius & confuſius illam antea ſentiebamus, eo difficilius ejus imago in animum incurrit.* E. g. ſi in quadam urbe per longum temporis ſpatium commorati ſumus, ejus magnitudinem ac ſitum abſentes facilius animo concipimus: at ſi per breve tempus ibi verſati ſumus, illius nobis imaginatio difficilior redditur. III. *Quo crebrius repetitur eadem ſenſatio, hôc majores vires acquirit imaginatio*, fitque actius ſtimulans, & quaſi captivans: id ſuo teſtimonio ſatis funeſto comprobant ii, qui ob contractam in aliquo vitio conſuetudinem

conſuetudinarii vocantur. IV. *Imaginatio, ſibi ſoli relicta, eſt magis activa, quam ſi ſenſus externi eam interturbant.* Id experimur in ſomniis, ubi ſenſus externi quieſcunt, ibi namque ſpecies, per Phantaſiam excitatæ, multo vivacius ac vehementius in mentem illabuntur, quam dum vigilamus: unde & *meticuloſi* de nocte magis timent; Muſarumque alumni ſolitarium, & ab hominum conſortio remotum ſibi locum ad vacandum ſtudiis deligere amant. V. *Quo recentior eſt ſenſatio, eo fortior eſt imaginatio.* Rurſum ad experientiam provoco; magis enim v. g. ob injuriam admodum nuper illatam dolere, nullamque tam facile conſolationem recipere ſolemus, quam ſi magnum temporis intervallum interea jam præteriit, vehementiusque triſtamur ob mortem amici aut parentis, hodie vel heri, quam ante menſem vel annum factam &c. VI. *Perceptio præterita integra redit, cujus præſens perceptio tantummodo partem in ſe continet.* Sive ut alii dicunt: *Si quædam ſimul ſenſimus, & unius ſenſatio denuo producitur, imaginatio producit etiam perceptionem alterius.* Et hæc *imaginationis lex, ac idearum aſſociatio* (Log. *fol.* 48.) dicitur.

tur. Sic e.g. ſi quis animo concipiat *hortum* antea viſum, aut *convivium*, cui aſſidebat, recurrent ipſi quoque imagines *florum*, *fructuum*, vel *ciborum*, ac *hominum*, & *ſermonum* ibi habitorum &c. cani etiam, dum baculum conſpicit, tædioſæ ideæ verberum, baculo inflictorum, recurrentes fugam perſuadere ſolent. VII. *Imaginationes non ſemper voluntatis imperio ſubjacent*; ſunt enim *continuatæ ſenſationes*, has vero ipſas impedire non ſemper poſſumus; quis enim v.g. impediat, ne objectum obſcœnum, oculis apertis actu proſtans, ſui imaginem in *retina* depingat, eademque etiam poſtea phantaſiæ frequenter obverſetur? at vero quatenus organa noſtra ſenſoria ab objectis externis poſſumus avertere, ne eadem ſentiamus, eatenus imaginationes quoque ſunt in noſtra poteſtate. Sic ſi caſtitatis amans imaginem obſcœnam nolit obverſari oculis ſuis, oculos ab eadem ſtudioſe avertere allaboret: aut, ſi per imaginationem reproductæ ideæ mentem ipſius turbare non debeant, poterit is alias res quaſcunque ſenſibus ſuis obiicere, ut ita per ſenſationem fortiorem depellatur debilior. Præprimis autem in hac re ob-

ſervari debet illud Poetæ: *Princi-obſta*, nam *ſero medicina paratur*, ejusmodi *mala per longas invaluere* ...*s*.

DLXXXIII. *Corollaria* I. A poten- Fingendi ...maginativa, a qua præcipue origi- potentia. ſumpſit *ars inveniendi*, parum dif- potentia *fingendi*, per hanc enim quas olim habitas *imaginatio* no- ...iſtit, pro arbitrio vel combinamus dividimus; indeque multa ac va- ...nventa ſunt artefacta: ex imagi- ...one certe ſtructuræ corporis hu- ...i inventa eſt architectura civilis ...a notam illam Vitruvii regulam, ſtatuit, *ædificium quodlibet ad bo- ... bene figurati membra exactam ha- rationem debere*, & Comici per *fi- ...m* veriſimilem, id eſt, per va- combinationem factorum *poſſibi-* ..., magnam ſibi laudem in comœdiis, ...agœdiis promerentur, cujus ſpe- ...na omni exceptione majora nuper ...is opuſculis reliquit Cl. P. Anto- Claus S. J. Porro ſi rerum aut fa- ...um combinatio rationi adverſe- atque inter ſe invicem pugnan- ...contineat, tunc vel *ens ratio-* (XXXIII.) vel *fictio impoſſibilis*,

ſeu *chimæra* appellari conſuevit. II. Ex data imaginationis lege (*n. præc.* VI.) fluit *memoria artificialis* ſive *ars Mnemonica*, de qua Cl. P. Erhart integrum librum conſcripſit. Nec minus exinde explicantur affectus vehementes, qui, cum ſubito ex levi quandoque cauſa in nobis excitentur, *motus primo primi* vocantur: III. *Somniorum* denique natura tum ex eadem *imaginationis lege*, tum ex *fingendi facultate* perquam clare intelligenda venit; illa enim nil aliud ſunt, quam meræ imaginationis, fingendique facultatis operationes, quæ ſolæ tunc in mente exiſtunt, quando externi ſenſus quieſcunt. Inde nihil mens in ſomnio percipit, niſi quod antea in ſenſus incurrebat; item cum teſte experientia, mens noſtra diverſa phantasmata pro arbitrio vel combinet vel ſeparet, inde venit, quod ipſa in ſomnio (utpote nullis ſenſibus externis turbata, fortiſſimeque operans) plura ſæpius phantasmata, & plures imagines, antea ſeorſim perceptas, ita combinet, ut varia monſtra & terriculamenta quandoque enaſcantur; maxime ſi ipſum hominis temperamentum ad ejusmodi ideas præ aliis inclinet: e. g. librum legis cubitum diſ-

ceſ-

ırus de ſpectris: in ſomnio ergo
ıı.agines formidoloſæ occurrent,
ıe ita facile quoque ob ſimilitudi-
ſpectri, ſub facie horrida, for-
ue terribili apparentis, imaginatio
a ſpectris delabi poteſt ad bellum,
llo ad incendium, cædes, tormen-
m bellicorum fragores &c. dum
pe plures imagines rerum antea
um ob ſimilitudinem connectit,
ſeparat phantaſia. De cætero *ſom-*
eſt inter *vigilias* & *ſomnum* ſtatus
am medius. Nam ille ſtatus, in
res externæ in organis ſenſoriis
as mutationes producunt, *vigilia;*
ıutem, in quo anima nihil ſentit,
que ſibi imaginatur, *ſomnus* di-
.

CDLXXXIV. *Scholion.* Potentiæ ginandi filia quoque genuina eſt *po-a recordandi*, ſeu, ut uno verbo ur, *Memoria*: (CDLXXVII.) aſt niam hæc animæ *rationali* (de qua ſſimum hic agitur) in gradu longe *entiori* competit, quam animæ bru-m, utpote cum in homine ſit po-ia, ideas nedum *materiales* (ut in is *unice* contingit) ſed etiam *ſpiri-es*, ſemel habitas recognoſcendi

Etiam memoria ad potentiam imaginandi ſpectat.

pro iisdem, quas antea produxerat, & vel maxime, quia homo per *memoriam* æque ac per *intellectum* & *voluntatem* divinam quodammodo in ſe imaginem, ut Theologi, & Aſcetæ loquuntur, circumfert, inde potentiæ animæ cognoſcentis *ſuperiori* & *nobiliori*, mox declarandæ, *intellectui* ſcilicet, eam ſubjungendam eſſe putavi in *Art. IV.*

ARTICULUS II.

De
Potentia cognoſcitiva animæ, in parte rationali reſidente, ſive de Intellectu.

Intellectus. CDLXXXV. *Intellectus* eſt illa animæ vis ſeu potentia, qua res *percipimus*, de illis *judicamus*, unum ex alio, *ignotum* ſcilicet *ex noto*, *colligimus*, noſtrarumque cogitationum ſeriem ad verum tum inveniendum, tum aliis demonſtrandum recte *diſponimus*. Ita Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 314. adeoque omnes animæ facultates, in parte *ſuperiori* ſeu *rationali* reſidentes & prius enumeratæ, (CDLXXVII.) merito ad intellectum ſolum referuntur, atque in eo includuntur, & quidem forte

e multo magis, quam potentiæ *ſen*-
'i, *imaginandi*, & *fingendi* in una
ltate *cognoſcitiva materiali* conti-
ur. (*n. cit.*) Intellectus vocari
n ſolet Ratio, ſi nempe conſide- Ratio.
·, quatenus diſtinguit verum a
, & bonum a malo. Unde homo
ɪre *ratione* dicitur, qui optime ve-
diſcernit a falſo, & bonum a ma-
Alii autem *Rationem* vocant eam
æ facultatem, per quam illa *ne*-
veritatum univerſalium diſtincte
oſcit, isque propterea *rationi con*-
nter vivere dicitur, qui futuras
num ſuarum conſecutiones, fu-
nque felicitatem & infelicitatem
oculos mentis ſibi proponit, per
ue fere ſolam homo differt a bru-
ıtione carentibus: (licet juxta ple-
ıe Philoſophos analogum quod- Analogum rationis.
rationis vere iſtis competat, hoc
ut communiter definitur, *exſpe*-
caſuum ſimilium, de qua ſuo loco)
iam Politici regnorum & provin-
m incrementa aut collapſiones
a cum probabilitate prædicunt,
ınditionibus attente obſervatis, &
iis, quæ rerum publicarum conver-
s alio tempore vel præceſſerunt,
omitatæ ſunt, inter ſe compara-

tis, ſimiles caſus ſimilibus poſitis circumſtantiis exſpectantes.

CDLXXXVI. *Intellectûs perfectio* exinde deſumitur, quod ſibi 1. plurima, 2. diſtinctiſſime, & 3. *unico* tantum actu, (id quod ſoli Deo proprium eſt) vel paucioribûs ſaltem repræſentare valeat. Hæc vero ejus proprietas alio nomine mentis acumen nominari conſuevit, id eſt, facultas plura in una re diſtinguendi, prout & *acuti* cenſentur eſſe oculi, qui objecta minutiſſima diſtincte vident. Alia item intellectui adhuc proprietas competit, quæ proprio nomine ingenium appellatur, eſtque juxta alios ea vis, qua difficilia cognitu facile comprehenduntur, juxta alios vero eſt facultas *rerum ſimilitudines* obſervandi. Sic vulgo *ingenioſa* dicta nominantur, in quibus res plures inter ſe *comparantur*, rerumque convenientiæ eruuntur, ut ſunt Poetarum, *Virgilii*, præſertim & *Ovidii* fictiones ſeu fabulæ Poeticæ, a *comparationibus* tanquam ſtellulis exornatæ, itemque *Horatii* Satyræ, & Epigramata *Martialis* &c. Ingenium porro acuit vivax *imaginatio*, ac fidelis *memoria*, quæ rerum ſimillimarum notiones ſive imagi-

Acumen.

Ingenium.

ꝫs prompte ſubminiſtrat. Cæterum
ꝫnio junctum eſſe debet prudens
ICIUM, quod eſt vis clare, ſolide Judicium.
determinans circa rerum conve-
ntiam *vere* vel *apparenter* perceptam,
videque diſcernens, num *diſſimili-*
lateat ſub apprehenſa ſimilitudine
convenientia? hæc facultas ſi non
claro acutoque *ingenio* juncta ſit,
d inſtar optimi, at bono ſeſſore ac
ctore deſtituti equi in avia & de-
præceps ibit: hinc merito bonum
cium BONUS AURIGA dicitur, eoque
uinei præſertim *temperamenti* homi-
deſtituti eſſe videntur. (Log. *fol.*
.)

CDLXXXVII. Si intellectus alla- Attentio.
et, ut unius rei magis ſibi ſit con-
is, quam cæterarum, quæ ſimul
n illa re exiſtunt, tum *attendere* di-
ur. e.g. dum quis convivio præſens
nes cogitationes ſuas intendit in ſer-
nem, quem unus convivarum cum
miſcet, magis, quam in alias res,
is eo tempore ſibi repræſentare po-
at, illi ſermoni *attendit*. Et quidem
entio, ut loquitur *Baumeiſterus Met.*
543. ſuis gaudet gradibus; nam 1.
major eſt attentio, quo *diutius* quis

cogitationes ſuas ita poteſt in objecto aliquo defigere, ut ſingula, in objecto occurrentia membratim examinet, & perluſtret: econtra ut ſcribit Seneca *Epiſt.* 2. *attentioni, ſtudiorumque incrementis nihil magis nocet, quam deſultoria nonnullorum levitas, qui omnia curſim & properanter tranſmittunt.* (Log. *fol.* 321.) 2. Attentio eo major eſt, quo *pluribus* objectis ſimul eodem tempore poſſumus attendere. Sic de Julio Cæſare ſcribitur, quod *eodem tempore* 5. 6. aut 7. Epiſtolas de diverſis argumentis dictare potuerit, ſimulque cum amicis de rebus publicis, exercituque differere, eodem horæ quadrante, quo ipſe litteras ſcribebat. 3. Attentio major eſt, ſi quis *inter* multos *ſtrepitus*, &, dum multa objecta extrinſeca incurrunt in organa ſenſoria, rei alicui ita poteſt attendere, ut rerum, ſenſus ferientium, propemodum ſibi non amplius ſit conſcius. Sic teſte Livio Archimedes Mathematicus in immani tumultu, quo capta eſt urbs Syracuſæ, intentus erat domi ſuæ lineis ac circulis in pulvere deſcribendis, adeo quidem, ut omnino neſcius, quid in urbe ageretur? ab ignaro milite, quis eſſet? interfectus fuerit. Ea porro, quæ attentionem vel

mi-

minuunt, vel *augent*, dicta ſunt in Log. *fol.* 323. & 369. Ad attentionem porro reducitur etiam REFLEXIO, quæ, ſi vere inſpiciatur, nil aliud eſt, quam ipſa *attentio continuata*: cum nempe attentio ita per partes continuatur, ut omnes partes, in toto occurentes, ſpeciatim contemplemur, tum ille mentis noſtræ actus dicitur *reflexio*, juxta cit. Baumeiſterum §. 545. e. g. fac te *reflexionem* ſuper hortum inſtituere velle? an non omnibus ibi contentis per partes attendis? &c. Reflexio.

CDLXXXVIII. *Corollarium* I. *Sentire*, ac *in ſenſu proprio intelligere* multum inter ſe differunt; nam *ſentire* in genere ſumitur vel pro affectione ſeu *motione* organo impreſſa, vel pro ipſa *ſenſatione* (ſaltem *incompleta*) illius affectionis: utraque hæc operatio *amentibus* quoque, *inattentis*, imo & *brutis* eſt communis; vere enim *motiones* nedum in organis externis, ſed & earundem in cerebro imaginem ſeu *phantasma* materiale iſti recipiunt, indeque *ſentiunt*, ſaltem *incboate*: (CDLXXIX.) econtra *proprie intelligere* eſt ſpiritualem iſtius affectionis ideam producere, hoc eſt, non tantum illam ſenſationem Sentire, & intelligere differunt.

apprehendere, ſed & de ea *judicare*, atque ordinate *diſcurrere* (CDLXXXV.) quod non niſi *homini*, ut *rationali*, proprium eſt.

Judicium intellectûs Theoreticum, & practicum, ac ultimum.

CDLXXXIX. *Corollarium* II. Judicium non eſt actus *voluntatis*, ut voluit Carteſius, ſed *Intellectûs*, ut in logica dictum jam eſt; (*fol.* 152.) hinc, dum a Philoſophis æque, ac Theologis in *Theoreticum* & *practicum* dividitur, ſenſus non eſt, quaſi aliquod judicium, ſcilicet *Theoreticum*, ad intellectum quidem pertineat, alterum vero, ſeu *practicum*, ad voluntatem: ſed, ſicut ipſe intellectus dici ſolet *Theoreticus*, ſi circa contemplanda, & *practicus*, ſi circa agenda verſatur; ita etiam *judicium* appellatur *Theoreticum*, ſi non niſi *veritatem objecti* exprimat, e. g. dum judico: *anima eſt immortalis.* Judicium econtra erit *practicum*, quando intellectus voluntati dictat aliquid *faciendum*, aut *omittendum*, ſive *practicandum.* e. g. *animæ immortalis curam ſemper & ubique habeas* &c. & quidem ſi omnibus invicem comparatis & expenſis intellectus aliquid dictat, judicium practicum *comparatum* & *ultimum*, (ſeu tale, inter quod, & ipſam determinatio-

nem

nem voluntatis aliud intermedium non datur) ſecus vero judicium practicum *abſolutum* & *primum* nuncupatur, de quo paulo inferius.

Modus intellectiones producendi controverſus exiſtit.

CDXC. *Scholion.* Quod in homine detur potentia *intelligendi*, nullus eſt, aut unquam fuit, qui id in dubium vocaverit; intima enim conſcientia de eo nos omnino convincit: at vero *Modus*, quo anima noſtra ſpiritualis res non tantum *immateriales*, ſed & *materiales* ac corporeas percipere, earumque in ſe ideas cudere ſolet, usque adeo inter Philoſophos controverſus atque incertus exiſtit, ut eorum vel moleſtum ſit enumerare ſententias. Certe Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 2. *c.* 3. ingenue fatetur, *ſe in hac re quid non ſentiat, facilius, quam quid ſentiat dicere poſſe.* Et ſubdit: *Subſtiti pluries, & caput ſcalpſi, arrodique ungues, dum me ad ea de re differendum compararem: horrebat animus in avia ingredi* &c. Nihilominus ne in hac parte deficiamus, ſi non *certa* & *evidentia*, ſaltem *probabilia* ex utraque ſchola tam Peripateticorum quam Neotericorum proferemus: ſit ergo

AR-

ARTICULUS III.

Declaratur modus cogitandi in anima.

Modus cogitandi juxta Peripateticos.

CDXCI. PERIPATETICI ſequens Syſtema tenent. I. In primis præter quinque ſenſus *externos* admittunt etiam quatuor *internos*, (alii vero omnino quinque) nempe 1. *Senſum* communem,. in inferioribus partibus cerebri reſidentem, qui omnia externorum ſenſuum objecta, quaſi in unum cumulum confluentia recipiat, atque inter ſe dignoſcat. 2. *Phantaſiam*, ſeu *imaginationem*, (CDLXXXI.) quæ res *ſenſibus* perceptas conjungat, & ſit quaſi theſaurus imaginum ſenſûs communis. 3. *Cogitativam*, (in brutis *æſtimativam* vocant) quæ res *non ſenſatas*, ſed *abſtractas* e. g. *virtutem*, *honeſtatem*, *utilitatem* &c. percipiat. 4. *Memoriam ſenſitivam*, quæ imagines ſervet, easque ſuo tempore denuo quaſi præſentes ſiſtat. Philoſophi Conimbricenſes *l.* 3. *de anima c.* 3. *q.* 1. duas poſteriores potentias ad *Phantaſiam* revocant. II. Intellectus ab iis diſtingui ſolet in *agentem* & *patientem*, *patibilem* ſive *paſſibilem*.

Intellectus agens & patiens.

1*mus* eſt, qui, cum ex ſe nullam ſibi impreſſam habeat ideam aut ima-

imaginem, ab Ariſtotele *l.* 3. *de anima t.* 14. *tabulæ raſæ* aſſimilatur, interim tamen potentiâ gaudet, ex corporeis phantasmatibus, *puriori quadam*, (ut Cl. P. Corſinus loquitur *Phyſ. part. tract.* 2. *diſp.* 4. *c.* 4.) & *incorporea ſui luce irradiatis*, incorpoream ac intelligibilem quamdam ſpeciem abſtrahendi, ac efformandi, quæ deinde non amplius in *cerebro*, corporeis circumſtantiis permixta, ſed ipſi *intellectui*, (veluti roſæ imago in ſpeculo) a circumſtantiis ejusmodi ſeparata, depurata, & penitus ſpiritualizata, imprimatur. 2*dus* vero ſeu *patiens intellectus*, quem Ariſtoteles *loc. cit. c.* 6. *corruptibilem* atque *mortalem* eſſe putavit, eſt ille ipſe, cui ſpecies ejusmodi, ab intellectu agente abſtractæ, *imprimuntur*, & a quibus, tanquam objectorum, ut ajunt, vicariis, determinatus producit *cognitiones*, easque etiam in ſe recipit. Quare non dicitur *patiens*, ex eo, quaſi non *agat*, ſed quia ſpecies, (*accidentia abſoluta* juxta Peripateticos) a ſe, ut agente, excuſas ſimul ſinu velut ſuo excipit, & in actualem cognitionem efformat: unde etiam hi duo intellectus inter ſe a *parte rei* minime diſtinguuntur. III. Eadem porro *ſpecies*, quatenus intellectui

Species impreſſa & expreſſa.

lectui *patienti imprimitur*, ac eidem veluti inhæret, *impreſſa* dicitur, quatenus vero ab intellectu *agente* cuditur, abſtrahitur, atque percipitur, vocari ſolet *ſpecies expreſſa* ac *verbum mentis*, ex analogia *oris* loquentis; quod enim os *loquendo*, hoc præſtat mens cognoſcendo: ergo ſicut os loquendo facit *verbum*, ſic & mens cognoſcendo *verbum mentale* proferre dicitur. Illa vero *actio*, qua iſtud producitur, ſeu illa *cauſalitas* a Scotiſtis appellatur *dictio*, indeque in Theologia hi docent, filium divinum, tanquam *Verbum* Patris divini, ab eo procedere ſeu generari per *dictionem*, dum econtra Thomiſtæ defendunt, illam actionem intellectûs jam eſſe ipſum formale *Verbum mentis*. Sed de hoc Theologi. Jam ex dictis VV. Peripatetici *intellectionem* hoc modo fieri dicunt. 1. Objectum externum v. g. *lux* ſui ſpeciem ſeu imaginem (accidens abſolutum) imprimit organo ſenſorio, nempe *oculo*, mox anima in organo ſenſorio reſidens cum hac ſpecie, ſibi ab objecto *impreſſa*, producit aliam ſpeciem, ſcilicet *expreſſam*, qua proprie fit *lucis viſio*. 2. Hæc ſpecies expreſſa rurſus imprimit ſui ſpeciem in ſenſu communi, & quidem

Verbum mentis. Dictio.

impreſſam, qui ſenſus communis (vel potius anima ibi pariter præſens) facit denuo cum illa ſpecie impreſſa *expreſſam*. 3. Hæc rurſus communicatur *Phantaſiæ*, ubi res procedit, ſicut in *ſenſu communi*. 4. Idem contingit in *memoria ſenſitiva*. 5. Cum vero talis ſpecies continuo adhuc ſit *materialis*, adeoque inepta, ut in ſubjecto *ſpirituali* recipiatur, hinc intellectus *agens* depurat ejusmodi ſpeciem, & aliam exinde ſpiritualem in ſe ipſo, ut *patiens* eſt, producit. 6. Intellectus denique patiens cum illa ſpecie impreſſa producit *intellectionem* formalem, ſeu novam *ſpeciem expreſſam*, ac ſpiritualem *lucis* ideam, luci materiali *in repræſentando* omnino ſimilem.

Peripatetici vero juniores paulo aliter eam rem explicant, ex quibus Cl. P. Mayr *Phil. p.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *art.* 3. Intellectum in cognoſcendis rebus, & formandis ideis ita procedere autumat. 1. Objectum vel *immediate* per ſe ipſum, vel *mediate* per ſpecies a ſe emiſſas, applicatur animæ exiſtenti in organo ſenſûs externi, & cum eadem anima producit *ſenſationem externam*. 2. Anima *abſtrahit* hujus ſenſationis ſpeciem, organo ſenſus interni communicandam mediantibus

 ner-

nervis. 3. Concurrente hac ſpecie *objectum* non tantum, ſed & *ſenſatio*, in membro externo facta, percipitur a *phantaſia*, fitque *ſenſatio interna*, ſeu *Phantaſma*. 4. Ab hoc Phantaſmate mens quatuor omnino ſpecies (duas *phantaſticas*, & duas intellectuales) abſtrahit, quarum *una* objectum ipſum, *altera* ſenſationem externam repræſentat, memoriæ *phantaſticæ* inſervitura: *tertia* concurrit cum intellectu ad producendam aliam talis objecti ſpeciem ſpiritualem *impreſſam*, quacum dein intellectus ſpeciem directam *expreſſam*, ſeu hujus cognitionem *ſpiritualem* producit. 4ta Denique ſpecies, etiam *ſpiritualis*, ſervire debet memoriæ *intellectivæ*, quæ manet in anima poſt mortem hominis.

Modus cogitandi juxta Neotericos.

CDXCII. Neoterici econtra miſſis tot ambagibus (eoquod *ſimplicitatem* natura amet, & ſequatur) cenſent, *cognitionem ſpiritualem* ita produci. (Conformiter ſuperius dictis. (CDLV.) I. Certum in primis habent, ideam ſive notionem rei, ut ſæpe jam dictum eſt, nil aliud quam certam *animæ modificationem* exiſtere; hæc nempe diverſas res intelligere tunc dicitur, cum ita

vel

vel ſe ipſam *modificat*, vel ab alio *modificatur*, ut rebus ipſis *ineffabili* quodam *modo* ſimilis fiat. II. Non minus pro demonſtrato habent, quod humana mens *ex virtute ſibi innata* rerum ideas in ſe producat, idque patere liquide volunt tum ex rejecto Carteſii, & *Occaſionaliſtarum* Syſtemate, (CDXXXIX.) tum ex eo, quod ideis *innatis* mens careat, (Log. *fol.* 634.) tum vel maxime ex *paritate* inſolubili de vi animæ congenita, ſuas *appetitiones*, ſeu *volitiones* & *nolitiones*, active producendi, quæ itidem nil aliud ſunt, niſi certæ quædam *modificationes* mentis: ergo ſi iſtas poteſt producere citra ullam abſurdam ſequelam, etiam illas active ſic cudere valebit. III. Pariter quia mens ita poteſt *vi ſua* in quodcunque *bonum* libere tendere, ut ad nullum bonum finitum ſit ex ipſa ſua natura *determinata*, etiam certiſſime inferunt, quod illa ipſa ſic poſſit rei cujusvis *ideam* in ſe producere, ut ad nullam ſit *per eſſentiam ſuam* determinata, eo ipſo, quia omne verum bonum eſt, & omne bonum verum, (LXXXIII. & XCIX.) nihilque mens appetere valet, niſi cognitum a ſe fuerit. IV. Cum igitur mens *ex ſe* ac *intrinſece* ad omnem

Intellectus vi ſibi propria cudit ideas.

perceptionem eliciendam prorſus indifferens ſit, eget ſolummodo *extrinſeco quodam determinante*, ut ab indifferentia in actum exeat, uniusque potius quam alterius rei perceptionem ſive ideam in ſe producat; ſecus enim absque *ratione ſufficiente* aliquid fieret. V. Quia autem omnis *potentia* determinatur ab *objecto* non ſolum ad ſimpliciter operandum, ſed etiam ad ita operandum, ut hunc potius, quam alium in ſpecie actum eliciat, (*potentiæ* enim, ut axioma habet, *ſpecificantur per actus, & actus per objecta*) etiam intellectus, tanquam *potentia cognoſcitiva*, ita determinatur a ſuo objecto. *Subſ.* Atqui objectum intellectivæ potentiæ ſunt *res*, quæ cognoſcuntur, ſive per ideas exprimuntur: ergo res ipſæ, quarum ideas mens producit, ſunt id, quod mentem, ad eas producendas *intrinſece* indifferentem, *extrinſece* determinat. VI. Porro, quia nulla res *ſenſibilis*, extra nos exiſtens, ita menti noſtræ præſens exiſtit, ut *in ſe ipſa* percipi a nobis queat, ut apud omnes in confeſſo eſt, ſed ſolum *in imagine*, ſeu *phantasmate*, quod ex rei ſenſibilis motione, in cerebro recepta, efficitur; hinc dici debet, quod ejusmo-

modi imago, ſeu *phantaſma*, quod vicem ipſius *rei* ſive *objecti* gerit, ſit illud ipſum, quod mentem corpori copulatam *extrinſece* & quidem *immediate* determinat ad rei ſenſibilis ideam producendam. Id videre eſt in *ebriis* & *amentibus*, in quibus ob læſum vel perturbatum phantaſiæ organum, (cerebrum) adeoque propter phantaſma vel ſublatum vel vitiatum, anima in producendis ſuis operationibus manifeſte impeditur. VII. Quod autem mens humana a *ſolo phantaſmate* (ſive certa fibrarum cerebri commotione, ex ſpirituum animalium, ibi diſcurrentium agitatione, aut tenſione fibrillarum proveniente, juxta modum ſuperius declaratum (CDLXXIX.) *imediate* ita determinetur, ut nulla ſit neceſſitas adſtruendi *qualitatem*, ſive ſpeciem *ſpiritualem impreſſam*, quam requirunt Peripatetici, (*n. præc.*) iterum a pari probant. Poteſt namque *phantaſma* (juxta eosdem Peripateticos) *immediate* intellectum determinare ad hujusmodi *ſpeciem impreſſam ſpiritualem* producendam: ergo etiam determinare ipſum immediate poteſt ad producendam ideam, ſive *cognitionem formalem ſpiritualem*; nequit namque animo compre-

Et quidem dependenter a ſolo phantaſmate, absque alia ſpecie impreſſa.

hendi, quomodo ad præſentiam phantaſmatis cudere queat mens *ſpeciem* rei *impreſſam*, quin *rem ipſam* in phantaſmate prius attingat: ergo *citra ambages*, id eſt, ſine hac *ſpecie impreſſa*, poteſt anima *immediate* determinari ad producendam ſpeciem *expreſſam*, ſive cognitionem ſpiritualem. Dein patet etiam ex alia *paritate*. Poteſt videlicet anima, ſuppoſita *cognitione* boni, *bonum* immediate ſic appetere, ut nullo indigeat medio ad eliciendam volitionem: ergo etiam, ſuppoſito datoque *phantaſmate* (ſive motu aliquo, ab objectis mediate vel immediate exterioribus corporis partibus impreſſo, indeque per ſpiritus animales in nervis diſcurrentes ad cerebrum transmiſſo) absque alio medio, ſive ſpecie *impreſſa*, ab illo phantasmate diſtincta, elicere poteſt *cognitionem ſpiritualem* directam &c.

Nec dicant Peripatetici, opus eſſe ſpecie impreſſâ ad rei notionem producendam, propterea, quia inter *ideam* rei ſpiritualem, ejusque *corpoream imaginem* in cerebro depictam nulla ſit proportio. Nam

Con-

Contra eſt. Si nulla eſt proportio inter *phantaſma* materiale, & *cognitionem* ſpiritualem, quomodo ea eſſe poterit inter idem *phantaſma*, & *ſpeciem impreſſam*, quæ eſt æque *ſpiritualis* affectio mentis, ac ipſa *cognitio*? & conſequenter vel neque *ſpecies impreſſa* ad præſentiam *phantaſmatis* produci poteſt ab intellectu, ideoque nulla eſt; vel etiam ipſa *rei idea* absque ſpecie *impreſſa*, ad ſolam *phantaſmatis* præſentiam immediate produci ſic valet. Solida profecto *diſparitas* dari non poteſt: eaque de cauſa, ut breviter dicam, iſtud Syſtema Peripateticorum Syſtemati longe præferendum eſſe alii judicant; quia, *quæ poſſunt fieri paucioribus, non explicanda ſunt pluribus*, uti tamen in ſententia Peripateticorum contingere, & quidem *absque neceſſitate*, manifeſtum eſt.

CDXCIII. *Corollaria* I. Quoniam admittenda non eſt *ſpecies impreſſa*, diſtincta a *phantaſmate*, multo minus admittendæ ſunt eæ *qualitates*, aut *ſpecies* Peripateticæ, per quas *ſenſatio*, in organo exteriore facta, propagetur ad organum ſenſûs interni; cum propagationem iſtam per ſolum *organorum* mo-

tum, & *ſpirituum fluxum*, *animæque actionem* fieri ſatis pateat. II. Ex hoc ipſo, quod mens in producendis rerum ideis dependeat a *phantaſmate*, phantaſma vero ſit *imago*, vel potius *motio*, ex rerum *ſenſibilium* appulſu in cerebro excitata, neceſſario ſequitur, mentem noſtram, quamdiu corpori copulata eſt, in efformandis rerum cognitionibus quibuscunque, vel *immediate*, vel *mediate* dependere a *ſenſibus*, proinde etiam ideis *innatis* omnino carere, ut in *Log. diſput.* dictum eſt. III. Illa ſingula, quæ Cl. P. Malebranche obiicit contra vim *activam* animæ ideas producendi, aptiſſime *retorqueri* poſſunt in *potentiam volendi*, ac *nolendi* in eadem anima; nam ſi mens gaudet virtute *activa* volitiones & nolitiones producendi, citra quod aliquid abſurdum, aut potentiæ *finitæ improportionatum* ſequatur, poterit utique eodem modo potentia ideas eliciendi *activa* eidem competere, ad præſentiam *phantaſmatis* eam determinantis: ſane ſicut *ignis* nullo alio indiget principio externo impellente vel determinante, ut lignum ſibi debite præſens *active* comburat, eoquod ad lignum ſibi aſſimilandum, poſita debita approximatione, *ex ipſa ſua*

Momenta, quæ obiicit Malebranchius, diluuntur.

natura determinatus ſit; ita nec mens extrinſeco monitore (*Deo* ſcilicet ſpecialiter aſſiſtente, vel *ſpecie* quadam Peripateticorum *impreſſa*) indiget, ut rei ſimilitudinem, quamprimum ſibi debite præſens res ipſa fuerit, in ſe producat, quia iſtiusmodi quoque eſt ipſius mentis natura, ut poſita præſentia objecti, ei aſſimilari, ſive illius imaginem in ſe ipſa, inſtar ſpeculi, innata ſua vi cudere valeat. Ita Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 319. IV. Falſum eſt, quod *vis activa* producendi ideas ſit *participatio divinæ potentiæ*, imo mentem ipſam *a Deo independentem* conſtituat, ut idem Malebranchius aſſerit; nam, præterquam quod hoc non ſequatur ex pari virtute *activa* producendi *volitiones*, etiam *eſſentia* rei cujusvis vere dicenda eſt aliqua divinæ eſſentiæ participatio, (LII.) quin propterea creatura quoad realitatem eſſentiæ ſit a Deo *independens*, ſic etiam vis producendi ideas poteſt eſſe *participatio divinæ potentiæ*, quin idcirco ipſa mens a Deo ſit independens. V. Falſum itidem eſt, quod rerum *ideæ* ſint *nobiliores* & *perfectiores*, quam *res*, de quibus formantur; nam ipſæ non ſunt *res*, ſed *modi* tantum, non *ſub-*

ſtantiæ, ſed *accidentia* & *modificationes* animæ, nec a mente *creantur*, ut idem vult; ad *creationem* enim neceſſario requiritur, ut res, quæ *creari* dicitur, non ſolum ex nulla præexiſtente ſui *parte* fiat, verum etiam ut *independenter a ſubjecto inhæſionis* producatur: ideæ vero, etſi non fiant ex corporeis impreſſionibus, quas cerebrum accipit ab objectis, tanquam ex aliqua ſui *parte* præexiſtente, neque tanquam ex *ſubjecto*, in quo *recipiantur*, non ſecus tamen ac *figura* v. g. aut alius *modus*, in fieri, eſſe, & conſervari ab ipſa *mente*, tanquam *ſubjecto inhæſionis* dependent.

VI. Illa denique *paritas*, quam citatus Melebranchius affert de *pictore*, potentiam *active* producendi ideas menti non adimit; nam vere quidem pictor, quantumvis peritus, aliquam urbem, aut animal, quod nunquam vidit, & cujus nullam ideam habet, *ad vivum*, ut ajunt, depingere nequit; bene vero mens objecti cujuspiam ideam, quam antea non habuit, primitus efformare valet; corporea ſiquidem pictoris ſtructura talis haud eſt, ut illius manus absque alio dirigente norit imaginem ipſam efficere: econtra ea eſt animæ rationalis natura, ut, quemadmodum

ad

ad præſentiam *boni* actum *volitionis* libere exercet, ita etiam, quamprimum res aliqua vel in ſe, vel in imagine, ſeu phantasmate, debite præſens ipſi fuerit, illius *ſimilitudinem* ſive *ideam*, in ſe cudere poſſit, (*n. præc.* II.) Ut ſæpe jam dictum eſt.

CDXCIV. *Scholion.* I. Litem non modicam Recentiores quidam adhuc movere ſolent, num mens humana, corpori copulata, *continuo cogitet*? ſive num *potentia* intelligendi *actum* ſibi perpetuo annexum habeat? affirmat hoc Carteſius cum ſuis, & quidem ex conſequenti doctrinæ ſuæ, qua voluit, animæ eſſentiam in *actuali cogitatione* conſiſtere, haud ſecus ac naturam *corporis* in *actuali extenſione* ipſe collocaverat. Carteſio ſubſcribit etiam Wolfius, qui, cum *mentis eſſentiam* velit conſiſtere *in vi repræſentativa univerſi, ſitu corporis organici in univerſo materialiter, & conſtitutione organorum ſenſoriorum formaliter limitato. Pſych. rat.* §. 66. inde ait §. 191. *anima etiam in ſomno producit ideam totius univerſi, qualem vigilans producit, ſed obſcuram, ſeu totaliter confuſam.* (CDXLIII.) aſt alii multo plures Philoſophi negant, aut

Mens humana non ſemper cogitat.

ſaltem

ſaltem cum Cl. P. Fort. a Brix. *Met.* p. 2. §. 352. rem in medio relinquunt, nihilque decidunt, tum quia *ex una parte* experientia non evincit, nunquam (ne in alto quidem *ſopore*, vel in *utero* materno, ac *infantia*) otiari mentem poſſe, neque ſatis demonſtratum eſſe volunt, mentem etiam in *vigilia* corporis quandoque omni cogitatione carere non poſſe. Tum quia *ex altera parte*, etiamſi in ſomno expergefacti minime nos cogitaſſe recordemur, *certi* tamen exinde non ſumus, nos in ſomno nil cogitaſſe, ſecus etiam dici poſſet, quod neque *vigilantes* tunc, quando vel maxime cogitavimus, intellectiones quasdam elicuerimus, eoquod eorum, quæ tunc animo complexi fuimus, tanta nos ſæpe *oblivio* ſubjerit, ut ne confuſe quidem in memoriam revocare illa valeamus. Ego vero cum pluribus hac in re ſentio, de intellectus ſcilicet humani eſſentia non eſſe, ut ſemper *actu* cogitet, ſicut & *actualem* cogitationem mentis eſſentiam eſſe pernego, utut non diffitear, proprium, primumque veluti *characterem*, (proprietatem) quo mens a rebus omnibus diſtinguatur, eſſe *cogitationem*, (CCCLXXIV.) divinæque ſimilem

quod-

quodammodo hominis naturam clarius & illuſtrius in *actuali cogitatione* efful-gere; quare, ſicut *corpus*, conformiter ſupra dictis (CLXXXVI.) non conſi-ſtit in *actuali* extenſione, ſed ſolum in *radicali*, ita mens revera eſſe & dici valet *ſubſtantia cogitans*, etſi *actu* non ſemper cogitet, quemadmodum etiam homo *animal rationale* dicitur, licet a *ratiocinando* frequenter ceſſet, itemque *riſivus*, etſi *actu* non ſemper rideat &c. Etenim commune & celebre effatum eſt, quod *operari ſequatur* primum *ad eſſe*: ergo mens ipſa (cogitandi capax) ſupponi in ſuo *eſſe* debet, antequam actualiter hanc vim *operando* exſerat; præſertim cum ſoli Deo videatur pro-prium eſſe, ut, cum infinite *ſimplex* ſit, ab operatione propria non diſtingua-tur; res vero creatæ, quæ imperfectæ ſunt, partim *actu*, partim *potentia* com-ponantur: ideoque *actualis* cogitatio non mentis *eſſentia*, ſed ſolum ipſius *proprietas*, & *affectio* habenda eſt. Ita Cl. P. Corsinus. *Phyſ. part. tr. 2. diſp. 4. c. 1. §. 5.* Accedit, quod intelle-ctus animæ rationalis non ſemper (ſal-tem pro hoc rerum ſtatu) habeat po-tentiam *proxime* expeditam ad operan-dum, tum ex vitio aut defectu *orga-*

no-

norum ſenſoriorum, tum etiam *phantaſmatis* &c. a quibus tamen in cogitando dependet, ut mox dictum eſt; aut ſane quis credat, quod infantis anima mox altero aut tertio creationis ſuæ inſtanti (in quo necdum perfecta habetur *organizatio*, nec ideæ dantur innatæ;) vere *cogitet?* denique mens poteſt libere ceſſare a *volendo*: ergo etiam ab *intelligendo*. &c.

Objectū intellectûs adæquatū, CDXCV. *Scholion.* II. Cum nullum ſit ens, quod ab intellectu humano non poſſit *aliquo modo* cognoſci, (omnia enim ſcire, appetitu innato ipſa cupit; hic autem appetitus, a natura datus, fruſtra non eſt) hinc *objectum* illius *adæquatum* (Log. *fol.* 603.) ſecundum naturalem *inclinationem*, ut ajunt, eſt ens *finitum*, & *infinitum* in tota ſua latitudine, dummodo *ideam* de ea formare poſſit: ſecundum *attingentiam* vero *naturalem* pro ſuo objecto reſpicit ſolum ens *finitum*, quia ad hoc ſolum cognoſcendum *naturaliter* ſe poteſt extendere: econtra ad ens *infinitum* adæquate cognoſcendum ex natura quidem ſua *inclinationem*, ſeu *capacitatem* habet, nequit tamen *propriis viribus* illam capacitatem *explere*, atque ad actum

in

in hac vita mortali redigere, quamvis *inadæquate* & *a poſteriori* cognoſcere pariter valeat, *quod* detur ejusmodi ens, ut paulo poſt dicetur, non vero *quid* ſit? cum ſibi *ideam* de ejus *eſſentia* formare nequeat. Quia porro ens per ideam exprimi nequit, niſi quatenus eſt ſuo exemplari conforme, & ideo *verum*, (LXXXII.) ea de cauſa ens reale, generatim ſumptum, *prout verum*, eſt *objectum intellectûs*, & quidem vel *motivum*, ut ſcholæ loquuntur, ſi nempe moveat ad ſui intelligentiam, imprimendo *ſpeciem* ſeu *phantaſma*, aut *motionem*; vel *terminativum*, ſi ſolummodo *terminet* reſpectum intellectûs, absque ejusmodi ſpeciei impreſſione. Sic reſpectu intellectus divini Theologi ſcholaſtici docent, quod eſſentia divina ſit ejus objectum *motivum*, creaturæ vero ſint objectum illius *terminativum*. At reſpectu intellectus creati dici poteſt, quod entia *materialia* & *corporea* ſint objectum ipſius *motivum*; entia vero *ſpiritualia*, quæ ſolum *abſtractive* cognoſci queunt, (Log. *fol.* 642.) ſint objectum illius *terminativum*.

Motivum & terminativum.

AR-

ARTICULUS IV.

De *Memoria*.

Memoria

CDXCVI. *Memoria* paſſim definitur, quod ſit *animæ vis*, *ſeu facultas*, *notitiam rei præteritæ reproducendi*, *quamprimum volumus*, *ſine ſenſorii externi immutatione*, *cum intimo tamen ſenſu*, *rem eandem olim a nobis eſſe perceptam*. Per τὸ *rei præteritæ* &c. differt a *ſenſatione* ac *intellectione*, quæ circa res *præſentes* verſantur. Per τὸ *ſine ſenſorii externi immutatione* ſimiliter a *ſenſatione* diſtinquitur. Denique per hoc, quod mens debeat eſſe *intime ſibi conſcia*, *rem eandem a ſe fuiſſe jam cognitam*, diſcrepat a *reminiſcentia*, ſive ſimplici *recordatione*, quæ *memoriæ evaneſcentis recuperatio* dicitur, vel, ut alii eam definiunt, *facultas mentis noſtræ*, *perceptiones præteritas*, *circumſtantiarum quarumdam adminiculo*, *recognoſcendi*, & *obſcuras ideas commutandi in claras*. Sic v. g. ſæpe quis ſentit, nomina quædam in Hiſtoriographo lecta, & centies olim in ore habita, ita ex animo evanuiſſe, ut adhibito omni ſtudio, ea ſibi jam non amplius incidant: aſt in momento

Differt a ſenſatione, intellectione, & reminiſcentia.

illa

illa nomina, quorum ideæ obliteratæ videbantur, ad animum recurrunt, idque ope vel aliarum vocum, quæ ſimilis ſunt pronuntiationis, vel plurium circumſtantiarum, quas *loci*, vel *temporis* ratio ſuppeditat; tum illorum *reminiſcentiam* ſive *recordationem* accipimus; non vero *memoriam*. Cæterum quia omnes ejusmodi mentis operationes re ipſa nil aliud ſunt, quam *cognitiones*, & *actus intellectûs*; hinc a plerisque *memoria* ad *intellectum*, tanquam *pars* ad ſuum *totum*, revocatur. Intellige tamen de *memoria hominis*, quæ etiam propterea *intellectualis* dicitur, non vero de *memoria* pure *ſenſitiva*, quæ homini cum *brutis* communis eſt, quæque ad potentiam *imaginandi*, ſeu *cognoſcitivam*, in parte *animali* reſidentem, aptius reducitur. (CDLXXVII. & CDLXXXIV.)

CDXCVII. Cum potentiæ ſenſuum internorum, æque ac ipſa mens, *ex ſe* non ſint determinatæ ad eliciendas *has* potius, quam *alias* cognitiones, ideoque debeant *determinari* ab ipſo objecto, vel ejus potius *imagine*, (CDXCII.) quæ ab objecto excitatur, & cerebro communicatur; cum item objecta, ſeu Lis de ſpecie rememorativa.

 res,

res, quarum mens habere *memoriam* cupit, non amplius exiſtant, aut ſaltem non ſint præſentes, *determinatio* illa fieri debet per aliquid aliud, quod vices objecti ſuppleat, & communiter *ſpecies rememorativa* appellatur. Aſt longa iterum Peripateticos inter ac Neotericos controverſia agitatur, in quonam *ſpecies* ejusmodi *rememorativæ* conſiſtant; & quanam ratione modo *hæ*, modo *aliæ* excitentur? & primo quidem

Sententia Peripateticorum.

CDXCVIII. Peripatetici, ut paulo ante dictum eſt, (CDXCI.) aſſerunt, quod anima a *phantasmate*, ſive ſenſatione interna abſtrahat duas ſpecies *phantasticas*, quarum una repræſentet *ſenſationem* externam, altera *objectum*, in ſenſus externos incurrens. Jam vero per has ſpecies phantaſticas, in anima, & ſenſûs interni organo receptas, rite coordinatas & ſtabiles, explicant ipſi memoriam, dicentes, quod ſit ea animæ potentia, quæ ope *ſpecierum relictarum* recordetur tam præteritorum *actuum*, quam *objectorum* prius cognitorum. Has *ſpecies rememorativas* (quas putant eſſe *accidentia abſoluta*, & *qualitates* ſuperadditas potentiæ cognoſcitivæ) ad memoriam *brutorum*, *ſomnia*que ho-

hominum dormientium explicanda neceſſario admittendas eſſe contendunt. Præter has vero ſpecies *phantaſticas*, memoriam tanquam partem ſenſûs interni conſtituentes, Peripatetici adſtruunt ſpecies *intellectuales* rememorativas, ſive *reflexas*, quas anima a cognitione ſpirituali abſtrahat, & deſtructa etiam *cognitione*, ſeu perceptione conſervet, hasque neceſſarias eſſe judicant ad hoc, ut anima rationalis ſeparata a corpore recordetur eorum, quæ egit quondam in vita ſua. At vero

CDXCIX. Neoterici, quia docent, quod ſola organorum *motio*, diverſaque ſpirituum animalium undulatio, a ſenſu exteriore ad internum propagata, animam (CDXCII.) ad perceptionem *directam* objectorum ſenſibilium immediate determinet, quin admittantur *ſpecies ſenſibiles* in ſenſu Peripatetico: ita quoque judicant, quod ob ſimilem ſpirituum impulſum, motionem, ſeu *phantasma*, anima determinetur ad perceptionem *rememorativam*. Rem igitur ſic explicant. I. Neceſſe eſt, inquiunt, ad *memoriam*, ut aliquid ex prima rei cognitione relictum in cerebro fuerit, ratione cujus moveri illæ fibræ, ut an- Syſtema Neotericorum.

tea, quamprimum vult anima, iterum poſſint. Id autem non poteſt eſſe, niſi *mechanica* quædam *affectio*, ex prima rei cognitione ab ipſis fibris contracta. II. Utut vero Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 2. §. 448. velit, explicari phyſice non poſſe, quæ & qualis ſit illa affectio mechanica, in fibris relicta? alii tamen communiter docent; quod undulatio ſpirituum, conſequens ad impreſſionem corporum, & requiſita ad phantaſma, efformet in cerebro certas veluti *ſtrias*, *ſulcos*, *cavernulas*, *plicas*, *canales &c.*: item quod fiat fibrarum nervearum, ex quibus innumeris contextum eſt cerebrum, aliqua *mutatio*, *implicatio*, *divulſio*, *corrugatio*, *criſpatio*, *levigatio*, *pororum dilatatio* &c. III. Has itaque cerebri affectiones, diutius manentes, vocant ſpecies *rememorativas*, ſive *memoriam habitualem materialem*. IV. Quodſi iidem ſpiritus alia vice, ob cauſam quamcunque iterum ad cerebrum appellunt, tunc per factas ſtrias & cellulas moventur *eodem modo*, quo movebantur antea: item illæ fibræ afficiuntur, ut prius; unde etiam anima determinatur ad formandas *ideas ſimiles* iis, quas antea ob ſimilem motum formaverat, ſicque cognoſcit idem, quod

prius

prius cognoverat: V. & conſequenter *memoria*, quatenus eſt in *organo* corporeo, nil aliud eſt, quam *veſtigia* quædam, a motibus ſpirituum animalium relicta, in quæ ſi ſpiritus animales denuo incurrant, easdem determinationes efficiunt, quæ factæ ſunt ab objectis præſentibus, & in ſenſus incurrentibus.

D. Per hanc ſuam ſententiam Neoterici perquam feliciter pene ſingula *memoriæ phœnomena* explicant, hoc modo. I. *Non omnes homines æquali memoriæ vi pollent*, ſed alii *citò*, alii *tarde* memoriæ aliquid imprimunt, alii *res plures*, alii *pauciſſimas* retinent: quin etiam idem homo pro ætatis varietate ſentit ſæpius immutationem ſuæ memoriæ. *Ratio* eſt diſpoſitio varia fibrillarum, cerebri, ſpirituum &c. (cæteris ſaltem paribus) mollior namque materia facilius recipit impreſſiones, dura tardius; itemque fibrillæ magis vel minus tenſæ, breves aut longæ cito aut lente communicant impetum. Hinc *juvenes* meliori plerumque pollent memoria, quam aut valde *pueri*, aut valde *ſenes*; nam in valde *pueris* mollior cerebri ſubſtantia acceptam in prima rei cognitione impreſſionem

Memoriæ phœnomena declarantur.

non conſervat: in *ſenibus* vero nimis rigidæ cerebri fibræ vix amplius ullam ejusmodi impreſſionem ex illo ſpirituum animalium motu, quem prima rei notio excitat, recipiunt: econtra fibræ *juvenilis* cerebri (utpote neque nimis rigidæ, neque nimis laxæ) impreſſionem ex motu ſpirituum animalium, inſtar ceræ, non modo facile recipiunt, ſed etiam diu retinent. *Senes* eadem de cauſa præteritorum bene recordantur, præſentia tamen ac nova ægre capiunt; deficiente nempe humiditate, aut evaneſcentibus ſenſim ſpiritibus, aut obſtructis meatibus deficit organum memoriæ, neceſſarium ad ſpecies recentes rite firmandas, utut ſufficiat annoſis impreſſionibus apte reſuſcitandis, ob cerebri fibras, ſatis induratas ac rigidas, firmius infixis ac radicatis: unde frequenter ſenes, heſternæ diei vix memores, ea, quæ in juventute ſibi acciderunt, vivaciſſime exponunt. II. *In ſomniis recordamur eorum, quæ per diem tractavimus.* Quia videlicet ſpiritus animales agitantur, & per loca ſibi nota (ferme ut curſor per vias ſibi notas) diſcurrunt, uti de die agitatæ diſcurrebant: ſi autem agitentur *motu* quodam *inſolito*, etiam ſomnia ingruent de

de rebus, quæ nunquam antea in mentem venere. Illi vero qui noctes *inſomnes* tranſigunt, obliviosi fiunt ut plurimum, tardæque memoriæ, noxii enim aut ſuperflui humores, per ſomnum ordinatum alias digerendi & conſumendi cerebrum occupant, nebulæque inſtar obtegunt, ac obſtruunt, III. qui *facile*, *brevique* tempore res e memoria diſcere ſolent, earundem facile rurſum obliviſcuntur; econtra qui *difficulter* & per longum temporis ſpatium addiſcunt, *diu*, cæteris paribus, illas retinent; fibræ quippe cerebri eam impreſſionem facile amittunt, quam *facile* recipiunt, illam vero ægre, quam non niſi *cum difficultate* ſibi imprimi patiuntur. Ferme ſicut longius durant characteres, lapidi aut æri difficulter inciſi, quam in arena aut papyro facile deſcripti. IV. *Illorum facilius nobis memoria redit, quæ per ſenſus externos, quam quæ ſola imaginatione primo percepimus; fortius* enim atque validius in *externa*, quam *interna* ſenſatione fibræ cerebri commoventur; indeque etiam facilius *prior*, quam *poſterior* motio reſuſcitari valet. Hinc ea plerumque, quæ in ſomnio imaginati ſumus, facile e memoria dilabuntur non item ea, quæ vigilantes percepimus.

V. *Quæ valde nobis mirabilia videntur, ea tenacius memoriæ imprimimus*, ratio eſt eadem, quæ mox data eſt: unde & *puerorum* felicior memoria explicari quoque valet, utpote quibus fere omnia inſolita ac nova videntur. VI. *Tam nimia cerebri ſiccitas, quam nimia ejusdem humiditas vim memoriæ minuunt; prior* namque, ut de *ſenibus* dictum eſt, impedit, ne cerebri fibræ impreſſionem ex ſpirituum animalium motu tam facile recipiant; *poſterior* vero efficit, ut recepta impreſſio firmiter infigi, diuque ſervari nequeat. VII. *Frequens exercitium memoriam auget, ac perficit;* nam fibræ per frequentem motum ad alios ſimiles fiunt magis expeditæ, ferme ſicut pannus, aut charta ſæpius complicata. e. g. In cylindrum, facile figuram, cui aſſuevit, induit, latentes quoque intra easdem ſpiritus animales, dum identidem per illas decurrunt, continuo ſervant apertos meatus, ad organum phantaſiæ ſive cerebrum ducentes, unde vel pauldlum vellicatis fibris ad dictum cerebrum denuo trita veluti via deferuntur. VIII. *Nimii affectus obſunt memoriæ*, id experiuntur *timidi*, ac de ipſa memoria nimium anxii, nam ſpiritus animales in majore copia agitati, ac inor-

inordinate diſcurrentes eo ipſo turbant ordinem ſpecierum rememorativarum. Idem videri poteſt in nimis *iratis*, vel æſtu diſputationis abreptis, quibus eo modo affluunt ſpiritus incenſi, ut iis exprimendis impar mens hæreat, & lingua balbutire incipiat. Eadem de cauſa in calidis febribus eveniunt *deliria*, quia ſcilicet ſpiritus animales agitantur turbato ordine jam in hanc jam in illam partem, ex quo dein anima determinatur ad varias rerum cognitiones, nullum inter ſe ordinem habentes. IX. *Quidam morbi ita memoriæ officiunt, ut eam omnino extinquant.* Tunc videlicet, quando tam *irregulares*, ac *vehementes* in cerebro motus excitantur, ut mechanica fibrarum cerebri diſpoſitio penitus immutetur. In aliis tamen morbis *per aliquod* ſolummodo *tempus* memoria deficit, ſi nempe cerebri veſtigia ab extranea quadam ad tempus obſtruantur materia, quæ ſi ſenſim diſſipetur, etiam memoria revertitur, X. ob datam mox cauſam *Tabaci uſus immodicus memoriam lædit;* nam fieri ut plurimum ſolet, ut halitus tabaci ſubtiliores obſtruant illos meatus, per quos ſpiritus animales notâ alias viâ diſcurrebant. XI. *Datur mira connexio ſpecierum,*

hoc eſt, ſi forte rei alicujus meminimus, omnia, quæ circumſtant, ſimul animo occurrunt: e. g. hominis vultus, habitus, ſermo, homines cum ipſo præſentes &c. *Ratio* eſt, quia fibrillæ cerebri *eodem ordine*, & *eadem modificatione* ab affluentibus ſpiritibus tanguntur, & vellicantur, quo Prius tangebantur. Plurimum quoque confert agilitas per *uſum* acquiſita, & *conſuetudo*: ſic de Cyro Rege narratur, quod in exercitu ſuo numeroſiſſimo cunctos ſingulatim alloqui, ac proprio nomine compellare ſolitus ſit. XII. *Audito rei nomine ſimul in rei ipſius cognitionem venimus;* eo enim tempore, quo memoriæ mandavimus *nomen* & *rem*, ſpiritus animales fibrillas quoque, proxime invicem contiguas, undulatione ſua modificarunt; hinc etiam deinceps motâ unâ movetur altera, fere ſicut undula alterius undulæ regularem motum determinat. Inde venit, quod puer in medio verſiculi hærens pergere poſſit, ſi eundem verſiculum ſemel ac iterum ab initio repetat; nempe aut *fibræ* eædem majore, & repetito impulſu agitatæ, ad alias paululum diſtantes, nec rite agglutinatas pertingunt, aut *ſpiritus animales* repetito ſic itu ac reditu viam unde unde obſtru-

ctam

ctam perrumpunt. Ita etiam ex quodam naturæ inſtinctu pueri caput ſcalpunt, ut fibræ concutiantur, ſpiritusque animales excitentur. Et ſic loqui licet de aliis phœnomenis &c.

DI. *Corollarium.* Cum ex hactenus dictis abunde reluceat, quod *memoriæ* diverſitas a cerebri *mollitie*, *ſiccitate*, *denſitate* &c. habeatur, jure cum Neotericis aſſerendum eſſe cenſeo, quod memoria humanæ mentis, corpori conjunctæ, dependeat a *mechanica* quadam fibrarum cerebri *affectione*, & ſpirituum motu, maxime ex analogia ſupra dictorum. (CDXCII.) Certe ſi *qualitas* adſtruatur (præterquam quod *inanis* ſit *terminus*) plane non explicatur, quomodo ea *ſpecies* ſeu *qualitas* ſit imago objecti? & quanam ratione hæc imaguncula, vel in ſpiritibus animalibus, vel in cerebro recepta, animæ exhibeat hortos, flumina, urbes &c.? Inſuper omnes hæ ſpecies Peripateticæ poſſunt *penetrari* cum cerebro, (eoquod mera ſint *accidentia*, non *ſubſtantiæ*) indeque non datur ratio, cur ſpecies priores per plurium novarum productionem ſæpe oblitterentur, aut omnino deleantur? cur viciſſim ſpecies, in teneris annis acquiſitæ, a ſenibus tam fideliter conſerventur? &c.

Quale Syſtema ſit tenendũ?

Nec

Nec dicas 1. Iſtæ cellulæ, ſtriæ &c. in ſententia *Neotericorum*, ſunt merum ingenii figmentum, & prorſus impoſſibile eſt, quod tot milliones millionum diverſorum plexuum, cellularum, plicarum &c. dentur in organo ſolius ſenſûs interni, quot milliones ſpecierum in phantaſia hominis aut bruti ſimul dantur: ergo. R. N. A. Nam 1. fibrillarum cerebri, ac ſpirituum animalium tanta eſt *ſubtilitas*, ut omnem imaginationem excedat, adeoque innumeris hujusmodi *cavernulis* formandis ſufficiat, 2. præter illas cellulas dantur etiam fibrarum nervearum *implicationes*, *divulſiones*, *corrugationes*, *criſpationes* &c. quæ omnia diverſiſſimas determinationes efficere poſſunt. 3. Ad explicandam memoriam non requiruntur *eædem* cavernulæ, continuo perdurantes, ſed multæ potius illarum iterum deſtruuntur & oblitterantur, dum rerum obliviſcimur, & conſequenter in eadem cerebri parte poſſunt novæ iterum excavari. Hinc in provecta jam ætate, ubi omnia plena ſunt ſulcis, difficulter novi fabricantur. Sic autem & *criſpationes* fibrarum poſſunt mutari vel interire.

Di-

Dices 2. Certæ plicæ, & criſpationes fibrarum ſunt æque vagi termini, ac ſi dicatur *certæ qualitates*: ergo. R. Clare tamen capi poteſt, quid ſit *ſtria*, *criſpatio fibræ*, *cellula* &c., non item, quid ſit *qualitas abſoluta*, exhibens hortos, flumina, equos &c.

Dices 3. Saltem hic motus ſpirituum diverſus pro diverſitate cellularum, aut criſpationum, tam diverſa objecta repræſentans, ſecum vehit aliquas imagunculas, ſeu ſpecies Peripateticas. R. N. hoc, ſi enim diverſa undulatio ſpirituum, a ſenſu exteriore ad internum propagata, poteſt determinare animam, ut percipiat potius hunc quam alium ſonum v. g. aut colorem, Petrum potius quam Paulum, perceptione *directa*, & quidem absque ulla ſpecie ſeu *qualitate abſoluta*, (CDXCII.) cur non etiam ſimili appulſu ſpirituum determinari queat ad perceptionem *rememorativam*? maxime cum ad captum explicari nullatenus poſſit, *quid* ſit illa *ſpecies abſoluta*, & quomodo objecti *imago* exiſtat? ſufficit ergo, ut anima actus ſuos *vitales* producat, nec enim probari valet, quod facultate gaudeat ejusmodi *qualitates* producendi in corporibus, qui-

bus

bus ipſa non unitur, ut ſunt objecta extrinſeca.

Dices 4. Memoria, ſive phantaſia recordatur non tantum *objectorum* cognitorum, ſed ipſarum etiam *cognitionum*, jam antea de objectis elicitarum: ergo memoria non habetur ſolum per ſpirituum animalium motus, primo motui ſimiles; ſecus enim per ſubſequentes etiam actus cognoſcerentur duntaxat *objecta*, non autem horum *cognitiones*. R. Quia anima majorem *facilitatem* percipit, dum recordatur objecti jam olim cogniti, (D.) ab hac perceptione facilitatis, tanquam poſita aliqua conditione, absque ullo tamen diſcurſu (qui in *ſomniante*, aut in *bruto* locum non habet) determinatur ad cognitionem rememorativam ipſius *actus* materialis, jam olim eliciti. Ferme ſicut ex *facilitate* organa pulſandi, in organœdo notata, colligimus, quod jam plures in eo actus præceſſerint, hoc diſcrimine, quod nos *per diſcurſum* id colligamus; anima vero per ſolam *facilitatis* perceptionem, tanquam per aliquam *conditionem* determinetur. Dein dubitant nonnulli, num dentur revera cognitiones *materiales reflexæ* in actus vitales, antea habitos; alii

alii namque exiſtimant, quod per id ipſum, per quod phantaſia *ad objecti* reminiſcentiam determinatur, etiam ad *actûs* reminiſcentiam ſimiliter determinetur.

DII. *Scholion.* Quæ de *memoriæ cultura* a quibusdam adhuc pertractari ſolent, in *Logica Critica* ſparſim tradita jam ſunt, hic ſolum addo, inter alia, quæ memoriam adjuvant, eſſe 1. *valetudinis curam*, per auream victûs mediocritatem, qua procuratur immunitas ab *infirmitatibus*, quæ organa lædere conſueverunt. 2. *Medicamentorum* aliquorum ſobrium uſum. Ita de *Coriandro* docent Medici, quod *memoriam* roboret. 3. *Fugam* eorum, quæ memoriam lædere ſolent, ut ſunt opii, & ſimilium, prout Medici inquiunt, *narcoticorum* uſus, immoderatus *ſomnus*, *potûs* nimius, ventriculi cruditas, nimium etiam *ſtudium*, conſumens ſpiritus animales, & exſiccans cerebrum, nimius item *labor*, *vigiliæ* &c. Nec mirum cuiquam videri debet, quod a cauſis materialibus frequenter lædi ſoleat *memoria*; nam, ut bene ait Wolfius *Pſychol. Rat.* §. 294. *in notis.* " Non „major eſt difficultas in deſtructione „me-

Memoriæ adjumenta.

„memoriæ, per cauſas materiales ad„mittenda, quam quæ eſſe poteſt, ubi „admittere debes, hominem artis ſal„tandi peritum, fractis cruribus non „poſſe ſaltare amplius; quod enim in „poſteriori caſu minus percipiatur, „quam in priori, cauſa non alia ſubeſt, „quam quod motus fibrillarum nervea„rum in productione idearum materia„lium, & earum læſio non æque in ſen„ſus incurrat, quemadmodum motus „pedum, & cruris fractura in ſaltando. „Hæc ille.„

ARTICULUS V.

De *Potentia appetitiva, in parte animali reſidente.*

Appetitus animalis homini cum bruto communis eſt.

DIII. Quoniam experientia teſte nedum obvia quæque atque univerſalia *cognoſcere*, ſed & ea, quæ cognovimus, tanquam *bona appetere*, aut tanquam *mala averſari* poſſumus, & quidem tum ea, quæ *boneſta*, ac *immaterialia*, tum ea quoque, quæ *ſenſibilia*, *materialia*, & conſequenter tam *homini* quam *bruto* communia ſunt, antequam de appetitu *rationali* ſeu *voluntate homi-*

nis

nis loquamur, pauca de *appetitu animali* præmittenda eſſe duxi. Quoniam item in omni *appetitus*, *averſioniſque* notione Idea *voluptatis* ac *tædii* continetur, hæ pro cæteris definiendæ ſunt. Igitur.

DIV. *Voluptas* in genere dicitur *ſenſus*, ſive *cognitio intuitiva perfectionis*, eſt vel *ſenſualis*, quæ ſcilicet venit a repræſentationibus per ſenſus factis, vel *mentalis* aut *intellectualis*, quæ ex Ideis boni diſtinctis per intellectum gignitur. e. g. *Oculus* noſter videt hortum pulcherrimum, *auris* percipit amænam Muſicam, *lingua* guſtat cibum exquiſitum &c., ſtatim *voluptas ſenſualis* in parte noſtra *animali* excitatur. Vel *intellectus* percipit, ſe in dies pluribus & clarioribus ſcientiarum omnigenarum ſpeciebus ſive Ideis imbui, & mox ſumma in parte animæ noſtræ *rationali* voluptas conſurgit. Econtra *tædium* definitur *ſenſus* aut *cognitio intuitiva imperfectionis*. Ita tædio, & quidem *ſenſuali* perfundimur, dum videmus hortum, nitidiſſime prius florentem, improviſa vi grandinis proſtratum; tædio autem *mentali* obruimur, cum a malevolis famam noſtram traduci intelligimus, & hoc ideo, quia imminutionem exiſtimationis noſtræ *imperfectionem* putamus.

Voluptas in genere.

tædium.

Voluptas ſenſualis,

DV. *Voluptas* ſenſualis, ut antea dictum eſt, (CDLV.) conſiſtit in quadam *facilitate* actionis, qua anima in corpus ſuum naturaliter agit: vice verſa *tædium* ſeu dolor in *difficultate* illius actionis, dum ſcilicet ſiſtitur aut retardatur ſpirituum animalium curſus ordinatus, placidus & æquabilis. *Voluptas* vero *mentalis* eſt quies voluntatis in poſſeſſione boni cujusdam, ſibi convenientis & proportionati. Cum quiete iſta conjuncta eſt *lætitia* & *ſuavitas*, intimo ſenſu magis declaranda, quam verbis: alio nomine etiam *Mentis tranquillitas* audit: *dolorem* quoque a *tædio* (cui tamen maxime finitimus eſt,) nonnulli diſtinguentes, definiunt, illum eſſe paſſionem quamdam, quæ oritur ex ſolutione continui nervoſi in corpore noſtro. e. g. Dum quis ſibimetipſi caſu quodam nervos venasque incidit cultello, tunc continuum nervoſum in ipſo ſolvitur, & *dolor* excitatur, ſeu *tædium* tum *ſenſibile*, tum *mentale*.

& mentalis.

Dolor.

Varia theoremata de voluptate, & tædio.

DVI. *Corollaria. I.* Voluptas & tædium eo magis magisque accreſcunt, & *augentur*, quo majores pluresve *perfectiones*, aut vice verſa, *imperfectiones* in ſenſus vel Intellectum incurrunt.

II.

II. Nec minus exinde quoque *augmentum* accipiunt ambo, quanto quis *accuratius* de perfectionibus aut imperfectionibus Judicium ferre, easque intimius inſpicere valet. Sic enim tœdium aut voluptas mentalis v. g. ob læſum aut recuperatum honorem major eſt in viro, quam puero, item in litterato & ingenuo, quam in rudi & abjecto. III. *Voluptas* ac *tœdium* antea finem non habent, quam ſentiatur, aut percipiatur, in ea re, ex qua alterutra affectio promanat, perfectiones aut imperfectiones penitus ceſſaſſe. IV. Si *perfectio* eſt vera, nec tantum apparens, & ſi *Judicium* de ea eſt certum & conſtans, oritur etiam voluptas *vera, conſtans,* & *ſincera,* ſecus autem mutatur in *ægritudinem,* animique *pœnitentiam,* prout quotidie experiuntur homines pii ex una, & impii ac ſcelerati ex altera parte; illi enim amando virtutes & cæleſtia continuo lætantur, etiam in mediis adverſitatibus corporis: iſti econtra poſtquam egerunt in bonis *falſis* dies ſuos, ſero tandem cum ſceleratis illis exclamant: *ergo erravimus!* ſummoque *tœdio* afficiuntur. Item & illi, qui in Juventute ſua otio marceſcunt, *edere, bibere, ludere &c.* in ſummis deliciis numerantes,

at vero in virili dein ætate tam ſcientiis quam virtutibus vacua capita, menteſque circumferentes. &c. V. *Prædominari* in nobis dicitur *Voluptas*, dum Menti fortius repræſentantur perfectiones, quam imperfectiones ſimul concurrentes. *Prædominatur* vero *tœdium*, ſi ſecus accidat. e. g. Læto quis convivió aſſidet, plenaque aurium, oculorum, & guſtûs *Voluptate* perfruitur: at ſubito litteras accipit, prægrandis infortunii nuntias, unde tœdium ex hiſce litteris hauſtum, omnem antea conceptam Voluptatem depellit, adeoque in hoc caſu *prædominatur tædium*. VI. *Cauſæ phyſicæ Voluptatum ac dolorum* omnium ſunt commotiones in corpore excitatæ, quibus ipſius corporis harmonia aut conſervatur, aut turbata reſtituitur; his enim poſitis *commotionibus* ſemper exiſtit ſenſus *doloris* aut *voluptatis*, iis vero ſublatis ceſſat: id quod etiam PLATO *in Philebo*, aliique Philoſophi antiquiores communiter docebant.

Voluptatis, ac doloris cauſa phyſica.

DVII. *Scholion.* Quod *voluptatis* ac *doloris* cauſa phyſica & immediata ſit *Harmonia*, vel potius *energia* vitæ ſenſitivæ, ſeu perturbata, ſeu leniter, & inſtar amnis placide fluens, Cl. Santo-

rius

rius *in ſtatica humani corporis medica* apud Cl. Ant. Gen. *Met. p. 2. c. 6. pag. mihi* 214. exinde probat, quia tunc nos *bilariores* eſſe experimur, cum corporis perſpiratio nec nimia eſt, nec deficit; *triſtiores* vero, ubi minor, quam par ſit, aut etiam nimia: igitur ſtatûs *prioris* manifeſta cauſa eſt *juſta* energiæ vitalis *barmonia. Poſterioris* autem hæc ipſa, exceſſu vel defectu *perturbata*; ſic enim perpetuo experimur, perſpiratione, aliisque evacuationibus paulò retardatis obtundi mentem, corpus fieri gravius, atque moleſtam ſtudiis Melancholiam dominari; magna econtra perſpiratione, aut purgatione quacunque reparari ſtatim hæc omnia. Similiter cogitatio rerum *bonarum* & *pulchrarum* agitationem majorem excitat in humani corporis fluidis; ex qua venit perſpiratio juſta, aliique motus expediti; & ex his denique *lætitia* oritur, quæ ſemper eſt in ratione harum motionum, & vaſorum dilatationis, ac fluidorum expediti curſûs: Inde facile intelligitur, cur lacrymis hilareſcant melancholici. E diverſo rerum *noxiarum* & *triſtium* cogitatio coarctat fluidorum vaſa, ac motum retardat, ex quo naſcitur *turbatio* & *triſtitia*, illique perpetuo *triſtes*

exiſtunt, qui durioribus & aduſtioribus ſunt compacti fibris, lentiorique fluidorum motu, rara perſpiratione, impedita evacuatione &c. Eodem modo excitantur *voluptates* & *dolores* corporis, uti vocantur, *geſtientes*, e. g. ex defectu cibi vel potûs, ſublato objecto, in quo ventriculi actio exſeratur, harmonia vitæ neceſſario perturbatur; inde igitur venit dolor *famis* aut *ſitis*: at vero cum eadem cibo aut potu reſtituitur, *voluptas* ſuccedit, quæ ſemper eſt in ratione cedentium graduum doloris *ſitis* aut *famis*. Idem cum proportione contingit in uſu aliorum *ſenſuum*, in quibus ſemper voluptatis & doloris intenſitas ſe habet pro ratione intenſitatis perturbatæ, aut reſtitutæ harmoniæ.

Quid ſit inclinatio, & appetitus in genere?

DVIII. Si quando ex bono aliquo nobis repræſentato *voluptas* in mente oritur, tum in nobis ſentimus niſum, conatum, & *inclinationem* verſus bonum illud, a nobis perceptum, & cognitum: econtra ſi ex objecti cujusdam, tanquam mali, facta nobis repræſentatione *tædium* aut *dolorem* concipimus, exſurgit in animo noſtro *conatus* aliquis & niſus, malum illud cognitum depel-

len-

lendi. Hæc porro animæ *inclinatio* verſus bonum cognitum dicitur *appetitus*, vel (ut apud Plutarchum *Chryſippus*) *ratio actionem imperans*, aut, ut alii loquuntur, *volitio*: aſt reclinatio animæ a malo cognito dicitur *averſatio*, ſive *nolitio* in genere; ipſa autem potentia mentis noſtræ, ad bonum cognitum inclinandi, aut a malo cognito declinandi, appellatur *facultas appetendi*, *vel averſandi*, ſive *voluntas*. De qua, ut appetitus mere *rationalis* eſt, in *art. ſeq.* dicetur.

DIX. *Scholion.* Cæterum appetitus *ſenſitivus*, qui hic unice accipitur, ille eſt, per quem, *ſenſuum ope*, non *ratione* & *diſcurſu* (prout appetitus *rationalis* agit) bonum aliquod nobis repræſentamus, ferturque is propterea ordinarie in illud ſolum, quod *ſenſus* ſuavius afficit, uti & in *brutis* videmus, hominibusque, ſecundum partem ſui *animalem* conſideratis. Quo ſpectat illud Medeæ apud Ovidium: *video meliora, proboque, deteriora ſequor.* Item illud Apoſtoli *ad Rom. video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Nec non & notum illud Platonis effatum, dum dixit, *equum cum equite* (id Appetitus ſenſitivus.

eſt inferiorem hominis partem cum ſuperiore:) *indies pugnare.* Appetitus hic *ſenſitivus* ex duplici capite vires acquirere ſolet, nempe dum vel *plura bona* ſenſibus blandientia ſimul confuſe, & vividius in ſenſus incurrunt. Vel dum *unum idemque* bonum jam ſæpius ſenſus & phantaſiam oblectavit. *Vis bruta* etiam dicitur, eo ipſo, quod omnem uſum *rationis* & conſultationis prævertat, etſi non prævertat tamen omnem *cognitionem*; nam, ut ignoti nulla cuipdo, ſeu nullus *appetitus* eſt, ita nec ulla ex ignoto *averſatio* ſubnaſcitur.

Propenſiones naturales. DX. Ad *appetitum ſenſitivum* revocantur etiam ſic dictæ *propenſiones naturales*, quæ idcirco, quod earum ratio ſufficiens ſit ſola Dei, auctoris naturæ providentiſſimi, voluntas, *Mechanicæ naturæ leges* vocantur, ſuntque ex natura homini, ut *ſenſitivo*, ita implantatæ, ut ante omnem pariter voluntatis actum, æque ac in brutis contingit, ad aliquid faciendum vel omittendum inducant. Ejusmodi porro propenſiones dividuntur in *univerſales* & *particulares*, universales, & particulares. 1*mi* generis ſunt, ut *eſſe* velimus, & *bene* ac *beati* exiſtere &c. 2*di* generis notantur in quibusdam ſpeciebus ac individuis;

ſci-

ſcilicet pro diverſitate regionum, ætatum, temperamentorum. Prout in *Log. pract. Diſſert. I.* dictum eſt. Cæterum propenſiones ad *bonum* & *verum* in genere naturales ſunt homini, *qua homini;* reperiuntur enim in *omni* hominum *ætate*, neque *intenduntur* unquam, neque *remittuntur*; ſed & propenſio illa ad *bonum* origo eſt & fons omnium propenſionum univerſalium in homine & bruto: propenſio autem iſta ad *verum* tam eſt humano generi naturalis & communis, quam *curioſitas*, a natura indita, utpote quæ poſterior nil aliud eſt, niſi ipſa ad *verum* propenſio.

DXI. *Primi generis* propenſiones, ſeu *univerſales*, ſunt *immutabiles*; non item *2di generis*: illæ enim *neceſſariis*, hæ autem *contingentibus* æquivalent, (Log. *fol.* 170.) & hinc non ſemper *eædem* in omnibus ſunt, ſed cum diverſis ætatibus ac temporibus aliæ atque aliæ. Fit tamen ut particulares hominum mores, qui in quibusdam cætibus a veteri vita & inſtitutis etiam longe diſceſſerunt, denuo recurrant, & quaſi circulum quemdam perficiant, nempe ſicut v. g. Elateres, vi compreſſi, indeque a naturali ſua figura deflectentes, eam ipſam, Illæ ſunt immutabiles, non autem iſtæ.

ſtatim ac vis comprimens ceſſaverit, rurſum induunt: ita *diſtrahi* vi aut ratione naturalia poſſunt, *convelli* funditus non poſſunt, ſed *cedunt* tantiſper; mox reditura: unde non ſine cauſa Ariſtoteles utrique illi univerſali propenſioni in *bonum* & *verum* Ethicam ſuam, ſeu moralem ſcientiam, ac Metaphyſicam ita voluit inniti, ut *illam* a *beatitudinis*, ceu ſummi *boni* deſiderio, *banc* vero ab ingenito *veritatis* amore ac ſtudio auſpicatus ſit.

Paſſio, ſive affectus quid ſit?

DXII. Per experientiam ſenſumque etiam intimum perſpectum habemus, quod appetitus ſenſitivus, ſi quando in actus *appetitionis* vel *averſationis* exit, conjunctam ſibi non raro habeat extraordinariam quamdam ſanguinis & ſpirituum animalium commotionem, prout ex facie, totiusque corporis habitu, innoteſcere ſolet: hos igitur motus communiter *paſſiones* aut *affectus* appellare conſuevimus, vulgataque eorum definitio hæc eſt: *paſſio eſt motus appetitûs ſenſitivi, ortus ex imaginatione boni, vel mali ſenſibilis, cum aliqua inſolita corporis immutatione*. De ejusmodi *paſſionibus* ſeu *affectibus* potiſſimum *Ethica* agit, pauca quoque ſupra dicta ſunt; (CDLV.)

cæ-

cætera ad *Metaphyſicam* ſpectantia ſunt fere ſequentia.

DXIII. I. Nullus in nobis affectus naſcitur, niſi ex perceptione *boni*, quæ operatur *voluptate*, & *mali*, quæ *dolore* aut *tædio* nos impellit. Vocarique propterea paſſiones omnes ſolent naturæ *impetus quidam intenſiores*, quibus perſequatur *bona externa*, aut *mala externa* averſetur. II. Affectus, niſi ad *extrema* inclinent, ſunt homini neceſſarii, ſive ille *quoad ſe ſolum* ſpectetur, ſive prout eſt in *ſocietate* conſtitutus; nam conſervari nequit homo, niſi fruendo *bonis*, & declinando a *malis*: at vero nemo bonis perfruitur, iiſque frui contendit, niſi ad illa *voluptatis* affectu incitetur, nec quiſquam averſatur *mala*, niſi *doloris* affectu abſtereatur: ergo &c. III. *Cauſa* affectuum *proxima* eſt vehemens comotio fluidi nervei, ſpirituumque animalium agitatio inſolita, dum nempe iſti, e corde protruſi, feruntur in cerebrum, indeque variam animi perturbationem excitant, conſervant, aut roborant; (CDLV.) *Cauſæ* vero *remotæ* ſunt plures, & aliæ quidem *intrinſecæ* ſeu *phyſicæ*, aliæ vero *extrinſecæ* & *morales*, 1*mi generis* ſunt 1.

Theoremata de affectibus.

Cauſa paſſionũ, ſeu affectuum,

tem-

temperamentum, huic potius quam alteri paſſioni recipiendæ aptum. 2. *Phantaſia*, magis vel minus vivida; unde SENECA ait *Epiſt.* 13. *plura ſunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt.* 3. *Aſſuetudo*, ſeu habitus contractus ex frequentatis actibus malæ *voluntatis* &c. 2di generis ſunt 1. *boni* aut mali *genii*, qui frequenter ob ſuam *penetrabilitatem*, ſuumque in nos *amorem* vel *odium*, per commotionem ſanguinis & nervorum ad *bona* vel *mala interne* nos excitant. 2. *Socii*, quibuscum verſamur, & quorum mores induimus, præſertim ſi nimio illos amore proſequimur, juxta vetus adagium illud; *amor aut ſimiles invenit, aut facit.* 3. *Parentum conſtitutio*, eoquod filii parentum naturam plerumque ſequantur, conformiter illi: *non procul a proprio ſtipite poma cadunt.* 4. *Educatio.* (Log. *fol.* 354.) 5. *Aëris temperies*, unde quidam populi & nationes aliis ſagaciores, & ad ſcientias capeſſendas aptiores præ aliis habentur. &c. IV. Paſſiones ſive affectus omnes vulgo in duas claſſes dividi ſolent, nimirum in paſſiones appetitûs *concupiſcibilis*, & *iraſcibilis.* (Qui ambo duas ſpecies appetitûs *ſenſitivi in genere* conſtituunt) 1*mus*, ſeu appetitus CONCUPISCIBILIS proſequi-

Eorumque diviſio.

tur

tur bonum, vel averſatur malum, nulla habita ratione *ardui*, & ſex ſub ſe paſſiones complectitur, *deſiderium*, ſcilicet, *fugam*, *gaudium*, *triſtitiam*, *amorem* & *odium*. 2dus, ſive IRASCIBILIS occupatur circa *bonum* vel *malum arduum* & *difficile*, non quidem *reduplicative*, ſed *ſpecificative*, (Log. *fol.* 105. & 106.) ejus ſpecies ſunt *ſpes*, *deſperatiò*, *audacia*, *timor* & *ira*. De quibus ſingulis in individuo *Ethica* fuſius tractat.

ARTICULUS VI.

De

Potentia appetitiva, in parte rationali reſidente, ſive de voluntate, ejusque libertate.

DXIV. *Voluntas*, quæ alio nomine etiam *appetitus rationalis* dicitur, cæterarum haud dubie animæ facultatum domina atque regina exiſtit, tum quia illius imperio certo quodam modo ſingulæ ſubſunt, tum etiam, quia hominis actio, niſi ab ea dependeat, *humana* non dicitur. Definitur autem communiter, quod ſit *ea animæ potentia, qua hæc appetit bonum, & averſatur malum, diſtincte ab intellectu ſibi repræſentatum*; Voluntas, ſeu appetitus rationalis.

tatum: per hæc ultima verba ab *appetitu ſenſitivo* differt; (DIX.) & proprie *appetitus rationalis* denominatur; *appetitus* quidem, quia per eam in bonum tendimus, *rationalis*, quia mens per illam non trahitur motibus *corporis*, ſed *ratione* dirigitur. Porro quoniam *appetere* idem eſt ac *velle*, & *averſari* idem ac *nolle*; hinc duo ſunt præcipui *voluntatis actus*, *volitio* ſcilicet, ac *nolitio*, haud ſecus ac ſimplex *apprehenſio*, *judicium* & *diſcurſus* ad *intellectum* pertinent. *Volitio* vero in genere a Cl. P. Ulloa *de anima. Diſp.* 4. *c.* 6. dicitur *pondus* illud *affectivum*, ſive inclinatio voluntatis, qua hæc tendit & conatur *erga exiſtentiam* rei volitæ; *nolitio* econtra ab eodem appellatur *contrarium pondus affectivum*, ſeu averſio voluntatis, qua tendit, & conatur *contra exiſtentiam* rei nolitæ, juxta illud Poëtæ: *trahit ſua quemque voluptas*, quæ eſt *ſuave pondus*, voluntatem inclinans.

Ejus actus.

Et objectum.

DXV. De *objecto voluntatis* non eſt cur multis hic agatur; utpote quod ex ſupra dictis de *cauſa finali* (CCXCVI.) facile datur intelligi, nempe I. *voluntas* (ut denuo in compendio dicam) *nihil appetit, niſi quatenus illud ſibi videtur*

tar bonum, *non enim*, ut ait Doctor Subtilis *ſuper* 4. *Sent. Diſt.* 49. *q.* 10. §: *propterea*, *natura poteſt remanere natura*, *quin inclinetur ad ſuam perfectionem*, *quia ſi tollas illam inclinationem*, *tollis naturam.* II. *Voluntas actu nil fugit*, *niſi quatenus illud ſibi malum apparet;* intimus quippe ſenſus, & experientia quotidiana teſtatur, quod ſi ſub ratione *mali* aliquid nobis apparet, congenito quodem veluti impulſu natura ipſa ab illo retrahatur. Dicente propterea S. Augustino *in Enchirid.* *n.* 28. nos ita *velle eſſe beatos*, *ut eſſe miſeri non ſolum nolimus*, *ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.* III. *Denique voluntas nec averſatur malum directe*, *ſed indirecte tantum*, *quatenus ſcilicet innato pondere in bonum fertur*, *cui malum contrarium eſt.* Ita *Cl. P. Fort. a Brix. Met. p.* 2. §. 374. nam, quia malum, *quatenus malum*, mera *negatio* eſt (nihil quippe nobis nocet, niſi quatenus aliquo *bono* nos privat) juxta illud cit. S. Aug. *l.* 11. *de civ. Dei. c.* 9. *mali nulla natura eſt*, *ſed amiſſio boni mali nomen accepit*, *directe* ab operante natura non reſpicitur, quod eſt purum *nihil*, ſed *indirecte* tantum, hoc eſt, quatenus tendit in *bonum*, quod ipſum voluntas nequit appetere, quin ſimul a *malo* nita-

tatur recedere; quemadmodum grave nequit ſuo pondere deorſum tendere, quin eo ipſo *aſcenſui* adverſetur. Et hinc *bonum*, generatim ſumptum, adæquatum *voluntatis objectum* exiſtit. (CCXCVI.)

DXVI. *Libertas*, quæ præcipua ac unica voluntatis *proprietas* eſt, duplex potiſſimum diſtinqui ſolet, videlicet 1. a *coactione*: 2. a *neceſſitate*, ideoque, antequam genuina ejusdem definitio aſſignetur, prius, quid & quotuplex ſit *coactio* & *neceſſitas*? exponi debet. *Cogi* nempe dicitur illud agens, cui vis ſeu *violentia* externa contra illius naturam ad agendum infertur: & quidem in *animatis* tale agens vocatur ſimpliciter *coactum*; in inanimatis autem *violentum*, aut potius *violentatum* dicitur. Sic homo vinculis conſtrictus *cogitur* ire ad carcerem aut ſupplicium, lapisque in altum projectus contra ſuam naturam *aſcendere* &c. *agere vero neceſſario* cenſetur illa cauſa, quæ ita ad unum aliquod determinata eſt, ut agere oppoſitum neutiquam poſſit. e. g. Ignis *neceſſario* accendit ſtuppam. Dividiturque agens neceſſarium tum ratione *determinationis*, tum ratione *oppoſitionis*,

agens coactum,

agens neceſſariū.

ſeu

ſeu *terminorum* ſibi *oppoſitorum*. Ratione *prioris* denuo aliud eſt neceſſarium *intrinſece*, & aliud neceſſarium *extrinſece*. Ratione *poſterioris* vero dividitur rurſum in neceſſarium neceſſitate *contrarietatis*, ſive *ſpecificationis*, & in neceſſarium neceſſitate *contradictionis*, ſive *exercitii*.

DXVII. Agens *intrinſece neceſſarium*, ſive, ut etiam vocatur, *agens naturale* illud eſt, quod ad unum *ex ipſa ſua natura* determinatum eſt, prout ſe habet idem *ignis* in ordine ad combuſtionem: agens vero *extrinſece neceſſarium* eſt, quod non ex *intrinſeca natura ſua*, ſed ſolum a *cauſa* aliqua, *extrinſece* adigente, ad unum potius quam aliud agendum determinatur, adeoque coincidit cum *agente coacto;* ſic homo v. g. vinculis alligatus, & ad *ſedendum* potius, quam ſtandum vel ambulandum determinatus, neceſſario quidem *ſedet*, ſed neceſſitate ſolum *extrinſeca*. Porro quid ſit agens neceſſarium neceſſitate *ſpecificationis*, ſeu *contrarietatis*, & agens neceſſarium neceſſitate *exercitii*, ſeu *contradictionis*? dictum eſt in Logica *fol. 695*. his praenotatis Intrinſece & extrinſece.

Libertas a coactione

DXVIII. *Libertas a coactione* eſt actio agentis *ſpontanea*, quando ſcilicet quis operatur ſine vi, aut violentia, ab extrinſeco ſibi illata. Sic libere *libertate a coactione* agunt bruta, utpote quæ *ſponte* parant victui neceſſaria, quæque nocere ſibi queunt, pro viribus devitant: ſic & beati in Cœlo juxta Theologos *libere* DEUM amant, etſi *neceſſario*. Et hæc libertas juxta Caſuiſtas *ad merendum* vel *demerendum* in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit.

a neceſſitate.

Libertas a neceſſitate, ſeu *libertas contingentiæ* illa eſt, qua agens eſt ita indifferens ad agendum, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere vel non agere illud ipſum (quæ dicitur libertas *contradictionis* ac liberum arbitrium) vel etiam ejus contrarium, (in quo libertas *contrarietatis* conſiſtit. Juxta Log. *fol.* 696.) opponiturque agens *liberum* agenti *naturali*, ſeu *neceſſario*, ſicut agens *ſpontaneum* agenti *coacto*, ſeu *violento*. Plura huc pertinentia, & a Theologis moralibus ac Ethicis fuſius pertractari ſolita, ultro omitto. Ea videri poſſunt in *Tract. de actibus humanis* Eximii noſtri P. *Saſſerath*, aliorumve.

Libertas contrarietatis & contradictionis, ſeu liberum arbitrium.

Liberum a coactione & ne-

DXIX. *Corollaria.* I. *Poteſt aliqua actio eſſe libera a coactione, quin tamen ſit libera a neceſſitate.* Sic bruta v. g. & omnia

agen-

agentia *naturalia* ad actus ſuos ponendos *extrinſece* quidem non coguntur, ſed ſponte agunt, *intrinſece* tamen & ex *natura ſua* aguntur in finem (CCXCVII.) II. *Econtra poteſt aliquid eſſe liberum a neceſſitate, quin ſit liberum a coactione.* e. g. Quando quis, impetu ab altero accepto, voluntate efficaciter contranitente, in flumen præcipitatus mergitur. Et talis actus vi extortus a Theologis, ex defectu libertatis, ab omni peccato immunis declaratur. III. Ad eſſentiam *liberi arbitrii* non requiritur indifferentia ſeu libertas *contrarietatis*, ſed ſufficit indifferentia ſeu libertas *contradictionis;* ſic enim v. g. qui ſolam aquam ad ſitim extinquendā ſibi præſentem habet, adhuc vere liber eſt libertate *electionis*, ut poſſit *bibere* vel *non bibere*. IV. *Libertas in actu primo proximo* conſtituta eſt potentia proxime expedita ad agendum, ad quod potiſſimum ſequentia requiruntur 1. ex parte *intellectûs* cognitio indifferens, id eſt talis, quæ tam objectum ipſum, quam etiam motiva omnia, pro & contra pugnantia, prorſus indifferenter proponat. 2. ex parte *voluntatis* tum potentia libera penes ſe ſpectata, tum auxilia & inſtrumenta ad agendum neceſſaria, ſive *naturalia*, ſive

Art. VI. Neceſſitate non ſunt termini convertibiles.

Eſſentia libertatis.

Ejusdemque actus primus proximus.

ſupernaturalia e. g. gratiæ actuales voluntatem excitantes & adjuvantes &c. 3. Applicatio omnipotentiæ, & negatio impedimentorum, neceſſitatem antecedentem inferentium. *Libertas* denique *in actu 2do* eſt ipſum exercitium actuale potentiæ liberæ.

Libertatis impugnatores

DXX. Libertas humanæ voluntatis, quæ tanti in Religione valet, ut ſine ea inanes ſint leges, inanes pœnæ, cœlique promiſſio nulla, jam olim ab *Aſtrologis judiciariis* impugnata fuit, aliisque, *fato* omnia tribuentibus, (CCCXXII.) ſed & ſuperiori ætate Lutherus, Calvinus & Janſenius rejecta *libertate electionis*, ſeu *exercitii*, ſolam *a coactione* (DXVIII.) in homine admiſerunt: impius autem Spinoza docere non dubitavit, quod homines *ſui* quidem *appetitûs ſint conſcii*, *at cauſarum*, *a quibus determinantur*, *ignari*. Sed contra hos omnes orthodoxa Eccleſia continuo aſſeruit, pluribusque in Conciliis definivit, voluntates noſtras non ſolum *a coactione* immunes, ſed etiam liberas eſſe *libertate exercitii*, hoc eſt, *liberum* in nobis *arbitrium*, etiam poſt commiſſum ab Adamo originale peccatum, perſeverare. Et quoniam vindicatio hujus dogmatis

ad

ad Theologos magis ſpectat, quam Philoſophos, ea quæ ex SS. Litteris, Conciliis, & SS. Patribus momenta peti ſolent, hic pleraque omitto, ſoloque, fere *rationis* lumine munitus contra hoſtes liberi arbitrii in aciem procedo, & dico

PROPOSITIO

Datur in homine voluntatis indifferentia, ſeu liberum arbitrium.

DXXI. PROBATUR. I. Datur in homine libertas *contradictionis* ſeu *exercitii*: ergo etiam liberum arbitrium. (DXVIII.) p. A. Ex intimo *ſenſu* ſibi quilibet intime conſcius eſt, ſe poſſe *velle*, quod objicitur, vel illud etiam *non velle*, ſeu reſpuere: atqui in iis, quæ *intimo ſenſu* nobis comperta ſunt, falli non poſſumus, (Log. *fol.* 432.) aut ſecus neque evidens nobis foret, nos *vivere*, *cogitare* &c., cum iſta non aliunde niſi ex intimo ſenſu cognoſcamus. Item in rebus agendis vel omittendis aliorum *conſilia* paſſim exquirimus: ad quid autem forent iſta *conſilia*, ſi non pro noſtro *libitu* ea *libere* ſequi poſſemus? profecto nemo ſecum deliberat, Refelluntur ex ſenſu intimo,

num velit Lunam aut Saturnum ex orbitis ſuis detrahere, aut mare exhaurire, aliaque aggredi, quæ non ſunt in ſua *libertate*: ergo a contrario illa ſunt in noſtra *libertate*, quæ apud nos in *deliberationem* veniunt, quorum ſane plurima ſunt. Et vero de ſenſu intimo *liberi* noſtri *arbitrii* adhuc multo certiores reddere poteſt ejus hoſtes *argumentum*, ut ajunt, *fuſtuarium*, ſupra in ſimili caſu jam ſemel allatum, (CCLI.) ſcilicet non multis *rationibus* & *verbis* convincendi, ſed potius *verberibus* tamdiu dedolandi ſunt, donec ultro fateantur, quod percuſſores ipſorum pro *libitu ſuo* a verberibus ceſſare valeant, adeoque libero arbitrio gaudeant.

Et ex abſurdis ſequelis.

PROBATUR II. Sublata hominis *libertate* omnis quoque humana *vita*, omnisque *ſocietas* tam politica, quam privata, tollitur ac ſubvertitur: fruſtra *leges* dantur, nec ullum bonis *præmium*, vel malis *ſupplicium* juſte conſtituitur, ut arguit S. AUGUSTINUS *l.* 5. *de civ. Dei. c.* 9. fruſtra enim *præcipitur*, quod *neceſſario* faciendum eſt, ac prorſus injuſte *prohibetur*, quod, ut omittamus, in noſtra *poteſtate* non eſt. CONFIRMATUR ſi ex mera *neceſſitate* facimus, quidquid

facimus, fieri certe nequit, ut ille, qui *turpiter* vivit, denuo ſe convertat, & *honeſte* vivat, ſicut fieri nequit, ut cœcus lumen videat, & claudus recte ambulet &c. ſicque nullum etiam in homine *peccatum*, aut *virtus* dari poſſet &c.; quæ omnia plane *abſurdiſſima* ſunt: ergo. Poſtremo, ut præclare ſcribit Euſebius *l.* 7. *de præpar. Ev. c.* 7. quod hæc opinio penitus falſa ſit, inde patet, quia *etiam ejus opinionis auctores & docent, & hortantur, & diſcunt, & conſulunt, increpant etiam, caſtigantque ſuos, quaſi propria voluntate peccantes; plurima quoque conſcribunt, quibus juvenes ad rectos adhortantur mores, veniaque dignum putant, ſiquis invitus peccat, ſponte autem delinquentes puniendos non negant*: ergo &c.

DXXII. *Corollaria.* I. Voluntas humana ad nullum *actum* eliciendum poteſt *cogi*, ſecus enim foret ſimul *volens*, (ex hypotheſi) & *nolens*, quia volitio *coacta* eſt nolitio: atqui hoc repugnat principio *contradictionis*: (X.) ergo. II. Omnes propterea actus tum a voluntate *eliciti*, (ut ſunt volitio, amor &c. a voluntate tanquam ab *activo* principio imediate provenientes) tum etiam *imperati* (hoc eſt, illi, qui ad nutum quidem vo-

Quomodo, & circa quæ, humana voluntas ſit libera?

voluntatis, ſed a potentiis ab ea diſtinctis peraguntur, ut ſunt *locutio*, *ambulatio* &c.) ſunt liberi *a coactione*; nam eo ipſo, quia voluntas non cogitur ad actus a ſe *elicitos*, & quia *imperati* dependent ab elicitis, etiam ad *imperatos* non cogitur: aut ſi vi ad aliquam actionem externam cogeretur, jam non foret actus a *voluntate* imperatus, adeoque nec *liber*. Actus tamen ex *metu* gravi eliciti, quia non eliciuntur *voluntate contranitente*, ſed vere *eligente* (ex gravi ſcilicet motivo) actum, quem *in aliis circumſtantiis* non eligeret, proprie non ſunt *coacti*: & conſequenter voluntas quoad omnes actus ſuos eſt libera libertate *a coactione*. III. Voluntas humana reſpectu actuum ſuorum gaudet quoque *libertate contrarietatis*; poteſt enim actus *contrarios* ſucceſſive *elicere* vel *imperare*. e. g. Amorem vel odium de eadem re &c. IV. Libertate *a coactione* gaudet denuo humana voluntas circa *quodcunque bonum*; ad nullum enim eligendum *cogi* poteſt, hoc ipſo, quod ad eligendum, ſive operandum ſimpliciter ſit libera *a coactione*. V. Attamen, quia eadem voluntas ita in bonum tendit, malumque fugit, ut nec bonum, quatenus *bonum*, averſari,

ri, nec malum ut *malum*, appetere queat; (CCXCVI. & DXV.) ideo neque circa bonum ſub ratione *boni*, neque circa malum, ſub ratione *mali* eſt libera *libertate contrarietatis*, ſeu non poteſt bonum *amare* libere, & *odiſſe*, qui ſunt duo actus *poſitivi*. Indeque circa *idem objectum libertate contrarietatis* tunc ſolum gaudet, quando iſtud tum ſub ratione *boni*, tum etiam ſub ratione *mali* eidem repræſentatur, quomodo ſe habet omne bonum *finitum* ac *limitatum*, (in quorum ſingulis *ſunt bona mixta malis*, ſive *imperfectionibus*) non vero bonum *infinitum* ac *illimitatum*, niſi hoc *obſcure* tantum ſit cognitum, & per modum cujusdam *particularis* boni, ſic enim etiam in ipſo apprehendi poteſt ratio *mali*, ſeu *incommodi*, ob præcepta ſenſibus repugnantia, ut ait Cl. P. Suarez. *Diſp.* 19. *in Metaph. Sect.* 8. VI. Eadem voluntas eſt libera libertate quoque exercitii circa bonum quodcunque *finitum*, non autem circa bonum *infinitum* clare cognitum, ex data mox ratione: *felicitatis* nempe deſiderium, a natura nobis congenitum, a nullo bono *finito* ſatiari penitus valet, adeoque *indifferentes* continuo nos relinquit; ſecus accidit in bono *illimi-*

tato, clare cognito. Dixi *clare cognito*; nam ſi *obſcure*, & inſtar boni tantum *finiti* ac *particularis* animo repræſentetur, eadem ratio mox data militat.

Solvuntur Objectiones.

Liberum hominis arbitriũ Apoſtolus non negat,

DXXIII. OB. 1. *Ex Authoritate.* Apoſtolus Paulus *ad Rom.* c. 7. fatetur: *non quod volo bonum*, *hoc facio*, *ſed quod nolo malum*, *hoc ago*: ergo voluntas poteſt *cogi* ad actus ſuos, conſequenter non datur liberum arbitrium. R. D. A. Et loquitur ibi Apoſtolus ſolumodo de actibus appetitûs *ſenſitivi* C. A. loquitur de actibus appetitus *rationalis*, ſeu *voluntatis*. N. A. & C. Sic interpretatur hunc textum S. *Aug. l.* 1. *contra duas epiſt. Pelag. n.* 18. adeoque ſenſus eſt: *non quod volo bonum* mente, *hoc ago* carne, *ſed quod* mente *nolo malum*, *hoc* carne *operor.* Unde & addit: *ſi*, *quod nolo*, *illud facio*, - *jam non ego* (ſcilicet deliberate) *operor illud*, *ſed quod habitat in me peccatum*: (id eſt, *concupiſcentia carnis*, quæ, cum ex peccato *originali* orta ſit, *peccatum* ab Apoſtolo nuncupatur) igitur ex eo, quod homo non habeat dominium abſolutum ſuarum

rum *paſſionum*, non ſequitur defectus libertatis in *voluntate*.

Inſt. 1. S. Auguſtinus *Epiſt.* 217. ſcribit, quod *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati gravitate perdiderimus*. Idem etiam aſſerit *in Euchir. n.* 9. ergo. R. D. A. & per hoc ſolum intelligit, quod liberum arbitrium fuerit vitiatum C. A. quod omnino perierit. N. A. & C. nempe, ob prædominantem appetitum ſenſitivum, bonum duntaxat in ſtatu naturæ lapſæ operari non poſſumus, niſi Redemptoris gratia medicinali juvemur. Id quod patet ex eodem S. Doctore, *l.* 1. *contra duas Epiſt. Pelag. n.* 5. ſic loquente: *quis noſtrûm dicat, quod primi hominis peccatô perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* Nec S. Auguſtinus.

Inſt. 2. Idem S. Doctor in pluribus locis, ubi explicat *libertatem*, nullam aliam aſſignat radicem, niſi rationem *voluntarii*: atqui τὸ *voluntarium* datur etiam in iis actibus, qui ſunt præciſe *liberi a coactione*: ergo &c. R. D. M. Nullam aliam aſſignat radicem *remotam*

C. M.

C. M. *proximam* N. M. &c. ipſemet cit. Eccleſiæ Doctor in aliis textibus libertatem refundit in omnimodam *indifferentiam humani arbitrii*, prout fuſe probant Theologi.

Nec illud tollit præſcientia Dei.

Ob. 2. Deus *præſcit* omnes noſtras actiones, antequam illas exerceamus: ergo non ſumus liberi. p. c. Scientia Dei eſt neceſſario vera: ergo eſt determinate connexa cum ſuo objecto, nec eſt conjungibilis cum actione oppoſita, & conſequenter voluntas creata, ſuppoſita præſcientia divina, non poteſt eſſe libera, ſeu indifferens ad actum, vel omiſſionem illius. R. Ad hoc argumentum (quo ita quondam perturbatus fuit Cicero, ut, ne libertatem tolleret, *præſcientiam* Dei negaret *l. 2. de divinat. faciens nos ſacrilegos, ut faceret liberos*, prout loquitur S. Auguſtinus) N. C. ad prob. D. A. Præſcientia Dei eſt neceſſario vera neceſſitate conſequente. C. A. antecedente. N. A. præſcientia Dei non mutat rerum naturas, ſed *neceſſarias* ſinit eſſe *neceſſarias*, & liberas liberas, eo quod illa, ſi a Divina voluntate & providentia abſtracta ſpectetur, in rerum naturas *phyſice* non influat, non ſecus, ac v. g. qui me aliquid operantem

tem *inſpicit*, non *cogit* ad operandum, & *ſicut memoria tua* (verba ſunt citati S. Auguſtini *l.* 3. *de lib. arb. c.* 4.) *non cogit facta eſſe, quæ præterierunt, ſic Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ futura ſunt.* Adeoque, cum ſcientia Dei non inferat actum, ſed actus potius inferat ſcientiam Dei, poteſt aliquid eſſe *certum*, & ſimul liberum, ſi nempe ab eo, cui id certum eſt, (Deo) nulla inferatur operanti vis. Nec *obſtat*, quod ſcientia per totam æternitatem *præceſſerit* actum, quia reſpectu Dei nihil eſt *præteritum*, aut *futurum*, ſed omnia illi ſunt *præſentia*. Sic blasphemia v. g. Anti-Chriſti reſpectu Dei non eſt *futura*. ſive non *erit*, ſed *eſt* tantum, facile autem poteſt concipi, quod actus Deo præſentiſſimus poſſit Deum determinare objective ad ſcientiam actûs. Ita Cl. D. *Amort Phyſ. part.* 3. *Sect.* 3. *q.* 6. plura itidem Theologi de hac re.

Ob. 3. Voluntas creata eſt indifferens: ergo ſe ipſam determinare nequit, ſicut corpus v. g. quod eſt indifferens ad motum, ſe ipſum movere nequit. R. 1. *retorq.* etiam voluntas increata Dei eſt indifferens, & tamen liberrime ſe determinat. Hinc R. 2. D. C. niſi

Voluntas creata eſt activè, non paſſivè indifferens.

niſi ſit indifferens indifferentiâ activa C. ſi taliter ſit indifferens. N. C. & C. Corpus eſt ſolummodo *paſſive* indifferens ad motum, voluntas autem *active*: ergo lata eſt diſparitas.

Ob. 4. Probabile eſt, nullam eſſe libertatem voluntatis humanæ; ſi Deus illam ad omnes actus phyſice *præmoveat*, ut paulo poſt patebit: atqui probabile eſt (juxta omnes Thomiſtas) dari *præmotionem phyſicam* ad omnes actus: ergo etiam probabile eſt, nullam dari libertatem. R. N. C. In hoc Syllogiſmo; nam veritas concluſionis dependet ex *ſimultanea* veritate præmiſſarum: præmiſſæ vero non *ſimul*, ſed *ſeorſim* tantummodo, & penes *diverſos* auctores ſunt *probabiles*, ſicque æquivalent quaſi duabus præmiſſis *particularibus*: ergo concluſio exinde deducta erit falſa, (Log. *fol.* 242.) cum non ſit juxta regulam univerſalem Syllogiſmorum, (Log. *fol.* 249.) ut examinanti patebit. Dein *inverto arg.* atqui *improbabile* eſt, dari præmotionem phyſicam: (DLIX.) ergo &c.

Nec tamẽ poteſt eli- Ob. 5. Si voluntas eſſet indifferens in ſua electione, poſſet etiam eligere ma-

malum: atqui hoc non (DXV.) ergo p. M. in S. Script. *Eccli.* 14. *v.* 18. expreſſe dicitur: *ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: ergo. R. D. M. poſſet eligere malum ſub ratione boni (ſaltem *præfixi* & *apparentis*) C. M. ſub ratione mali. N. M. Et ſic D. m. N. C. libertas non conſiſtit in hoc, quod voluntas poſſit amplecti *bonum* vel *malum*, ſed *hoc vel illud bonum*. (DXIX.) Hinc etiam, ſi quandoque voluntas appetit *minus* bonum, relicto *majori*, ſemper tamen illud appetit, *ut ſibi abſolute bonum*, vel etiam ut ſua utatur *libertate*, quæ plerumque tanti ab homine fit, ut cuilibet finito bono ab ipſo præferatur. Quando vero damnati appetunt *non eſſe*, illud non appetunt tanquam deſtructivum naturæ, (quod *malum* foret) ſed ut terminativum pœnæ. Denique etiam qui ex *malitia* peccat, non vult malum *ut malum*, ſed ſcit tantum, ſua actione ſe *peccare*, nec tamen ideo vult actionem ſuam peccaminoſam, *quatenus* peccaminoſa, ſeu *mala* eſt, ſed *quatenus* ſibi *bona*, ſeu appetitui ſuo *ſenſitivo* conſentanea eſt, & per hoc diſtinguitur ab eo, qui peccat *ex ignorantia*, hic namque putat, actione ſua ſe legem nullam vio-

Art. VI. gere malum, qua malum.

violare, ideoque vult *malum*, quod credit non eſſe *malum*.

Absque libertate non dantur propriè pœna, laus, aut vituperium.

Ob. 6. Licet occidere hominem furioſum, aut animalia venenata & noxia, ſi nos aliter defendere ab ipſis non valemus, quamvis illorum actiones non fiant cum *libertate electionis*: ergo etiam homo poteſt puniri vel damnari ob actiones, a voluntatis indifferentia nequaquam procedentes: conſequenter ex eo non probatur liberum hominis arbitrium. R. D. A. Licet occidere, ita ut tamen mors iis illata non ſit proprie *pœna*, ſed ſolummodo medium, juſtaque *defenſio* contra illorum vim C. A. ut ſit proprie *pœna*. N. A. & C. Sic autem & alia, quæ brutis fiunt, nec *minæ* ſunt proprie loquendo, nec *laudes* aut *vituperia*, ſed nuda *ſigna* ad excitandas in brutorum phantaſia certas motiones, per quas dein *neceſſario* determinentur ad certas omiſſiones vel commiſſiones. Contrarium accidit in *hominibus* ratione utentibus, prout ſenſus intimus prodit, iſti enim cum plena advertentia poſſunt ponere actus, ejusmodi motionibus oppoſitos.

Ob.

Art. VI. Quomodo amor beatorum ſit laude dignus?

Ob. 7. Beati in cœlo *neceſſario* Deum amant, & tamen eorum amor eſt *laude* dignus & *honeſtus*: ergo pariter in homine viatore non requiritur libertas indifferentiæ ad hoc, ut honeſte agat. R. D. 2. *membr.* A. eſt laude dignus & honeſtus *objective*, id eſt, habet objectum honeſtum C. poteſt imputari ad laudem, tanquam prœmium N. *meritum* ex ſuo conceptu eſſentiali eſt *obſequium moraliter imputabile*, nihil autem eſt tali modo imputabile, niſi fiat ex *libertate indifferentiæ*, ut in *prob.* dictum eſt &c.

Omiſſio pure libera datur.

DXXIV. *Scholion.* Longam hic adhuc quidam texere ſolent diſputationem, num in voluntate dari poſſit *omiſſio pure libera?* hoc eſt, num voluntas poſſit ita omittere, ut non ponat actum poſitivum *nolitionis*, & tamen ipſa ommiſſio dicatur *libera?* e. g. Cajus die dominica non audit miſſam, quin unquam dicat: *nolo audire miſſam.* Negant *Thomiſtæ* hanc Sacri audiendi omiſſionem eſſe liberam, *Scotiſtæ* vero affirmant; nam (inquiunt) voluntas creata nedum eſt libera *libertate contrarietatis*, quæ dicit poſitionem *bujus vel alterius* & oppoſiti actûs, quam etiam

libertate *contradictionis*, quæ dicit *poſitionem* vel *non poſitionem* unius ejusdemque actûs: ergo eo ipſo, etiam dum ponit *non actum*, ſeu *omiſſionem* actûs, erit adhuc formaliter *libera*. Diciturque a Scotiſtis iſta actûs omiſſio *exercitium libertatis negativum*, non *poſitivum*, utpote quod poſtremum tunc ſolum habetur, quando actus ponitur *poſitivus* per libertatem *contrarietatis* &c. At hujus quæſtionis, in Metaphyſica parum utilis, reſolutioni non libet pluribus immorari.

ARTICULUS VII.

Quomodo voluntas ab Intellectu dependeat, & quanam ex alterutra potentia præſtantior ſit?

Status quæſtionis.

DXXV. Rem denuo hic habent *Scotiſtæ* cum *Thomiſtis*, in utraque quæſtione propoſita reſolvenda ſibi contrariis. Docent nempe *Thomiſtæ* 1. non poſſe quidquam a voluntate libere peragi, niſi prius in intellectu præceſſerit definitum *judicium practicum*, (XDLXXXIX.) vel, uti loquuntur, *imperium*, hoc in individuo eſſe homini eligendum. Imo affirmant iſti, quod voluntas *neceſſario* illud

illud eligere debeat, quod *ultimum judicium practicum* (*n. cit.*) determinavit eſſe eligendum: at *Scotiſtæ* cum aliis ajunt, voluntatem non ita ſubjici, ut ad unam contradictionis partem ab illius Judicio determinetur, ſed ſufficere ſolum Judicium *theoreticum*, ſeu cognitionem præviam. 2. *Thomiſtæ* propter ejusdem ſuæ doctrinæ conſequentiam docent, Intellectum voluntate longe *præſtantiorem* exiſtere, *Scotiſtæ* vero propter oppoſita doctrinæ ſuæ capita id ipſum negant. Cæterum

DXXVI. Duo iſta tanquam certa & indubitata ab omnibus nedum Thomiſtis ſed & Scotiſtis admittuntur. Videlicet 1. quod voluntas in omni actione ſua ab Intellectu dependeat; etenim (quia juxta commune axioma *nihil eſt volitum, niſi præcognitum*) quodcunque *agere* voluntas intendit, illud prius ab intellectu *cognitum* fuiſſe debet. 2. Quod voluntas *absque motivo* nil velit aut nolit: nam ſecus ageret absque *ratione ſufficienti*, quod rurſum implicat. (XIII.) motivum porro *volitionis* eſſe rationem *boni*, & motivum *nolitionis* eſſe rationem *mali*, ſive non boni, in objecto deprehenſam, antea dictum jam eſt. (DXV.)

PROPOSITIO I.

Voluntas poteſt agere ante judicium practicum, nec iſtud unquam voluntatem ita dirigit, ut eam neceſſario determinet.

Voluntas poteſt agere ante omne judicium practicū,

DXXVII. PROBATUR 1. *pars.* Judicium practicum non prærequiritur ex parte *objecti*, utpote quod movere poteſt, dummodo rationem *boni* vel *mali* contineat, (DXV.) neque ex parte ipſius *voluntatis*, poteſt enim hæc bonum actu appetere, dummodo illius *cognoſcat* bonitatem vel malitiam: ad hoc autem ſufficit, ſola cognitio *Theoretica*, quæ præcedit Judicium *practicum*, habetque eo ipſo voluntas *motivum*, ut operetur: ergo opus non eſt judicio *practico; cognoſcit* enim profecto Mens objectum, & *bonum* judicat, antequam intellectus *dictet*, illud v. g. eſſe *amore* proſequendum vel odio.

Nec ab eo neceſſario determinatur.

PROBATUR 2. *pars.* Voluntas poſito quocunque Judicio *practico* intellectûs num manet adhuc *libera*, num perdit ſuam libertatem? ſi 1*mum*: ergo a Judicio practico non determinatur, ſed

ſed aliter operari, & *contrarium* agere poteſt. Si 2*dum*: ergo Judicium practicum privat voluntatem libertate: *abſurdum eſt* autem, ut ait S. Bernardus *in tract. de grat. & lib. arb. voluntatem a ratione deſtrui: quæ* tamen *data eſt, ut voluntatem inſtruat.* CONF. I. Poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt voluntas *non operari*, ſeu *libere omittere*, (DXXIV.) cum ſit libera libertate *contradictionis*, (DXXII.) operationes igitur intellectûs (atque adeo judicium quoque illius *practicum*) non reſpiciunt voluntatem, niſi ut *prærequiſita* ad illius actiones, & conſequenter poſito quocunque Judicio *practico* Intellectûs voluntas manet libera, nec ab eo neceſſitatur. CONF. II. Intellectûs officium ſolummodo eſt *illuminare & dirigere* actus voluntatis: voluntatis autem eſt *determinare* tum ſe, tum alias potentias, hoc ipſo quod ſit *libera*: ergo intellectus *ratione ſui* nunquam determinat voluntatem.

PROPOSITIO II.

Voluntas eſt potentia nobilior & perfectior intellectu.

Eſtque potentia nobilior, quam intellectus.

DXXVIII. PROBATUR. Dignitas ſeu nobilitas atque perfectio alicujus potentiæ operantis ex triplici potiſſimum ratione enaſcitur, 1. ex *imperio*, ſi nempe illa aliis imperat. 2. Ex *effectibus*, quos producit, ſi nempe hi ſunt ordinis longe excellentioris, quam effectus aliarum potentiarum. 3. Ex *objecto*, circa quod verſatur, ſi videlicet illud ſit multo *amplius* vel *nobilius*, quam alterius potentiæ objectum: atqui triplex hæc dignitas atque perfectio multo magis reperitur in *voluntate*, quam *intellectu*: ergo. p. m. quoad 1*mum*. Voluntas habet *imperium* in intellectum, ſicut & in cæteras potentias, quæ ſuas operationes non habent ex mechaniſmo; nam intellectus ad intelligendum ſe applicare non valet, niſi a voluntate applicetur, ut huic potius quam alteri rei intelligendæ det operam: econtra voluntas non neceſſario ſequitur intellectûs judicium practicum: (n. præc.) ergo *imperium* eſt proprie actus voluntatis. *Quoad* 2du*m*.

actum. Voluntas eſt etiam nobilior in ſuis *actibus* eliciendis, quam intellectus; illa enim elicit actum *amoris*, intellectus vero ſolummodo actum *cognitionis*: atqui actus amoris, præſertim ſupernaturalis (ad quem tendit humana voluntas ex innata ſibi vi (CCCLXXXIV. V.) Eſt longe excellentior, utpote qui eſt *charitas*, & *fruitio Dei*, quæ datur in beatis, juxta illud 1. *Cor.* 13. *major horum eſt charitas.* Item juxta illud: *quid juvat aſpectus* (ſeu *cognitio*) *ſi non conceditur uſus*? ſane *felicitas* non eſt in eo poſita, ut *cognoſcamus*, ſed præcipue ut *fruamur* Deo, quod fit, quando amans tranſit in amatum. *Quoad 3tium.* Ratione *objecti* ſaltem *æque univerſalis* eſt voluntas ac intellectus; nam objectum *voluntatis* eſt *bonum*, & objectum intellectûs eſt *verum*: atqui tam *bonum* quam *verum* eſt æque univerſale: (LXXXIII. & XCIX.) ergo.

Solvuntur Objectiones.

DXXIX. Ob. 1. Contra 1. *Prop.* 2. *p.* Juxta commune axioma *nihil eſt volitum, niſi præcognitum*: atqui iſta *cognitio* eſt ipſum judicium *practicum* intellectûs: ergo cum voluntas deter- **Voluntas non agit ſine cognitione prævia,**

bene vero absque dictamine practico.

minetur a *cognitione*, determinabitur quoque a judicio practico. R. N. m. Nam aliud eſt *cognoſcere* ſimpliciter, aliquid eſſe *bonum*, & aliud eſt *dictare*, hoc eſſe amplectendum, cui ultimo dictamini refragari non poſſit voluntas; hæc quippe *ſe ipſam* determinat ad exercendam libertatem, quamvis dictum judicium *prævie* fuerit poſitum, ita ſcilicet, ut voluntas ſe determinet *poſt* hoc judicium, non tamen *propter* hoc, fere ſicut ignis ad lignum comburendum ab approximatione non determinatur, licet fieri non poſſit combuſtio ſine approximatione prævia, ita & *cognitio* eſt velut *approximatio*, hoc eſt, prærequiſita *conditio*, ut dein voluntas ſe determinet; quæ etiam ſe determinare quandoque valet ex hoc ſolo motivo, *ut ſua utatur libertate*, & præciſe *quia vult*, juxta illud: *ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.*

Judicium ultimum eſt tantū conditio, non cauſa neceſſitans.

Inſt. 1. Voluntas nunquam agit contra *ultimum* judicium practicum, ideo enim vulgo *ultimum* dicitur, quia ipſum immediate conſequitur determinatio voluntatis: ergo ab hoc non ſolum dirigitur tanquam a *conditione*, ſed neceſſario quoque determinatur. R. D.

A.

A. Ita tamen, ut illud etiam poſſit non ſequi C. A. ut neceſſario ſequi debeat. N. A. & C. Vel aliter D. A. ita tamen ut hoc ultimum judicium ſe habeat tantum, ut prærequiſita conditio C. A. ut cauſa influens, & neceſſario determinans. N. A. Aliud eſt, voluntatem *nunquam ſe determinare* ad aliquid faciendum, vel non faciendum *ſine* prævio aliquo judicio dictante ipſi voluntati, ut ita ſe gerat, (inquit Cl. P. FORT. a BRIX. *Met. p.* 2. §. 440.) aliud vero, voluntatem ad unam contradictionis partem neceſſario *a judicio intellectûs determinari*, utpote quod eſt ſola *conditio* prærequiſita, ut voluntas ad unum ſe determinet *libere*, non *neceſſario*, vel etiam ut actum ſuſpendat, libereque omittat.

Inſt. 2. Si voluntas libere quidquam eligere poſſet contra judicium practicum intellectûs, tunc revera homo peccare poſſet, quin errorem in *intellectu* committeret: atqui hoc non, quia, ut dicitur in *Proverb. c.* 14. *v.* 22. *errant, qui operantur malum*: ergo. R. N. m. Nam peccatum angelorum, primique parentis fuit utique ſine errore in intellectu, ſeu ſine *ignorantia*, quæ cer- (Qui peccant, non ſemper errant in intellectu, ſed in voluntate)

te *culpam* non præceſſit: ſed nec illi fuerunt incitati ab *appetitu ſenſitivo*, ſed mere ex malitia *voluntatis* peccarunt, uti etiamnum hodie contingit juxta illud: *video meliora*, *proboque*, (per *intellectum*) *deteriora ſequor*; (perverſa ſcilicet *voluntate*) unde etiam S. Script. ait, peccatum eſſe *ſcienti* bonum, (per cognitionem) & non *facienti* illud. (Per voluntatem)

Intellectus ſe habet tanquam conſiliarius, aut ſervus, voluntas vero eſt domina.

Ob. 2. *Contra* 2. *Propoſ.* Voluntas 1. eſt cœca, & debet illuminari ab intellectu. 2. Eſt tantum *rationalis participative*, intellectus vero per eſſentiam: ergo intellectus eſt nobilior, quam voluntas. R. ad 1*mum*. D. A. & ſic ſe habet intellectus tantummodo ut ſervus facem præferens, aut tanquam conſiliarius. C. A. tanquam Dominus aut Rex. N. A. Ad 2*dum* R. 1. *retorq.* Intellectus eſt tantum *liber* participative, & voluntas per eſſentiam: ergo hæc erit perfectior. R. 2. D. A. Si *rationale* ſit idem, ac *intellectivum* C. A. Si ſumatur pro principio cognoſcitivo ſimul & libero, (prout etiam ſumi debet) N. A. & C.

Inſt. 1. Intellectus *prius* emanat ab anima, quam voluntas: ergo eſt perfe-

fectior, ſicut v. g. quia *τὸ riſibile* fluit ex *rationali*, etiam rationale eſt *perfectius* quam riſibile. R. 1. N. C. Nam natura ab *imperfectioribus* graditur ad perfectiora, ut patet ex fœtu, ſenſim ad perfectionem perveniente. R. 2. D. C. Si intellectus foret *radix*, ex qua voluntas emanet, C. c. Si eſt tantum *gradus*, aut potentia ſimilis voluntati, ſimul cum illa Metaphyſice emananti ab eadem anima. N. C. & C. Indeque patet *diſparitas.*

Inſt. 2. Intellectus non *coinquinatur* ab objecto, bene autem voluntas: ergo hæc illo imperfectior exiſtit. p. A. Etſi intellectus a *falſitate* ſeu *difformitate* eludi poſſit, non tamen ille maculam in genere *malitiæ* contrahit; bene autem voluntas: ergo. R. N. A. Ad prob. D. A. Ita tamen, ut etiam hæc imperfectio reſarciatur a perfectione aliqua multo majore, & ſuperante omnes reliquas intellectûs perfectiones, nempe ob actus amoris *ſupernaturales*, (n. præc.) C. A. ſecus. N. A. & C. Ac ſimul *retorq.* etiam *ſenſus* non fit impurus impuritate *malitiæ*, ſicut voluntas: ergo etiam *ſenſus* ex hoc capite foret perfectior voluntate, quod nemo dicet.

DXXX.

Quomodo animæ potentiæ inter ſe diſtinguantur? DXXX. *Scholion* I. Poſt hactenus dicta de *potentiis* animæ dicendum adhuc foret, quomodo una *potentia* diſtinguatur ab altera? ſed quoniam tum in *Ontologia* de *diſtinctione Scotiſtica*, tum hic per decurſum non pauca illuc pertinentia jam jam attigimus, antiquam crambem recoquere operæ pretium non eſſe putamus. Videantur etiam dicta in Logica *fol.* 153.

DXXXI. *Scholion* II. Pariter, quæ de *habitibus* notanda ſunt, ex dictis, maxime de *memoria* (quæ mentis ut *intelligentis* habitus eſt;) facile colligi poſſunt, ea tamen, ut Tyronum mentibus altius inhæreant, denuo in compendium contraho. Igitur

Habitus diverſi, I. *Habitus*, qui ab Ariſtotele 2. *Eth.* c. 4. dicitur *qualitas primæ ſpeciei*, (Log. *fol.* 84.) *adveniens potentiæ, eamque juvans ad operandum*, ex genere ſuo in ſcholis dividitur 1. in habitus *naturales*, ſeu *acquiſitos*, qui ſcilicet repetitis actibus comparantur, & in *ſupernaturales* ſeu *infuſos*, quos nempe DEUS infundit nobis ſine nobis. 2. In *intellectuales*, qui mentis intelligentiam & cognitionem juvant, (horum quinque ab Ariſto-

ſtotele *l.* 6. *Eth. c.* 3. enumerantur, *intelligentia*, *ſapientia*, *ſcientia*, *prudentia*, *& ars)* & in *morales*, qui voluntatem inclinant vel ad *bonum*, vel ad *malum* morale. Si ad bonum, *virtutes*, ſi ad malum inclinant, *vitia* nominantur. 3. In *ſpirituales*, qui juvant facultatem *ſpiritualem*, (licet etiam ratione ſuæ entitatis ad *corpus* magna ex parte pertineant) & in *corporeos*, qui facultatem *corpoream* ad agendum determinant. Eſtque rurſum uterque vel *bonus*, & dicitur virtus: vel *malus*, & vitium nuncupatur.

Cauſa habituum intellectualium.

II. Habitus *intellectuales acquiſiti* præter mentis *cognitionem*, quæ eſt eorum pars excellentior, includunt *affectiones corporeas*, quæ cognitionem illam, velut *occaſiones*, determinant. (D.) Nempe homo per habitus intellectuales, quos labore & ſtudio ſibi comparavit, *jus* illud in res quasdam ſibi acquiſivit, tanquam *mercedem* laboris a Deo conceſſam, ut, cum attendere volet, eas percipiat. Ita Cl. *Purchotius. Met. p.* 2. *Sect.* 3. *c.* 6.

Et moralium

III. *Habitus morales acquiſiti* ut *juſtitia*, *injuſtitia*: *temperantia &c.* præter

men-

Sect. III. acquiſito-rum.

mentis ipſius, ſeu *voluntatis diſpoſitionem*, quæ eſt pars *ſuperior* habitûs moralis, aliquam requirunt agendi *facilitatem* quæ rurſum in affectionibus mechanicis, hoc eſt, in impreſſis cerebro veſtigiis, expedito ſpirituum animalium motu, & impedimentorum remotione conſiſtit; nam, ut cit. auctor inquit, voluntas naturaliter per ſolam intellectûs *perceptionem* ad agendum ſatis determinatur, nec ullam patitur moram inter agendum, niſi quæ ab effectibus, ſeu motibus corporeis injicitur: unde vincenda tantum eſt reſiſtentia, quæ a *Corpore* oritur, idque per contrariam corporis affectionem, quæ in ſpirituum motu maxime eſt collata. ſimili fere modo loquitur etiam Cl. P. *Hauſer p. 2. Pſychol.* §. 396. dum vult, quod habitus acquiſiti voluntatis conſiſtant *in ſpeciebus rememorativis rite modificatis, hoc eſt*, (prout ipſemet explicat) *coordinatis, ac firmatis, facile excitabilibus, & experimentaliter notam proponentibus bonitatem, aut malitiam objecti, guſtum, aut moleſtiam actuum præteritorum, cum negatione ſpecierum oppoſitarum, æque faciliter excitabilium, vel æquali vivacitate in contrarium trahentium.* His namque poſitis (pergit ille) ſufficienter intelli-

gi-

gitur *facilitas* illa, qua voluntas juvatur, & inclinatur ad *virtutem* vel *vitium*, *amorem*, vel *averſionem &c.* neque apparet neceſſitas *qualitatis* ab antiquis ſuperadditæ, quia voluntas tanto intenſius atque facilius inclinatur ad objectum ſuum, quanto *clarius*, *vivacius*, atque *frequentius* ei proponitur *bonitas* objecti: & delectatio percepta ex proſecutione præterita talis objecti: id quod fit per ſolas *ſpecies* rite *modificatas*, uti etiam nos ſupra de *Memoria* diximus, (D.) quibus conformiter

IV. Illud axioma, quod dicit, *habitum fieri ex actibus repetitis*, ſenſum habet apud RR. quod cauſæ effectrices habituum naturalium, etiam ſpiritualium, ſint *ſpiritus animales*, quatenus per actus repetitos determinati, vias ſibi aperiunt, & altiora imprimunt crebro veſtigia, (ideoque habitus naturalis per *unum* duntaxat actum comparari nequit) augmentum quoque, ſeu *intenſio* habituum fit per altiorem in cerebro veſtigiorum impreſſionem, patentiores meatus, liberioremque ſpirituum motum &c. *remiſſio* autem ob cauſas iis contrarias accidit, dum nempe impreſſa cerebro veſtigia paulatim oblit-

Habitus quomodo fiat ex frequentatis actibus, itemque quomodo intendatur, & remittatur?

litterantur, aut ſpirituum animalium viæ occluduntur, vel nimium conſtringuntur. Quod ſi denique eadem veſtigia penitus deleantur, vel meatus occludantur, tunc habitus omnino *pereunt*.

Habitus modaliter diſtinguuntur ab anima.

V. Cæterum naturales ejusmodi & acquiſiti habitus, etſi juxta RR. non ſint *entitates* ſeu *qualitates* ab anima ſeparabiles, & accidentia abſoluta, uti volebant Peripatetici veteres, ſunt tamen non omnino *extrinſecæ* tantum quædam *denominationes*, ſed *modi*, ſeu *affectiones modales*, incorporeæ, quibus (haud ſecus ac materialis *corporum* ſubſtantia plurimis corporeis *qualitatibus*, tanquam *modis* & accidentibus, exornatur) ſpiritualis illa, incorporea ac divina fere *mentis* ſubſtantia exornatur ac perficitur, ſeu *modificatur*. Idem quoque de *habitibus ſupernaturalibus* (de quibus Theologi) a proportione judicium eſto, hi nempe ſunt *modificationes* immediate ab ipſo *Deo* in anima productæ; non autem, ut illi, *viribus naturalibus* acquiſitæ. Optime de cætero Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 2. §. 15. ait, *hominem, quantus quantus eſt*, nihil aliud eſſe præterquam *habituum congeriem*, hoc eſt, (ut ſe ipſum explicat) intelli-

Homo in quo ſenſu conſtet ex habitibus?

gen-

gendo per hominem non nudum ac merum *animal* mente & corpore præditum, (quem cit. Cl. Autor hominem *naturalem* appellat) ſed hominem *civilem*, cujus velut rudis materies eſt homo *naturalis*. Vere enim ex *naturali civilem* hominem ſoli efficiunt *habitus*, tum *intellectivi*, (præprimis ſcientiæ) tum *morales*, ſeu virtutes, tum etiam qui *corpus* in ſuo decore conſtituunt atque conſervant. Nec minus appoſite idem ille mox cit. Cl. Autor loquitur *prop.* 54. quod *tota humana eruditio duobus generatim habitibus contineatur*, qui ſola relatione ad objecta velut multiplices & varii ſpectari poſſint. Sunt autem juxta ipſum duo illi habitus 1. *Memoria*, quam vocat *numerum quemdam idearum*, & 2. *facultas ſuper iisdem ratiocinandi*, id eſt (prout denuo explanat) *facultas ideas contexendi*, *antecedentia*, *conſequentia*, & *connexa perſpiciendi*. Hanc potentiam *habitum* vocat, quatenus is nempe variis objectis *exercetur*, (etſi *vis* ipſa ratiocinandi innata ſit) ideoque, cum exercitatione acquiratur, deſuetudine amittatur &c. *habituum* proprietates vere in ſe continet.

Item quomodo ex duobus habitibus conſtet tota hominis eruditio?

DISSERTATIO II.

SEU

Theologia Naturalis.

Theologiæ naturalis Etymologia, & objectum.

DXXXII. Pervenimus tandem ad alteram Pnevmatologiæ, ac ultimam Metaphyſicæ partem, ad *Theologiam* videlicet *naturalem*, quæ conformiter Etymologiæ nominis ſui (a Græcis enim vocabulis Δεὸς, *Deus*, & λόγος *ſermo* latine dicitur *ſermo de DEO*) Spiritum puriſſimum, DEUM ſcilicet, prout *naturali lumine* attingi valet, contemplatur, (V.) & per hoc a a Theologia *ſupernaturali*, quæ ad agendum de Deo *fidem* potiſſimum ac *revelationem* in ſubſidium vocat, diſtinguitur: unde iis omnibus omiſſis, quæ ad ſupernaturalis Theologiæ forum ſpectant, ſolum hic inquirimus 1. An Dei exiſtentia *ſola ratione duce* invicte contra atheos demonſtrari queat? 2. An ejus *providentiæ* res creatæ ſubjaceant? 3. denique an & quomodo Deus cum creaturis ad agendum concurrat? numve eas phyſice præmoveat? evolvamus ſingula!

SECTIO I.

De
Exiſtentia Dei.

ARTICULUS UNICUS.

An Exiſtentia Dei evidenter demonſtrari poſſit?

DXXXIII. Sub nomine Dei intelligitur *ens a ſe*, *adeoque neceſſario exiſtens*, *plenum rationis*, *atque Conſilii*, *a quo aſpectabilis mundus*, *eaque omnia*, *quæ in illo ſunt*, *condita fuerunt*, *& facta reguntur.* In qua definitione nominali omnes, teſte intimâ conſcientia, conveniunt, etſi nemo ſit, qui prædicata ipſius, utpote ſumme infinita, per ideas diſtinctas & adæquatas poſitive comprehendere valeat: unde etiam juxta pleroſque ejusdem exiſtentia *a priori* (Log. *fol.* 469.) demonſtrari nequit, cum nec habeat, nec habere poſſit *cauſam* ſui phyſicam, (eo ipſo quod ſit ens *a ſe*) nec aliud *prædicatum* formaliter *prius*, eoquod ſit ens, omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices in ſe uno *tanquam in fonte* infinite poſſidens, atque abſorbens. Notio Dei declaratur.

Status quæſtionis.

DXXXIV. Quæſtio igitur ſolummodo remanet, quomodo Deus demonſtrari poſſit *a poſteriori*, (Log. *fol.* 470.) ſive, quomodo *cauſa prima* ex *effectu*, vel prædicatum Dei formaliter *prius* per aliud formaliter *poſterius* demonſtretur? ad hoc ergo Philoſophi tria argumentorum genera adhibere ſolent, 1. *Philologica*, quæ etiam ab aliis *moralia* vocantur, 2. *Phyſica*, & 3. *Metaphyſica*. *Primi* generis ea ſunt, quæ ab *Hiſtoria humana*, atque a *conſenſu* omnium gentium deſumuntur, 2*di* vero & *tertii* generis a principiis *Phyſicis* aut *Metaphyſicis* peti ſolent (ſi tamen revera *Metaphyſica* dici queant argumenta illa, quæ multis talia non videntur) afferamus e ſingulis generibus aliqua!

PROPOSITIO I.

Exiſtentiam Dei demonſtrant argumenta Philologica.

Exiſtentia Dei demonſtratur ex hiſtoria humana,

DXXXV. ARGUMENTUM I. Ex *hiſtoria humana* certiſſime conſtat, genus humanum aliquando cæpiſſe; antiqua enim hiſtoria ultra *Ninum* non aſcendit. (Nam memoriæ Ægyptiacæ, Aſſyriæ, & Sinenſes, quæ

pau-

paulo *vetuſtiores* ſunt) nil niſi ridicula *commenta* & *fabulas* continent, ut legentibus patet. Item in annalibus notata ſunt *regnorum* & *civitatum* quarumvis *celebriorum* initia, primæ origines *artium* & *ſcientiarum*, eæque exiguæ & barbaræ ac prorſus impolitæ, donec tantem *per gradus* ad eum ſplendorem, quem nunc exhibent, pervenerint: ergo, quia conſtat genus humanum *initium* habuiſſe, & cum non minus conſtet, id non habuiſſe ex *nihilo*, (XII.) neque ex *inerti* materia: ergo a ſummo mundi *conditore* &c. Hic porro mundi conditor non poteſt eſſe *contingens*, alias pertineret ad ipſum *mundum*, (utpote *contingentem*) & non eſſet a *mundo* diverſus: ergo debet eſſe *ens neceſſarium*: (DXXX.) adeoque datur Deus.

Argumentum II. A *gentium conſenſu*. Nam, ut ſolide arguit Tullius *l.* I. *Tuſc. qq. firmiſſimum hoc adferri videtur, cur Deos* (Deum) *eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum* (Dei) *opinio.* Profecto Barbaræ etiam nationes, nuper ab Europæis cognitæ, non ſolum *ideam* ſupremi cujusdam *conditoris*, licet ob- Ex conſenſu gentium.

ſcuram & confuſam, verum etiam externum cultum & religionem habent, velut penitiſſimi Tartari & Samojedæ, ad oceanum glacialem ſiti: item Islandi, Grœnlandi, Septentrionales Americani, Mexicani, Peruani, Hottentotti, Caffari &c. ut conſtat ex perpetuis Itinerariis noſtrorum: jam ergo quæritur: omnes hæ gentes num a *natura ipſa* in hanc conſenſionem venerunt, num vero a *Deo ipſo* eam hauſerunt doctrinam? Quomodocunque res ſe habeat, aut ex *natura ipſa* perſpicuum eſt, Deum exiſtere; nam, ut citatus Tullius inquit: *Conſenſus omnium gentium naturæ quædam vox eſt.* Aut doctrina eſt, a Deo ipſo primis mortalibus tradita; nam phœnomeni generalis itidem generalis ſit cauſa neceſſe eſt, ita Cl. Ant. Gen. *Met. p. 3. pag. mihi.* 117. ergo.

PROPOSITIO II.

Exiſtentiam Dei demonſtrant argumenta Phyſica.

Ex mundi ordine, & pulchritudine. DXXXVI. Argumentum I. Ex rerum mundanarum ordine, & *pulchritudine*. Hoc argumentum

tum *ſolide* non minus quam *ornate* multis in locis denuo pertractat Tullius, atque inprimis *qq. Tuſc. l. 2. c.* 28. ubi ſic loquitur: "cum videmus ſpeciem „candoremque cœli, deinde converſionis celeritatem tantam, quantam „cogitare non poſſumus, tum viciſſitudines dierum atque noctium, commutationes temporum quadripartitas, ad „maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque „omnium moderatorem & ducem, ſolem lunamque accretione, & divinatione luminis, quaſi faſtorum notantem, & ſignificantem dies, tum in „eodem orbe, in duodecim partes diſtributo, quinque ſtellas ferri, eosdem curſus conſtantiſſime ſervantes, „diſparibus inter ſe motibus, nocturnamque cœli formam, undique Syderibus ornatam. --- --- hæc, & alia „innumerabilia cum cernimus, poſſumusne dubitare, quin his præſit aliquis vel effector, ſi hæc nata ſunt, „ut Platoni videtur, vel ſi ſemper fuerint, ut Ariſtoteli placet, moderator „tanti operis? „ Eundem in modum eleganti ſſime diſſerit *l. 2. de nat. Deorum.* videlicet: "Philoſophi, cum vidiſſent, „motus mundi finitos & æquabiles,

„omniaque ratis ordinibus moderata, „immutabilique conſtantia, debuerunt „intelligere, ineſſe aliquem non ſolum „habitatorem in hac cœleſti ac Divina „domo, ſed etiam rectorem & mode„ratorem, & tanquam architectum tan„ti operis, tantique muneris.„ Denique hoc modo arguit: “ſi eſt aliquid in re„rum natura, quod hominis mens, „quod ratio, quod vis, quod pote„ſtas humana efficere non poſſit, eſt „certe, quod illud efficit, homine me„lius: atqui res cœleſtes, omnesque „eæ, quarum eſt ordo ſempiternus, „ab homine confici non poſſunt: eſt „igitur id, quo illa conficiantur, ho„mine melius. Id autem quid potius „dixeris, quam Deum? -- Etenim ſi Dii „non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum „natura homine melius? in eo enim „ſolo ratio eſt, quia nihil poteſt eſſe „præſtantius. Eſſe autem hominem, „qui nihil in omni mundo melius eſſe, „quam ſe, putet, deſipientis arrogan„tiæ eſt: ergo eſt aliquid melius: eſt „igitur profecto Deus.„

Ex uſu & finibus rerum creatarũ,

Argumentum II. Ex rerum creatarum *uſu* ac *finibus*. Sive enim totum hujus mundi contextum, admirabilemque ſtructuram, ſive humani corporis ele-

gan-

gantiſſimam coagmentationem, ſive animantium, plantarumque & herbarum varietatem & uſum mente & cogitatione percurramus, omnia ita ad certum *finem* ac *uſum* collocata & diſpoſita eſſe videmus, ut nihil prorſus fruſtra adeſſe perſpiciamus, ſic enim 1. *cœleſtia ſydera*, & quæ in iis maxime eminent, Sol & Luna, curſus agunt ita attemperatos ad terrarum fœcunditatem, & animantium valetudinem, ut ne excogitari quidem aptius quidquam poſſit. 2. *Humani corporis* admirabilis conſtructio ita eſt conſtituta, ut omnia ibi, etiam minima, ſuos uſus habeant, & quidem nullo ſtudio, nulla induſtria parentum, arte vero tanta, ut Philoſophorum ac Medicorum præſtantiſſimi nunquam ea ſatis poſſint admirari: 3. In Elementari mundo *flumina* ſerviunt irrigandis terris, &, ut etiam partes remotiores poſſint attingere, per calorem reſolvuntur in vapores & pluvias. 4. *Plantæ* paſcunt animalia, & conſervant eorum corpora. Singulis item plantis Deus indidit ſemina ad ſuæ ſpeciei conſervationem, ſicut & in ſingulis plantis & animalibus datur certa magnitudo & figura &c. quis igitur in mente non convincatur, opificem na-

turæ eſſe *mentem excellentiſſimam*, & conſequenter *Deum?* Profecto ſi quis deportaretur in aliquam inſulam, in qua videret ædificia, hortos, aut alia manuum humanarum opera, ſtultum foret illa attribuere *caſui*, non requirendo cauſam *intellectualem*: ergo etiam homo delatus in hunc mundum, & videns opera ordinatiſſime diſpoſita, non poteſt non omnia adſcribere menti univerſali, omnia ordinanti, ac diſponenti &c.

PROPOSITIO III.

Exiſtentiam DEI demonſtrant denique argumenta Metaphyſica.

Ex prædicato entis a ſe, & neceſſarii,

DXXXVII. ARGUMENTUM I. Ex prædicato *entis a ſe, & neceſſarii.* (LVIII.) Evidens eſt, dari entia *producta* & *contingentia*: ergo etiam evidens eſt, dari ens *a ſe*, ſeu *improductum*, & *neceſſarium*. p. C. Evidens eſt, quod omne ens *contingens* poſſit etiam *non exiſtere*, aut *alio modo* exiſtere: (XLIV.) ergo debet adeſſe *ratio ſufficiens*, cur exiſtat, (XIII.) cur *hoc modo* exiſtat, & non alio? jam vero hæc ratio ſufficiens aut eſt *in* ipſis entibus *productis*

ctis & contingentibus, aut eſt extra illa. (XIV. III.) Subſ. 1. atqui non poteſt eſſe in ipſis entibus, alias ea forent abſolute neceſſaria, & non amplius contingentia, quod eſt contra hypotheſin: ergo ratio debet eſſe extra entia producta & contingentia: ergo debet ens exiſtere, quod ab his entibus cunctis, adeoque etiam a mundo, eſt diverſum, & in quo ratio continetur ſufficiens, cur hæc præciſe, & non alia entia exiſtant? Subſ. 2. Illud ens, a mundo diverſum, non poteſt eſſe contingens, alias eo ipſo pertineret ad ipſum mundum, ſeu ad entia contingentia, & non eſſet ab iis diverſum: ergo debet eſſe ens neceſſarium, quod non poteſt non exiſtere, quod a mundo eſt diverſum, & in quo ratio continetur ſufficiens, cur hæc entia producta & contingentia in mundo exiſtant.

Argumentum II. Ex poſſibilitate entis infinite perfecti. Ens infinite perfectum eſt ens carens omni defectu: atqui ens carens omni defectu eſt poſſibile: ergo etiam ens infinite perfectum eſt poſſibile. Subſ. 1. atqui, ſi eſt poſſibile, tunc eo ipſo jam exiſtit, quia, (cum non exiſtentia ſit aliquis defectus) ſi ens, ca-

Ex poſſibilitate entis infinite perfecti.

rens omni defectu, non exiſteret, tunc actu *foret ens* carens omni defectu, (ex hypotheſi) & ſimul *non foret*, (cum *non exiſteret*) *ſubſ.* 2. atqui Deus eſt ens carens omni defectu: ergo Deus exiſtit. P. m. 1*mi Syllogiſmi.* Ens carens omni defectu eſt *bonum*: atqui omne bonum eſt *poſſibile*; nam *bonum*, *ens*, & *poſſibile* ſunt termini convertibiles: (XCIX. XXXI. XVI.) ergo ens carens omni defectu eſt poſſibile. Id etiam patet *a contrario*: omne *impoſſibile* includit in ſuo eſſe *non eſſe*: atqui nullum ens *perfectiſſimum* includit in ſuo eſſe *non eſſe*: ergo nullum ens perfectiſſimum eſt *impoſſibile*.

Alia adhuc argumenta proferuntur.

DXXXVIII. Allatis hucusque argumentis ad convincendam Atheiſtarum pertinaciam adjungi merentur ſequentia. I. Evidens eſt exiſtere *remuneratorem* hominum proborum, malorumque *vindicem*: atqui hic eſt Deus: ergo evidens eſt exiſtere Deum. p. M. evidens eſt, quod non ſit perinde, eſſe *ſceleratum*, ac *probum*, nec eſſe meliorem conditionem hominis *impii*, quam *probi*: ergo etiam evidens eſt, dari *remuneratorem*, maxime, quia plerumque in hac vita *particularis remuneratio* ex-

externa major non eſt in probis quam improbis. Conf. Evidens eſt tum ex *lumine naturæ*, tum ex *remorſu conſcientiæ*, quod ſcelera etiam *occultiſſima* mereantur pœnam; ad quid enim *conſcientiæ remorſum* homines ſentirent, & quidem etiam ſummi principes ac Reges, nullum omnino in terris judicem agnoſcentes? II. Videt Atheus evidenter, corpora *localiter moveri*, non tamen ab alio corpore: (quia natura in omnibus *corporibus* eſt ſolummodo principium *quietis*, & non *motûs*, ſaltem *ex ſe*: ergo debet dari *primus immotus*, qui non ſit aliquod *corpus*, ſed verus omnino *ſpiritus*, infinitâ & *phyſicâ* res corporeas movendi efficaciâ præditus. III. Atheus negans Deum *reflexe ſcit*, ſe negare Deum: atqui cognitio *reflexa* non cadit in *corpora*, ſed in *ſpiritus* tantum: (CCCLXXXV.) ergo Atheus *reflexe ſcit*, ſe habere *ſpiritum*. *Subſ.* atqui hunc ſpiritum non accepit a *Patre* ſuo; nam vel Pater generans filio Atheo dediſſet *totum* ſpiritum ſuum, vel tantum *partem* illius? non *1mum*, quia alias pater in generatione filium Athei fuiſſet *exanimatus*, vereque mortuus, qui tamen ſupponitur alios adhuc poſtea procreaſſe filios. Nec

Nec 2*dum*, quia ſpiritus non habet *partes*, ſed eſt ens *ſimplex* ac *indiviſibile*: (CCCLXXX. & *ſeq.*) ergo ſuum ſpiritum Atheus neceſſario habet *ab alio*, ſcilicet a creatore, quia ſpiritus non niſi per *creationem* produci valet, (eo ipſo, quod ſit ens *ſimplex*) & conſequenter a Deo, adeoque exiſtit Deus.

Carteſii demonſtratio Dei a priori

DXXXIX. *Scholion* I. Carteſius exiſtentiam Dei nedum *a poſteriori*, verum etiam *a priori*, (hoc eſt, ex prædicato eſſentiali, aliunde evidenti, & convertibili cum Deo) ab *idea ſcilicet entis ſumme perfecti*, eaque *innata* evincere nitebatur, conformiter ſuo principio de *idea clara atque diſtincta* (Log. *fol.* 712.) ſic enim arguebat: quidquid in idea rei clara, diſtincta, ſimplici, naturali, neceſſaria, ac immutabili contineri concipio, iſtud vere & evidenter de re affirmari poteſt: atqui clare concipio, *exiſtentiam neceſſariam* & æternam contineri in idea Dei, & hæc idea eſt clara, diſtincta, ſimplex, naturalis & immutabilis: ergo vere & evidenter de Deo affirmari poteſt exiſtentia neceſſaria, & æterna. p. m. quando concipio *Deum*, concipio ens *ſumme perfectum*: atqui non conciperem ens

ens *ſumme perfectum*, ſi ei deeſſet *exiſtentia* tanquam *prima perfectio*: ergo in idea Dei concipio ejusdem quoque *exiſtentiam*: neque inſuper hæc idea a me *extrinſece* primum ab objectis creatis eſt deſumpta, ſed *naturalis*, ſeu *innata*, nec eam pro libitu *mutare* valeo, ſicut tamen alias *fictitias* corrigere ſoleo addendo, vel ſubtrahendo: ergo eſt immutabilis. Ita *Carteſius*.

Aſt negant alii plerique Philoſophi, hanc eſſe veram *a priori* factam demonſtrationem; nam 1. falſitatis jam jam in Logica arguimus illam Carteſii de *idea* Dei *innata* ſententiam (Log. *fol.* 634.) 2. Ex ejusmodi diſcurſu tantum ſequitur, quod Deus exiſtat in *idea*, ab intellectu formata de ente ſumme perfecto, non autem quod exiſtat *in rerum natura*, & hinc qui *apprehendit* ideam Dei, poteſt quidem immediate ſic *judicare*: *idea Dei evidenter includit exiſtentiam neceſſariam & actualem*: non autem: *Deus evidenter a parte rei exiſtit*. Nam 3. in idea *creaturæ perfectiſſimæ* (quam ſive *vere*, ſive ſolum *fictitie*, homo ſibi formare poteſt) pariter includitur prædicatum *exiſtentiæ*, (utpote ſine qua eo ipſo non eſſet creatura *perfectiſſima*) nec Rejicitur.

ta-

tamen ex hac idea inferre licet, quod ejusmodi creatura a parte rei *exiſtat*: (quia ſubjectum hujus propoſitionis: *creatura perfectiſſima exiſtit*, eſt de ſubjecto non ſupponente, & *termini ſimplices*, ex quibus terminus *complexus*: CREATURA PERFECTISSIMA componitur, ſibi invicem repugnant) ergo etiam ſubjectum hujus propoſitionis: *ens perfectiſſimum exiſtit*, ex mente Athei, eſt de ſubjecto non ſupponente, quia æque ſibi opponi videntur iſti termini: *ens perfectiſſimum*, quam hi, *creatura perfectiſſima*. Et quamvis Atheus in eo plurimum fallatur, falſitatis tamen convinci non poteſt, niſi *aliis rationibus* oſtendatur exiſtentia Dei. *A poſteriori* igitur tantum hoc argumentum ſuo ſuo non caret robore. (DXXXVII.)

Athei Theoretici, & practici,

DXL. *Scholion* II. *Athei* quidem vulgo dicuntur illi, qui negant exiſtere DEUM; ſunt tamen aliqui inter Philoſophos, qui dubitant, an revera unquam in hoc orbe ejusmodi hominum monſtra extiterint, qui nullum DEUM agnoſcebant? ab aliis autem longe pluribus communiter dividi ſolent Athei in *Theoreticos*, & *practicos*. *Poſteriores* iſti

Itemque Syſtéma-

iſti ſunt, qui in omne vitiorum genus effuſi, ita vivunt, ut luculenter demonſtrare videantur, ſe nullum DEUM credere, quales prô dolor non pauci dantur, hocce præſertim corrupto ſæculo! priores vero illi dicuntur, qui vel docent, (& ſic etiam *Syſtematici* vocantur) vel revera in mente ſibi perſuadent non eſſe DEUM, (ſicque *perſonales* appellari ſolent) *de quibus ſi judicium ferre velis*, inquit *Baumeiſterus Elem. Phil. Rec.* §. 284. *opus eſt, ut intimos mentis receſſus, latebrasque perſcruteris,* quod præter DEUM cadit in neminem.

Art. Unici, & perſonales.

Solvuntur Objectiones.

DXLI. OB. I. *Contra* 1. *Prop.* Multi quondam inter Ethnicos, etiam Philoſophi, dicuntur negaſſe exiſtentiam Dei, inventique ſunt non ita pridem quidam populi Americani, nullum DEUM colentes: ergo ex *primo argumento Philologico* DEI exiſtentia non demonſtratur. R. *ad* 1*mum* Quod hæc inſania DEUM negandi *ex animo* paucorum fuerit, cum ſit impoſſibile delere ex animo notionem *primæ* rerum omnium *cauſæ*: aut ſi etiam ex *animo* DEI exiſtentiam quidam nega-

Athei Theoretici vix unquam inventi fuere.

runt, nulla eſt eorum ratio habenda, inquit Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 3. *pag, mihi* 117. alioquin ſi res naturæ ex *furioſorum hominum* judicio eſſent explicandæ, nullum eſſet abſurdum, quod non auctoritate alicujus philoſophi confirmari poſſet. Dein Clemens Alexanrinus negat, veteres illos Philoſophos, qui a græcis *Athei* habiti fuerant, revera *Atheos* fuiſſe, putatque, idcirco eos inter *Atheos* fuiſſe connumeratos, quod *unum* Deum, omnium conſervatorem credentes, popularia Numina ſpernerent: certe ob eandem cauſam etiam primi Chriſtiani *Athei* habiti fuerunt, ut ſcribunt Juſtinus M. Arnobius, Minutius felix &c., apud cit. Cl. *Antonium Gen.* Judæos quoque ex eadem ratione inter *Pantheiſtas* retulit Strabo Geographus. Similiter R. ad 2*dum*, nempe, ſi etiam gentes quædam (*paucæ* & *ignobiles*) Deum ignorare inventæ ſunt, mirum id forſan haud eſt, quia ab humano commercio ſegregatæ, ac vitæ tantum conſervandæ intentæ, in immanem illam ſtupiditatem pervenire potuerunt. Interim *paucorum* hominum ignoratio non poteſt conſenſum cæterorum *omnium* infringere, minuſque validum reddere. Sed ne relationes qui-

quidem illæ *veræ* ſunt omnes, quia pleræque proveniunt ab iis, qui gentes, quarum Barbariem narrant, vix de facie cognoverunt; certe, qui diutius cum iis gentibus verſati ſunt, oppoſitum retulerunt, nec plus ex quorumcunque relationibus probatur, quam quod Barbaræ hujusmodi nationes Diis nullum cultum *ſolemnem* & *publicum*, aut ſaltem Europæis *notum*, exhibuerint.

Inſt. 1. *Generalis* quondam erat omnium fere nationum *conſenſus*, quod *plures* dentur Dii, & tamen hic conſenſus generalis fuit *falſus*: ergo etiam ex eodem generali conſenſu exiſtentia Dei non demonſtratur. R. 1. N. A. Nam ipſi etiam gentiles, (Poëtæ maxime & Philoſophi) quamvis Deos *plures* in ſcriptis ſuis nominaverint, non niſi *unicum* tantum exiſtere faſſi ſunt, ut Orpheus, Sophocles, Triſmegiſtus, Thales Mileſius, Plato &c., de qua re Theologi dogmatici videri poſſunt. Hic ſufficiat, quod Oroſius *l. 6. hiſt. c.* 1. refert, videlicet, quod, cum a Chriſtianis urgerentur gentiles, & argumentis contra pluralitatem Deorum adductis premerentur, una quaſi voce reſpondere continuo ſolerent, ſe *non plu-*

Judicium generale non fallit; bene autem particulare.

Polytheiſmus ex ratione refutatur.

res Deos ſequi, ſed ſub uno Deo Magno plures Miniſtros venerari. (CCC.) Adde, quod vel *ſola etiam ratione* duce evidenter cognoſcere potuerint *plurium Deorum* implicantiam, & unius *ſolius Dei* exiſtentiam; ſic enim naturaliter diſcurrere poterant: ſi plures eſſent Dii, vel *omnes* liberam haberent voluntatem faciendi, quod lubet, vel *aliqui* tantum? vel *nullus*? ſi *nullus*, tunc etiam nullus omnino datur Deus, cum Deus non ſit, cui libertas diſponendi pro libitu deeſt. Si autem *aliqui*, vel *omnes?* tunc etiam poſſunt facere *contraria:* adeoque unus neceſſario *ſuccumbet*, & alter ſine jurgiis non *vincet*, ille itaque miſer atque infirmus, hic autem de ſucceſſu eventûs ſui identidem ſollicitus & anxius erit, quæ ſane in ens *infinite perfectum* cadere non poſſunt &c. & conſequenter *unus* tantum Deus exiſtet. R. 2. Quod, etſi conſenſus & judicium *generale* fallere aut falli non potuerit, (quia alias error *communis auctori naturæ* adſcribendus foret, quod implicat) ſicque in hoc judicio generali omnes convenerint, quod detur aliquod ens *neceſſarium*, ſumme *intellectivum*, & *prima cauſa*, error tamen circa judicium *particulare* de *quali-*

ta-

tate DEI potuit irrepere, atque revera irrepſit, dum alii hos, alii illos, alii plures, alii pauciores DEOS coluere: Is vero error inde venit, quia nonnulli in particulari homines *dilexerunt tenebras magis, quam lucem*, ſcilicet abeuntes poſt vitia ſua & concupiſcentias, lumen rationis, quod in ipſis erat, extinxere, atque ex propria *malitia*, non niſi ſenſibilia ſectantes, *comparati ſunt jumentis inſipientibus*, vereque *ſimiles facti ſunt illis.* Sic etiam de facto omnes homines natura duce in eo quidem conveniunt, quod *felices* eſſe deſiderent, in *particulari* tamen *caſu* non omnes cognoſcunt, in quonam vera *felicitas* conſiſtat?

Inſt. 2. Potuit DEUS permittere *univerſale* malum *voluntatis*, nempe *peccatum originale*: ergo multo magis potuit permittere univerſale malum *intellectûs*, utpote quod eſt multo minus. R. N. C. *Diſpar.* eſt multiplex, nam 1. peccatum originale non eſt aliquod malum *perſonale*, ſive *actuale*, reſpectu omnium, ſed a ſola Adæ voluntate *phyſice* commiſſum, *moraliter* tantum imputatur: econtra error univerſalis in intellectu cujusvis hominis foret error *perſonalis*,

& quidem 2. hic error *ſingulis* ab ipſa *natura* inſitus eſſet; (eo ipſo quia *ſinguli* in eo convenirent) econtra peccatum eſt *contra* naturam, (cum ſit averſio ab ultimo fine) & ex *perverſo* tantum libertatis *uſu* ortum ſuum habuit. 3. Denique hujusmodi error foret neceſſaria *honeſtatis regula* (intellectus enim reſpectu voluntatis ſe habet inſtar ſervi, facem luminoſam præferentis) qualis tamen non eſt originale peccatum &c.

Deus ſimul immutabilis & liber eſt.

Ob. 2. *Contra* 3. *Prop.* Si Deus exiſteret, tunc foret ſimul *immutabilis* & *liber*: atqui evidenter repuguat, unam & eandem naturam eſſe *imutabilem* ſimul & *liberam*: ergo vel Deus non exiſtit, vel hæc prædicata ipſi non conveniunt. R. N. m. Quin potius talis potentia, quæ *ratione* regitur, tanto magis *libertate* gaudet, quanto minus *errori*, *hæſitationi*, ac *mutationi* obnoxia eſt; talis autem eſt Deus, utpote qui nulli *fato* externo ſubjicitur, nec aut *præjudiciis*, aut *mentis brevitate*, ſive imbecillitate, aut *affectibus* quibusvis in errorem voluntatis inducitur, quem poſtea *emendare* cogatur; Sed ſui juris eſt, atque a *ratione* tantum ſua movetur, & hinc quia iſta ſemper eſt *eadem*, etiam ille

non

non mutatur, conſequenter *immutabilis* ſimul & *liberrimus* eſt. Dein, ſi hoc argumentum quidquam probaret, ſequeretur, quod etiam inter homines illi ſint magis *liberi*, qui ſæpius ſua conſilia *mutant*, id autem falſum eſſe patet ex *ſtultis* & *inſipientibus*, continuo mutabilibus, de quibus idcirco dicitur: *ſtultus ut luna mutatur*: ergo etiam falſum eſt Deum non eſſe *liberum*, ex eo, quod in voluntate ſua *immutabilis* ſit. Nempe Deus *Conſiliis* non eget, uti homines, ſed ex libertate ſua ſemper de ſe *optimum* eligit, indeque ex natura humana metiri Divinam non licet.

Quomodo in hoc mundo oriantur mala?

Ob. 3. Intelligi non poteſt, unde ſint tot *mala*, ſi Deus eſt, foret enim ille *omniſcius*, *omnipotens*, *optimus*: ergo *ſciret*, *poſſet*, & *vellet* mala auferre; *ſubſ.* atqui hoc non facit: ergo vel non exiſtit, vel ſi exiſtit, nullam habet rerum humanarum providentiam, & conſequenter talis ſaltem non eſt, qualis in ſui idea deſcribitur. R. N. A. Hæc enim, quæ vulgo dicuntur *mala*, ex noſtro tantummodo *ſenſu* & *utilitate* talia æſtimantur, non ex *finium univerſi* ratione; nec pugnare cum Dei bonitate poſſunt, niſi forte dicamus, totam rerum univerſitatem *unius hominis ergo*

creatam eſſe; potius ergo dicendum eſt; hæc, quæ videntur *mala*, vero hominis fini Divinæque *ſapientiæ* regulis conſentanea exiſtere: id vero ut melius capiatur, triplicis generis *mala* vulgo diſtingui ſolent. 1. Malum *Metaphyſicum*, quod eſt *deficientia* a ſumma, & perfectiſſima perfectione. 2. *Morale*, ſeu legis transgreſſio, & peccatum. 3. *Phyſicum*, ſuntque *dolores* tum animi tum corporis. Jam ergo *primum*, ſeu malum *Metaphyſicum* non pugnat cum Dei *bonitate;* ejus quippe origo ipſi creaturarum naturæ, *infinitæ perfectionis incapaci*, ineſt, quin imo tanto majus beneficium eſt, *qualemcunque* eſſentiam & realitatem habere, quam *nullam*, (quanto majus bonum eſt *eſſe* quam *non eſſe)* unde etiam vix ullus hominum, in maximis animi corporisque calamitatibus conſtitutus, optavit, potius *non eſſe*, quam *qualiscunque* eſſe. *2dum* ſeu *malum morale* oritur a natura entium rationalium *finita*, ejusque *libertate*, a naturæ quidem *finitate* habetur, ut omnis creatura rationalis *errare* queat, ne autem actu erret, *lege morali* indiget, qua ad finem ſuum recta perducatur. (Cujus legis promulgatio inter maxima Dei beneficia connumeranda

da eſt) porro creaturæ rationales ſunt eſſentialiter *liberæ*, (DXXI.) adeoque *adverſus* vitæ regulam, ſeu *legem*, beneficentiſſime ipſis a Deo latam, agere poſſunt: hoc vero eſt *malum morale*: ergo mali moralis origo in *natura* creaturarum rationalium *finita*, ejusque *libertate* poſita eſt. Cæterum ſi Deus homini *liberum arbitrium* non conceſſiſſet, *abſtuliſſet quoque ejus naturam*, ut ait S. Basilius *tom.* 1. *pag.* 124. *nec eſſemus amplius imago Dei, nec anima ratione & mente prædita*, ut loquitur *Maximus Martyr. in caput* 4. *de Divin. nom.* Poſtremo etiam his malis moralibus Deus in bonum finem utitur, eaque omnia *in finem univerſorum* ordinata ſunt, ut probat S. Augustinus *in libris de ordine*. Nec minus exinde Deus habet occaſionem exercendi ſuam *Juſtitiam*. &c. 3. Mala denique *phyſica*, ut Aſcetæ dilucidant, ſunt *media*, quibus nos Deus revocat a nimio amore præſentis vitæ, ejusque bonorum, ex quo amore fit, ut æterna bona contemnamus, atque legem violemus: adeoque iſta mala ſunt aut *præparationes ad virtutem*, ut non peccemus; aut juſtæ *punitiones*, quia peccamus, ut a peccatis recedamus &c. paucis, ſunt media, quibus Deus uti-

tur ad noſtram *perfectionem* & *felicitatem* procurandam: id vero denuo argumentum eſt maximæ erga nos benignitatis & amoris Dei, juxta illud Salomonis: *meliora ſunt verbera diligentis, quam oſcula odio habentis.* Scilicet (prout Chriſtiane loquitur Cl. Ant. Gen. *Met*, *p.* 3. *pag.* 185.) niſi Deus hujusmodi animi & corporis doloribus perpetuo nos admoneret, non eſſe hanc, quam incolimus, noſtram patriam, eſſe hoſpitium, æternorum bonorum obliti, præſentium æquo plus amatores, in terram proni, & ventri tantum obedientes viveremus: Providentiæ ergo Divinæ eſt, & beneficentiæ, quod nos his malis admoneat, & revocet. Plura *Theologi*, & *Aſcetæ*.

Inſt. Unum contrarium infinitum excludit alterum contrarium; ſic enim v. g. infinitus calor ex hoc univerſo omne frigus excluderet: ergo etiam, ſi Deus, tanquam ſummum & infinitum bonum exiſteret, nullum in orbe dari poſſet malum. R. D. A. Excludit contrarium a ſe, ſeu a ſua eſſentia. C. A. Neceſſario etiam excludit ab aliis. *SubDiſt.* ſi ſit agens *neceſſarium*, phyſice contrarium alteri, & in eodem ſubje-

cto cum ſuo contrario deberet recipi C. A. Si ſit agens *liberum*, nulloque ſubjecto indigens. N. A. & C. Inde facile colligitur *diſparitas* inter calorem, *neceſſario* ſe diffundentem, & inter Deum, *liberrime* agentem, creaturisque ſuam libertatem permittentem.

Ob. 4. Si Deus poſſet demonſtrari *ex creaturis*, tunc ex *contingenti* poſſet inferri ens *neceſſarium*: atqui hoc non: ergo. p. m. Ex *neceſſario* non poteſt inferri *contingens*: ergo neque ex *contingenti* poteſt inferri *neceſſarium*. R. D. M. Poſſet inferri neceſſarium *conditionate*, hoc eſt, ex ſuppoſito, quod ens contingens *exiſtat*. C. M. abſolute. N. M. &c. ad prob. N. C. *Diſpar.* eſt, quia ens *neceſſarium* connexionem eſſentialem cum ente *contingente* non habet, ſed potius rationem ſuæ exiſtentiæ *in ſe* continet: econtra ens contingens eſt connexum cum ente neceſſario, ſaltem *conditionate*; ſuppoſito enim, quod ens *contingens* ſit, ſeu exiſtat, (omne autem ens, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, & hinc etiam ens *contingens*, dum eſt, neceſſario eſt) legitime quoque infertur, quod illius entis, *qua contingentis*, debeat dari *ratio ſufficiens*, cur potius ſit,

Quomodo ex contingentibus creaturis poſſit demonſtrari ens neceſſariū?

ſit, quam non ſit? (XIII.) hæc porro ratio ſufficiens non invenitur in alio *contingente*, (quia ſic daretur proceſſus in infinitum:) ergo debet dari in ente *neceſſario*, conſequenter ens *neceſſarium* exiſtit. (DXXXVII.) A quo ſcilicet ens *contingens* neceſſario *dependet*.

Inſt. 1. Nulla eſt proportio inter ens finitum & infinitum: ergo ex creaturis non poteſt demonſtrari Deus. R. D. A. Non eſt proportio entitativa ſeu perfectionum C. A. cauſalitatis & dependentiæ. N. A. & C.

Exiſtentia Dei permiſſo etiam proceſſu in infinitum adhuc efficaciter demonſtratur.

Inſt. 2. Poteſt admitti *proceſſus in infinitum* in cauſis efficientibus, ita ſcilicet, ut una ſemper ab alia in infinitum producatur: ergo evidenter non demonſtratur, dari *cauſam primam*. R. Tr. A. N. C. *Singula* enim infinitæ illius collectionis membra nullam haberent *ſufficientiam* etiam *inadæquatam ad exiſtendum a ſe ipſis*, ſed *ab alio*: (eo ipſo quia entia ſolum *contingentia* eſſe ponuntur:) ergo neque *tota* infinita collectio (in *dato* illo at *non conceſſo* proceſſu in infinitum) haberet ſufficientiam *adæquatam* ſuæ exiſtentiæ *a ſe ipſa*, ſed ab ente aliquo alio, *extra* totam il-

illam collectionem entium *productorum* exiſtente, adeoque ab ente *improducto*, quod eſt Deus.

Inſt. 3. Poteſt dici, quod adæquata *ſufficientia ad exiſtendum* (ſeu *neceſſitas exiſtendi*) reperiatur *in omnibus individuis, disjunctive ſumptis*: ergo non requiritur, ut *ſingula* individua determinate ſumpta habeant *a ſe* ſufficientiam ad exiſtendum. p. A. Si daretur infinita collectio calamorum, vel oculorum, *neceſſitas*, quæ datur in *tota* collectione, tantum reperiretur in ſingulis *disjunctive* ſumptis: (Log. *fol.* 125.) ergo a pari. R. N. A. Ad p. N. C. *Diſpar.* eſt, quia *neceſſitas*, quæ reperitur in calamo ad ſcribendum, nunquam debet *determinata* eſſe in uno *calamo*, ſed ſufficit determinatio *extrinſeca*: econtra *exiſtentia* debet eſſe quid *intrinſece determinatum* in quolibet ente actu *exiſtente*. (Alias enim *eſſet*, & *non eſſet.*) Dein *inverto argum.* quia calamus tantum *disjunctive* eſt neceſſarius, hinc in infinita collectione calamorum nullus calamus poteſt *ſe ipſum determinare* ad ſcribendum, ſed indiget, ut *determinetur* ab aliquo homine: ergo etiam *disjunctiva neceſſitas ad exiſtendum* in creaturis non poteſt determinationem ſuam

ha-

habere ab aliqua *creatura*, ſed ab ente *increato*.

Inſt. 4. Permiſſo proceſſu in infinitum eo ipſo ſingulis effectibus aſſignatur ſua cauſa: ergo recurri non debet ad aliquod ens increatum. R. D. A. Aſſignatur ſua cauſa, abſtrahendo tamen, an ſufficientia cauſandi ſit ab aliquo intra vel extra collectionem. C. A. Simul permittendo, quod cauſa illa habeat ſufficientiam ab aliquo intra collectionem. N. A. & C. Nequit permitti Atheis talis proceſſus in infinitum, vi cujus quilibet effectus ſit adæquate productus ab aliquo *producto*, *intra collectionem* infinitam exiſtente; ſed talis permitti poteſt, vi cujus quilibet ſit productus *ab alio ente*, præſcindendo tamen, an ab alio *producto*, an ab *improducto*?

SE-

SECTIO II.

De

Deo providente, atque cum creaturis ad agendum concurrente.

ARTICULUS I.

An cuncta res creata ſubjaceant Divina Providentia?

DXLII. Providentia juxta *Doctorem Angelicum* 1. *p. q.* 22. *art.* 1. eſt *ratio ordinis partium in toto*, & *ordinis rerum in finem*. Sive, ut Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 3. *pag.* 27. eam definit: eſt *earum rerum, quæ ſunt, aut futuræ ſunt, præſcientia, diſpoſitio, & gubernatio.* Adeoque duo ad eam requiruntur. 1. Futurorum *præſcientia* per quam habetur *rerum ordo* in Divina mente, 2. *Actio*, qua ſingula futura tum ad fines ſuos *particulares*, ex quibus totum univerſum arcte & ſapienter coagmentatum exiſtat, tum etiam ad *communem* quemdam & ultimum agantur, ſive, ut paucioribus dicam, ipſius *ordinis* per certa media executio. Illi porro, qui omnem Dei providentiam negant, reſque humanas a Deo neutiquam curari impie aſſeverant, vulgo *Deiſtæ* vocari ſolent, contra quos ponitur, Providentia Divina

PRO-

PROPOSITIO.

Cunctæ res creatæ, etiam minimæ ac viliſſimæ, ſubjacent Divinæ Providentiæ.

Datur in rebus etiam minimis.

DXLIII. *Probatur.* Non modo ea, quæ ſunt, ex arte & ſecundum regulam facta ſunt, ſingulaque ſuis locis ac temporibus aptata, & cum ſingulis colligata, ut inde mirus *partium* atque totius concentus, ſive *ordo* exiſtat; ſed & cuncta eum finem, ad quem facta ſunt, perpetuo reſpiciunt, & ſequuntur non minus, quam etiam aſſequuntur, ut patet ex ſenſu intimo, & experientia quotidiana, facillimumque, aſt nimis longum, foret per ſingula enarrare: atqui hoc ipſum eſt *Divinæ providentiæ* ſubjacere: (n. præc.) ergo. His accedit omnium nationum univerſalis & perpetuus *conſenſus.* Certe antiquiſſimi Græci *Poetæ* in ſingulis ferme paginis Divinam providentiam prædicant, *Jovisque voluntate omnia fieri* frequentiſſime decantant. Idem nobiliſſimi quoque *Philoſophi* docuere, Pythagorici ſcilicet, Platonici, Peripatetici, Stoici, ſolis Democriticis & Epicureis exceptis, hominibus nempe voluptuo-

ſis

ſis & perditis, qui jugum Divinæ legis formidabant, illudque propterea excutere, ſed fruſtra, laborabant. Denique nec deeſt conſenſus omnium præſentium, etiam barbarum nationum, ut probat Cl. HUETIUS *q. Alnet.* & conſequenter Numinis *Providentia* contra Deiſtas non minus exinde efficaciter demonſtratur, quam mox antea ejusdem *Exiſtentia* ex pari ratione contra Atheos aſſerta fuit. (DXXXV. *arg.* II.) CONFIRMATUR I. Nulla eſt ex omnibus naturæ rebus, quæ non ſit velut machina, ex aliis machinulis contexta, ita ut ſingulæ ad communem quemdam finem factæ intelligantur, ad quem pergunt, & quem conſequuntur: ergo, ſicut ipſa rerum *pulchritudo* requirit Divinum opificem, (DXXXVI. Arg. I.) ita ſtabilis in his machinis motuum ordo & harmonia evidenter arguit, mundum regi Divina quadam *providentia*, conſilioque Numinis ſapientiſſimi, ac potentiſſimi, non autem *fato* quodam, (CCCXXII.) a Divina providentia diverſo: *ſi autem quispiam res humanas fato tribuit* (ait D. AUGUSTINUS *l.* 5. *de civit. Dei c.* 10.) *quia ipſam Dei voluntatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat!* CONFIRMA-

TUR II. ſpecialiter *quoad res minimas, ac viliſſimas.* Si has Deus non curaret, vel ratio eſſet, quia non *poſſet*, vel quia non *vellet*? ſi 1*mum*, non foret agens ſumme perfectum, adeoque nec Deus, ſi 2*dum.* tunc vel *invidus* eſſet, vel apprime *negligens*, ac proinde non *ſumme bonus*, neque propterea *Deus.* Sin autem dicatur, ejuſmodi res propterea a Deo negligi, quia illius ſcientiam fugiunt, ſequitur, Divinam cognitionem non eſſe *infinitam &c.* Adeoque a ſumma Angeli natura usque ad infimum terræ vermiculum ſeſe extendit Dei providentia, juxta illud Divinæ veritatis oraculum: *ſed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

DEUS etiam res omnes immediate conſervat.

DXLIV. *Corollaria* I. Ex dictis recte deducitur, quod idem ille Deus res quoque omnes creatas, quas e nihilo liberrime produxit, *immediate conſervet*; ens enim *ab alio*, ut ſunt ſingulæ res creatæ, manet ſemper idem, & quod *per ſe* ei primo convenit, ſemper convenit: (LII.) ergo, cum ejusmodi ens *ab alio* in ſua eſſentia non contineat rationem ſufficientem ad hoc, ut *exiſtentiam primo* acquirat, nec continebit in ſua eſſentia rationem ſufficientem,

tem, ut *exiſtere pergat*, hoc eſt, ut ſe ipſam conſervet; *conſervatio* enim eſt *continua rei productio.* II. Et ſicut ipſum τὸ *eſſe* creaturæ, exiſtere perſeverantis, eſt unum *eſſe*, identidem permanens, ſic etiam *influxus*, quo res conſervatur, eſt *idem*, ſeu *eadem collatio* ejusdem eſſe, qua cæpit exiſtere: nempe, in genere loquendo, ſi *conſervatio* proveniat ab *eodem* omnino agente, tunc, per ſe loquendo, *actio* & *conſervatio* non ſunt in re *duæ* actiones, utut *per rationem* diſtingui poſſint; ſin autem a *diverſis* agentibus oriatur, unius *actio* ceſſat, & alterius *incboatur*, vel, ſi actio ſit cauſæ primæ, *continuatur.* Ita ut univerſaliter verum ſit, quod τὸ *eſſe ſubſtantiæ* a ſolo Deo conſervetur, is vero ſolummodo quoad effectus *accidentales* admittat cauſam creatam.

Solvuntur Objectiones.

DXLV. Ob. I. Ad Providentiam boni gubernatoris pertinet, ut probi in hac vita felices, improbi autem ſint miſeri, nempe juxta ipſorum merita vel demerita, a juſto Judice præmiis vel pœnis afficienda: atqui teſte experientia ſecus accidit: er- Malorum in hac vita proſperitas, & bonorum infelicitas Providentiæ

Dei non præjudicat.

ergo vel Deus non eſt *providus*, vel non eſt *juſtus*. R. D. A. Pertinet ad providentiam gubernatoris *terreni*, & *particularis*, cujus eſt promovere felicitatem hujus vitæ, & particularis ſolum alicujus communitatis, vel domûs. C. A. Gubernatoris univerſalis, cujus eſt promovere felicitatem etiam poſt hanc vitam, & quidem juxta fines a ſe, tanquam cauſa prima & univerſali, conſtitutos. N. A. & C. Nempe conformiter antea dictis. (DXLI.) *Ob.* 2. *Inſt.* 1.) Ratio felicitatis, poſt mortem corporis expectandæ, non exigit, ut virtutes jam in hac vita ſuam mercedem accipiant, & bonis terrenis, quæ ſæpe virtutum impedimenta exiſtunt, ditentur. Rationes vero, cur Divina providentia ſæpe ſceleratiſſimis hominibus dona temporalia, probis autem mala phyſi- ſica innumera decernat, a SS. Patribus & Aſcetis hæ potiſſimum aſſignantur, 1. ut palam fiat, regnum electorum non eſſe *de hoc mundo*, ſed in domo Patris Divini, ubi *manſiones* pro piis *multæ ſunt*. 2. Ut quædam proborum labes & maculæ in hac vita expientur, nec ipſis remaneat, quod in altera vita luant. 3. Ut eorum animus a temporalium amore avellatur, & hoc modo ad æter-

nam

nam felicitatem ſecurius obtinendam magis diſponatur. 4. Ut quædam impiorum honeſta opera ſuum qualecunque præmium ferant, juxta illud Abrahæ ad Epulonem: *Fili recepiſti bona in vita tua; Lazarus autem ſimiliter mala* &c. 5. Ut juſtis præbeatur occaſio majoris patientiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum, conformiter illi: *ſine hoſte virtus languet.* Audiatur etiam S. Augustinus *l.* 1. *de civ. Dei c.* 8. hac ſuper re egregie ita diſſerens: "Si nunc „omne peccatum manifeſte plecteret „pœna, nihil ultimo judicio ſervari „putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, „nulla eſſe providentia Divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, „ſi non eas Deus quibusdam petentibus „evidentiſſima largitate concederet, „non ad eum iſta pertinere diceremus; „itemque ſi omnibus eas petentibus daret, non niſi propter talia prœmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur; nec „pios nos faceret talis ſervitus, ſed „potius cupidos & avaros.„ Quin imo non ſemper impii in hac vita beati ſunt; ſed potius infelices illorum exitus magnam faciunt hiſtoriæ humanæ partem, & quamquam nonnulli videan-

tur in ſceleribus felicem vitam agere, tamen ſi pectora ipſorum inſpiciantur, fortaſſis omnium miſerrimi apparebunt ob continuos & acerbiſſimos læſæ conſcientiæ remorſus, perpetuumque metum æternorum alterius vitæ ſuppliciorum, quæ tanquam ſibi deſtinata in dies trepidi ac tremebundi exſpectant Poſtremo denique Providentiæ Divinæ accuſatoribus Judicium de hac re hominis infenſiſſimi, Divinitatisque hoſtis in medium afferam: nequit certe hoc illis eſſe ſuſpectum. Scribit nempe Spinoza apud Cl. Ant. Gen. *Met. p.* 3. *pag.* 177. in hæc verba: " quid„ quid nobis ridiculum, abſurdum, aut „ malum videtur, id inde eſt, quia res „ tantum ex parte novimus, & quia, „ omnia ex præſcripto noſtræ rationis „ ut dirigerentur, volumus; cum tamen „ id, quod ratio noſtra malum eſſe di„ ctat, non malum ſit reſpectu ordinis, „ & legum univerſæ naturæ, ſed tan„ tum ſolius noſtræ naturæ legum re„ ſpectu. „ Hæc ille.

Nec authoritas S. Heronymi.

Ob. 2. S. Hieronymus *Comment. in c.* 1. *Habacuc.* aperte negat, divinam Providentiam ad res viles & minutiſſimas ſe ſe extendere; ait enim: *abſur-*

dum

dum eſt, ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur? quæ cimicum, pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo? -- -- non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam eſſe dicentes: ergo &c. R. D. A. Negat &c. ſe extendere univerſalem ſeu *generalem* DEI Providentiam. N. A. *Specialem*, ſeu talem, (ut ſe ipſum S. Doctor explicat) *quâ rationalia reguntur.* C. A. & N. C. Verbis mox adductis citatus S. Pater continuo addit *librum illum pro apocrypho habendum eſſe, in quo ſcriptum eſt, quemdam angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus.* Adeoque S. Hieronymus loc. cit. ſolummodo vult, res minutas non ita a divina Providentia dependere, ut illis (ſicut hominibus) etiam angeli præſint. Dein ſunt aliqui, qui volunt, laudatum S. Hieronymi locum unum ex illis eſſe, quos ipſemet *in lib. contra Rufinum* ait, *ſe in commentariis ſuper Prophetas non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia expoſuiſſe.* Scilicet ne ſibi ipſi contrarius eſſe videatur, dum exponens illa Chriſti verba *Math. 10. v. 29.* ait:

Si parva animalia abſque Deo authore non decidunt, & in omnibus ſemper eſt providentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt; vos qui æterni eſtis, non timere debetis, quod abſque Dei vivatis providentia.

ARTICULUS II.

An Deus ad omnes creaturarum actiones immediate concurrat?

Immediatus concurſus immediatione virtutis, & ſuppoſiti.

DXLVI. Dupliciter poteſt Deus immediate concurrere ad actiones creaturarum. 1. *Immediatione virtutis*, quatenus ſcilicet creaturis *virtutem* operandi, ſuosque effectus producendi contulit, qua illæ deinceps *ſe ſolis* operentur. 2. *Immediatione ſuppoſiti*, quatenus ita cum illis agit, dum agunt, ut ipſemet Deus *per propriam actionem ſuam* effectum unacum creaturis producat. (CCLXII.) Quod Deus in ſenſu *priore* identidem cum creaturis ad omnes ipſarum actiones concurrat, ex dictis in *Art. præc.* nemini dubium eſſe videtur, quæritur autem, num *primus* ille concurſus ſufficiat, an vero etiam *ſecundus* ſeu *poſterior* Dei ad actiones creatas concurſus requiratur neceſ-

ſario? affirmant hoc Philoſophi ac Theologi fere omnes. Negat vero DURANDUS, egregius alioquin ex Ordine FFr. Prædicatorum Doctor, & Epiſcopus quondam Podienſis; unde & negans iſthæc ſententia plerumque *Durandiſmus* audit, & ab affirmativæ ſententiæ Patronis multum traducitur, ita ut etiam multis cum Cl. P. *Suarez.Met. Diſp.* 22. *Sect.* 1. in fide *erronea* eſſe videatur. Contra Durandi igitur ſententiam ſit Durandiſmus.

PROPOSITIO.

Deus concurrit immediate ad omnes creaturarum actiones, immediatione non ſolum virtutis, ſed etiam ſuppoſiti.

DXLVII. PROBATUR. Si DEUS non ſic concurreret ad omnes creaturarum actiones, tunc earum effectus a DEO ſolum dependerent *mediate*, & *per accidens*; a creaturis vero *immediate* & *per ſe*, (eo ipſo, quia per ſolam creaturarum actionem in *actu ſecundo* exiſterent) & conſequenter magis dependerent a *creaturis* ipſis, quam a *Deo*, quod juxta omnes non modo abſurdum, ſed & piarum aurium offenſi- Deus immediate cum creaturis concurrit, immediatione ſuppoſiti.

 vum,

vum, ſummoque Dei in creaturas dominio præjudicioſum, ac plane in fide erroneum eſt dicere: ergo Deus non ſolum immediatione *virtutis*, ſed etiam ſuppoſiti concurrit &c. Confirmatur, Nulla creatura ſibi *ſufficit*, ut *exiſtat*: ergo etiam nulla ſibi ſufficit ad hoc, ut *operetur*; *operari* enim, ut axioma habet, *ſequitur ad eſſe*, modusque operandi modo eſſendi apprime reſpondet. *Subſ.* atqui, ut creaturæ *exiſtant*, opus habent *immediato* Dei concurſu: ergo etiam, ut operentur, eodem opus illis eſt: maxime, cum a ſolo Deo immediate ſemper *conſerventur*. (DXLIV.) Aut ſecus non foret Deus *primum agens*, ſeu *prima & univerſalis cauſa*, cui cæteræ cauſæ & effectus eſſentialiter ſubordinarentur; nam juxta Durandi principia, ipſo etiam per impoſſibile ſublato, & remanentibus ſolum agentibus particularibus, ſive creaturis, iſtæ non minus agerent (ex *virtute* ſcilicet ſibi ſemel conceſſa) ſine illo; cum tamen S. Hieronymus cum S. Augustino & aliis acriter objurgaverint *Pelagianos* hæreticos, dicentes, poſſe hominem *ſine actuali Dei concurſu* curvare digitum, movere manum, edere, ſtare &c. nem-

pe conformiter illi: *Pater meus usque modo operatur. Joan.* 5. Itemque illi: *ſine me nihil poteſtis facere. Joan.* 15. in quem locum S. AUG. *Tract.* 81. *in Joan.* ita loquitur: *ſive parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.*

Solvuntur Objectiones.

DXLVIII. OB. I. *Ex Authoritate.* In S. Script. *Eccleſ.* 15. v. 12. dicitur, quod Deus reliquerit hominem *in manu conſilii ſui*, itemque communiter a SS. Patribus ac Theologis aſſeritur, quod *Deus ſinat cauſas ſecundas motus ſuos agere:* ergo Deus ſolummodo immediate concurrit, immediatione *virtutis*, non *ſuppoſiti*. R. N. C. Exinde namque tantum ſequitur, quod Deus homini reliquerit *liberum arbitrium*, ut agere poſſit vel non agere, ſive quod Deus per ſuum concurſum hominem non *cogat*, neutiquam vero probatur, quod tunc, quando homo actu operatur, immediato Dei *concurſu* non egeat.

S. Scriptura non favet Durando.

OB. 2. Princeps v. g. terrenus, data *virtute* ſeu *poteſtate* ſuo legato, vere per illum, & cum illo agere dicitur, et- ſi

Nec Paritas cum principe

terreno, per ſuum legatum operante. ſi immediate *immediatione ſuppoſiti* in ejus actionem non influat: ergo etiam Princeps Divinus ſive Deus hoc modo per creaturas agere poteſt, & defacto ſic agit. R. N. C. Nam longa eſt Diſparitas inter *Principem terrenum*, ac inter Deum, tanquam *cauſam primam*; legatus enim Principis ſicut in ſuo *eſſe* phyſice non dependet a terreno principe, ita nec in *operando* ab eodem ſic dependet: ſecus dicendum de creaturis tanquam *cauſis ſecundis*, quæ tam in *eſſendo*, quam in *operando* a cauſa prima immediate dependent.

Neque DEUS propterea ad peccatum proprie concurrit. OB. 3. Si Deus concurreret immediate *immediatione ſuppoſiti* ad ſingulas creaturarum actiones, tunc actio v. g. peccaminoſa ab homine poſita non minus Deo quam homini imputari poſſet, cum uterque ſimul *eandem* actionem ponat: atqui hoc eſt *blaſphemum* dicere: ergo Deus non ſic immediate concurrit. R. N. ſ. M. *Diſpar.* eſt, quia Deus, ut author naturæ, *tenetur* (vi *decreti* ſui *generalis*, quo vult ut cauſæ ſecundæ rationales *libere* agant) ad omnes, ſive *bonas*, ſive *malas*, creaturarum actiones *concurrere*, ideoque actio mala nequit *Deo* imputari; bene vero *homini*, ut-

po-

pote qui actionem peccaminoſam ita ponit, ut eam *non ponere teneatur*, ſed potius eam ponere, vel non ponere *libere poſſit*, & conſequenter cum hæc actio peccaminoſa ſit homini *libera*, non vero *Deo*, (ex Hypotheſi ſcilicet conceſſæ homini libertatis) nequit illa Deo *neceſſario* agenti, ſed homini *libere* operanti imputari.

Inſt. I. Actiones hominis bonæ & meritoriæ Deo æque ac homini adſcribuntur; ergo idem dicendum eſt de actionibus *malis*. R. D. A. Deo adſcribuntur, quatenus ad eas concurrit concurſu *ſpeciali*, & per *gratiam*. C. A. Quatenus ad eas concurrit concurſu *generali*, & ut *author naturæ*. N. A. & C. Dein ad actus *bonos* Deus concurrit cum inclinatione ſuæ voluntatis, hortando, præcipiendo, excitando, & auxiliis ſupernaturalibus ſeu gratiis adjuvando; ad actus vero *malos* concurrit *permiſſive*, ac determinatus a libero hominis arbitrio; hoc enim ut DEUS ſervet incolume, patitur ad concurſum ſimultaneum ſe quodammodo *abripi*, ut mox dictum eſt: nempe non ex *amore*, quo fertur in actionem *peccaminoſam*, ſed ex amore *honeſtatis*, quæ in eo conſiſtit, quod ipſum, ut authorem naturæ, deceat ſemel conceſſam creatu-

ris

ris libertatem ſartam tectam ſervare, ſive ad *bonum*, ſive ad *malum* illæ ſe determinent.

Inſt. 2. Deus prohibet actum *malum*. Ergo nullo modo ad ipſum concurrit; vel ſecus ipſemet faceret, quod a ſe prohibitum eſt. R. 1. D. A. prohibet actum malum, ita tamen, ut ſimul creaturæ relinquat liberum arbitrium. C. A. Ut impediat creaturæ libertatem. N. A. Ita Deus prohibet actum malum, ut ſimul paratus ſit, tanquam naturæ auctor, ad *omnes* illius actiones concurrere, & conſequenter etiam ad malas, ſi creatura voluerit. R. 2. D. C. Non concurrit per ſe. C. C. per accidens. N. C. & C. ſi ſermo ſit de agente *rationali*, cauſa *per ſe* dicitur illa, quæ agit *ex Conſilio*, & cum *intentione poſitiva*, ſeu, quæ poſt præviam deliberationem *ſe ipſam* determinat ad agendum, ſimulque *cum inclinatione voluntatis* agit: jam vero Deus non ita agit, dum ad actionem peccaminoſam immediate concurrit; influit enim, prout iterato dictum eſt, *contra* omnem *determinationem* & *inclinationem* ſuam in actum malum, hoc eſt 1. ut *determinatus* a creatura, libero ſuo arbitrio uten-

utente, 2. ita, ut peccatum prohibeat, averſetur, deteſtetur, adeoque *citra omnem intentionem ſuam*, & conſequenter mere *per accidens.* Id quod egregia quoque emphaſi ipſemet Deus in S. Scriptura exprimit, dum genti Judaicæ ingratitudinem ſuam præter alia ſequentibus exprobrat. *Iſai.* 43. *v.* 24. *Verumtamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis!* hinc dici quoque valet, quod Deus ſolum *mediate* libere; non vero *immediate libere* ad actum malum concurrat, id eſt, ideo tantum, quia (ex *neceſſitate conſequente*) debet ſe quaſi accommodare actioni creaturarum, ob conceſſam illis *libertatem*, etſi hic & nunc, dum ſcilicet creatura *male* agit, *ex conſilio* & *intentione poſitiva* (id quod eſt *immediate libere* agere) neutiquam agat, prout tamen creatura rationalis, ex abuſu libertatis ſuæ, *immediate libere* & ex *conſilio* malæ voluntatis ſuæ operatur.

Ob. 4. Vel influit Deus per *eandem*, vel per *diſtinctam* actionem cum creatura? non 1mum, quia alias, ſicut actio *hominis* eſt *peccaminoſa*, ſic etiam actio *Dei* foret *peccaminoſa*. Nec 2dum, quia

Et quidē DEUS cum creaturis influit per

eandem actionem. quia ſic eo ipſo jam daretur aliqua actio creata, quæ non immediate a Deo dependeret. R. quod influat per *eandem actionem*, prout etiam loquitur S. Thomas 1. p. q. 105. a. 5. *una actio non procedit a duobus agentibus totalibus unius ordinis; ſed nihil prohibet, quod una & eadem actio procedat a primo, & ſecundo agente.* Videantur quoque ſuperius dicta (CCLXX.) Nempe ipſa *actio*, effectûs productiva, quam ponit creatura, non diſtinguitur adæquate ab ipſo effectu (CCLV.) ergo, cum Deus eſſentialiter reſpiciatur *ab effectu*, utpote immediate producto, pariter ab *actione* reſpici intelligitur. Ad prob. N. *ſeq.* nam juxta mox dicta actio iſta a Deo non procedit *immediate libere*, nec ex *propria inclinatione*, ſed cum averſione, ex aliena determinatione, imo dehortando, & minando &c. aliter ſe habet idem Deus in actu *bono*, ad quem non tantum *phyſice* cum homine concurrit, ſed etiam *moraliter*, id eſt, *hortando*, *ſuadendo*, cum *inclinatione* in eundem influendo &c. ergo actus *peccaminoſus* Deo non æque imputari valet, ac *bonus*, ſed tota potius *malitia* in liberum hominis peccantis arbitrium refundenda eſt.

Inſt.

Inſt. 1. Actio creaturæ, quæ determinat Deum ad concurſum, debet eſſe ſaltem naturâ *prior*, quam actio Dei: ergo non poteſt eſſe una & *eadem* actio. p. A. Qui determinat, habet utique prioritatem reſpectu determinati; aut ſecus nulla foret ratio, cur creatura potius determinare Deum dicatur, quam Deus creaturam. R. N. A. Ad *prob.* D. A. & hoc evenit ſi τὸ *determinans* & τὸ *determinatum* ſint meræ cauſæ ſecundæ, C. A. Hoc accidit, ſi cauſa *prima* ex neceſſitate conſequente determinetur a cauſa ſecunda. N A. & C. *Diſparitas* autem eſt, quia cauſæ ſecundæ, cum in *eſſendo* una ab altera non dependeat, ita nec in *operando*, & conſequenter in operando non neceſſari ocoincidunt; ſed una potius independenter ab altera *ſe ipſam* determinat; ſecus accidit in actione *cauſarum ſecundarum* cum *prima*: (DXLVII.) hæ namque, ſi poſito toto (*actu primo proximo* (pro ſua ab optimo Deo ſibi conceſſa libertate) elective ſe determinant v.g. ad actionem *malam*, hoc ipſo omnipotentiam Divinam ad concurſum (ſine quo *libertatem* ſuam exercere non poſſunt) determinant: hæc porro omnipotentia ſemper eſt parata ad concurrendum, *ſi* creatura exigat hunc concurſum, adeoque, quia po-

ſitis ex parte creaturæ requiſitis reliquis, ad actum primum proximum liberum neceſſariis, datur *exigentia* naturalis ad ipſum omnipotentiæ influxum, hac de cauſa per actualem ac liberam determinationem creaturæ determinatur omnipotentia, continuo parata, & ubique præſens, atque abſolute applicatur ad influxum actualem: & conſequenter hæc *Dei determinatio* eſt ipſa *actio creaturæ*, in quam DEUS influit: nec fit per aliquid, ipſam actionem *antecedens*, niſi antecedentia & *prioritas* ſolum *rationis* intelligatur. Ita Cl. P. HAUSER. *Theol. Nat. p.* 3. *q.* 2. *Art.* 2. vel paucis. Quia DEUS, poſito actu primo proximo ad utrumque indifferente, creaturæ permittit electionem immediate liberam, paratus ad utrumlibet concurrere, liberrime is quoque permittit, ut a ſua creatura determinetur. Neque tamen per hoc creatura acquirit aliquam *ſuperioritatem* aut *dominium* in omnipotentiam Divinam, quia non poteſt eam determinare vi *juris* alicujus, ſed vi ſolius *gratuitæ permiſſionis*, ſeu liberi decreti univerſalis, quo DEUS ab æterno ſtatuit *non impedire omnipotentiam ad concurrendum* cum creatura etiam ad actus *malos*. Nimirum hoc decre-

tum

tum applicativum omnipotentiæ ad peccatum ita poteſt tendere: 1. *volo dare creaturæ actum primum proximum indifferentem ad bonum & malum,* 2. *& ſimul nolo impedire meam omnipotentiam a concurſu in actum malum.*

Inſt. 2. Aliæ potentiæ non determinantur ad agendum per hoc, *quod non impediantur:* ſic potentia *ambulandi* non determinatur ad *ambulationem* ponendam per ſolam impedimenti remotionem, ſed requiritur *voluntas poſitiva,* quæ actum efficaciter decernat: ergo etiam omnipotentia Divina non intelligitur ſatis applicata per hoc, quod Deus *nolit impedire eam:* R. D. A. aliæ potentiæ *liberæ* & ex ſe nondum determinatæ, C. A. aliæ potentiæ, vel de ſe, vel aliunde jam determinatæ. N. A. & C. ſic quia in *potentia motrice* nulla datur *exigentia* motûs, ſeu ambulationis, ſed plena *indifferentia,* eo ipſo, quod ex defectu libertatis non poſſit ſe ipſam elective determinare, neceſſario debet per *volitionem poſitivam* ad actum ſecundum determinari: econtra quando ponitur cauſa ſecunda, in actu primo proximo ad agendum conſtituta, jam datur *exigentia*, ut omnipotentia

concurrat, nec iſta manet amplius indifferens: ergo, ſi modo Deus *nolit impedire*, jam intelligitur, quomodo ſufficienter ſit applicata, fere ſicut *Intellectus* propoſita veritate evidente, & *oculus* applicato rite objecto, agunt absque poſitivo voluntatis imperio. Cætera huc pertinentia ad *forum Theologicum* ſpectant.

ARTICULUS III.

An Deus creaturas ad agendum phyſice præmoveat, ſeu prædeterminet?

Diſſenſio Scholaſtica quoad præſentem quæſtionem.

DXLIX. Thomiſtæ duce Cl. P. Banez communiter aſſerunt, cauſas ſecundas, tam *liberas* quam *neceſſarias*, etſi omnibus ad agendum requiſitis inſtructas, operari tamen neutiquam poſſe, niſi Deus ipſas per *influxum* quemdam *prævium* moveat, atque ad agendum phyſice *prædeterminet*: alii econtra omnes tum Philoſophi tum Theologi rejecta hujusmodi prædeterminatione docent, cauſas ſecundas ita eſſe comparatas, ut *ſe ipſas* determinare ad agendum valeant, ſi *liberæ* fuerint, aut, ſi cauſæ *naturales* exiſtant, *ex natura ſua* jam ſint determinatæ ad agen-

agendum, dummodo Deus & illis *libertatem*, & his *potentiam activam* jugiter conſervet, ac præterea *concurſum* ſuum *ſimultaneum* atque immediatum præſtet. Quoniam porro difficultas utriusque ſententiæ in Theologia maxime, ubi de *gratiæ Divinæ efficacia* diſſeritur, multis ventilari ſolet; quin imo coram Pontificiis quoque Clementis VIII. & Pauli V. tribunalibus per diſceptationes non minus 47. ab anno 1602. usque ad annum 1606. inter Cl. PP. *Dominicanos* & Cl. PP. *Jeſuitas* acriter ventilata, nunquam tamen aliqua ſedis Apoſtolicæ deciſione abſoluta fuit, teſte Cl. P. Werencko *in Syncretiſmo ad Examen revocato. Quæſt. prælim.* hinc ea tantum, quæ magis fori ſunt Philoſophici, aut ſaltem quæ captum Philoſophiæ tyronum non ſuperant, huc apponenda eſſe duxi, *definitiones* nempe inprimis *nominalos*, dein Thomiſtarum *principia* ac *fundamenta*, poſtremo denique *Theoremata*, ſeu Propoſitiones. Itaque

DL. *Præmotio*, ſeu prædeterminatio in *genere* eſt prævius quidam influxus cauſæ primæ in ſecundam; qua hæc ad agendum determinatur. Hæc dividi- Præmotio generalis & ſpecialis.

tur in *generalem* & *ſpecialem.* Præmotio *generalis* eſt impreſſio quædam, inclinatio, vel propenſio, ab auctore naturæ creaturis rationalibus ſeu ſpiritibus omnibus per creationem indita, & per conſervationem jugiter continuata, per quam in *bonum* ſeu felicitatem *generatim* ſemper feruntur, & *malum* ſeu miſeriam perpetuo averſantur. *Præmotio ſpecialis* eſt, qua quædam cauſa ſecunda ſpiritualis ad *actum* aliquem *ſpecialem* a Deo movetur, aut excitatur.

Præmotio ſpecialis, phyſica & moralis.

DLI. Præmotio ſpecialis iterum dividitur in *phyſicam* & *moralem.* 1ma eſt, qua cauſa ſecunda efficaciter & phyſice ad actum ſeu motum ſpecialem a Deo determinatur vel in *intellectu,* quando is ſcilicet rerum ſpeciebus a Deo informatur ſeu illuſtratur, vel in *voluntate,* quando nempe hæc ad bonum aliquod ſpeciale a Deo applicatur, & conſequenter a malo retrahitur. 2da dicitur excitatio quædam voluntatis creatæ, facta *ſecundum hominum morem* & conſuetudinem, videlicet exterius alliciendo, blandiendo, terrendo, minitando, aliave conſimili ratione, apud homines uſitata, quæ non vincit per ſe reſiſtentiam

crea-

creatæ voluntatis, ſed eam tantum *excitat*, prout v. g. orator auditores movet, & egenus prætereuntes, ut ſibi quidquam largiantur &c.

DLII. Per *concurſum ſimultaneum*, juxta dicta in *Art. præc.* intelligitur cooperatio unius cauſæ cum alia ad eundem effectum producendum: e. g. cum duo bajuli ſimul lecticam ferunt. Cæterum non eo duntaxat modo concurrit Deus cum voluntate creata; etenim unus bajulus non eſt alteri bajulo *ſubjectus*, nec ab eo *dependet* quoad niſum & actionem, ſed tantum ab illo *adjuvatur*, ut ambo ſimul eundem effectum producant; voluntas autem creata Deo *ſubjecta* eſt, & ab eo *pendet*, ut operetur: ſi tamen nomine *concurſûs* intelligatur *auxilium*, *uni cauſæ ab alia præſtitum ſecundum illius indigentiam*, *ſive exigentiam*, quemadmodum v. g. ſi bajulo in terram lapſo & ſub onere anhelanti opemque imploranti manum tendo, ut auxilio meo adjutus ſeſe erigat, tunc nihil obſtat, quominus Deus cum voluntate creata *concurrere* affirmetur. Ita Cl. Purchotius. *Met. p.* 2. *Sect.* 1. *c.* 8. Concurſus ſimultaneus.

Præmotionis phyſicæ definitio alia.

DLIII. Præmotio ſpecialis *phyſica* (de qua potiſſimum quæſtio præſens agitatur) teſte Cl. D. P. Amort. *Phyſ. part. p.* 3. *Sect.* 3. *q.* 7. a Thomiſtis communiter definitur, quod ſit *qualitas vialis, a Deo voluntati impreſſa, præcedens actum, in-impedibilis, & eſſentialiter inferens actum.* Dicitur 1. *qualitas vialis*, quia tranſit, quaſi in momento, & totum ipſius eſſe eſt *in via* ad actum liberum, ſicut actio v. g. poteſt dici *qualitas vialis ad terminum*, aut ſicut *motus localis* eſt *qualitas vialis.* Dicitur 2. *a Deo voluntati impreſſa*, quia Deus per hanc qualitatem voluntatem determinat ad actum v. g. *amoris* vel *odii*, ſicut manus in ſenſu Peripateticorum determinat lapidem per qualitatem impreſſam ad ſuum terminum. *Dicitur* 3. *præcedens actum*, quia eſt cauſa actûs liberi. Et quidem *VV.* Thomiſtæ poſuere, præmotionem ſe tenere ex parte actûs primi proximi, præcedentis ad actum liberum, *Recentiores* vero Thomiſtæ illam ponunt ex parte actûs *intermedii* inter actum *primum* & *ſecundum;* & *Noviſſimi* Thomiſtæ omnino illam collocant ex parte *actûs ſecundi*, ſeu ex parte ipſius *actûs liberi*, ita tamen, ut ſaltem *naturâ* præcedat actum liberum, licet non præ-

cedat *tempore*. Dicitur 4. *in - impedibilis*, quia voluntas nullo modo poteſt impedire præmotionem, nec poteſt Deum determinare potius ad dandam ſibi præmotionem amoris, quam odii. Dicitur 5. *eſſentialiter inferens actum*, quia poſita præmotione eſt impoſſibile non poni actum, cum ſit cauſa *eſſentialiter connexa* cum ſuo effectu, nempe cum actu libero. Ita cit. Cl. Auctor.

DLIV. Tota vero hæc Thomiſtarum de præmotione ſpeciali phyſica doctrina tribus primariis rationibus inniti videtur; argumentaque cuncta ipſi deſumunt 1. a conditione *cauſæ primæ*. 2. A *ſupremo* Dei in homines dominio. 3. ab *indifferentia* voluntatis creatæ; Sic nempe arguunt: Ejusdem fundamenta.

I. Deus eſt *prima* rerum omnium *cauſa*, *primusque motor*, a quo omnis cauſa creata non ſolum in *fieri*, & in *eſſe*, ſed etiam *in operando* ita dependet, ut nulla prorſus dari poſſit creaturæ actio, quæ non ab illo primario oriatur: Atqui nec cauſæ *primæ* conditio, nec cauſæ *ſecundæ* a cauſa prima dependentia ſalvatur, niſi hæc illam concurſu non ſolum *ſimultaneo*, ſed etiam *prævio*

ad quamlibet actionem moveat, applicet atque determinet; nam ſi creatura *ſe ipſam*, ſimulque Deum ad concurſum ſimultaneum determinaret, jam non Deus, ſed *creatura* foret primum agens, primumque determinans: ergo &c. II. Habet præterea Deus *ſupremum*, perfectiſſimumque in creaturas *dominium*, ſive, ut S. Augustinus ait, *convertendarum humanarum voluntatum omnipotentiſſimam poteſtatem*: nequit autem hoc dominium eſſe *perfectum*, omnibusque numeris abſolutum, niſi Deus voluntatem creatam ad quoslibet actus phyſice prædeterminet, quia ſecus liberum hominis arbitrium voluntati Divinæ perpetuo adverſaretur: admittenda igitur eſt præmotio quædam realis & phyſica, qua Deus voluntatem creatam, & phyſicam, quamvis refractariam, in omnem partem trahere, eoque, quo ipſe vult, convertere valeat. III. Repugnat poſtremo, ut *ens in potentia*, ſeu principium ex ſe penitus *indifferens* ac *indeterminatum* exeat in actum, atque ſe ipſum ad agendum determinet: atqui humana voluntas eſt *ens in potentia*, & ex ſe prorſus *indifferens* ad actus oppoſitos; imo etiam ad *actum*, ejusque *omiſſionem* perinde ſe habet: ergo ne-

nequit illa ſe ipſam ad agendum determinare, atque ex actibus oppoſitis, quos æqualiter reſpicit, alterum præ altero eligere, & conſequenter a Deo phyſice præmoveri debet, cum utique illud, quod eſt *in potentia*, reduci *ad actum* debeat per id, quod eſt *in actu*.

DLV. *Corollarium.* Ex allatis hiſce principiis manifeſte ſequitur, 1. *Præmotionem phyſicam* ejus eſſe naturæ, ut *a ſolo Deo dependeat*, & nec ab arbitrio creato obtineri pro libitu poſſit, nec impediri; ſi enim præmotionem ita in ſua poteſtate haberet creata voluntas, ut eam pro libitu ſibi acquirere poſſet, aut impedire, jam non amplius *Deo*, ſed *creaturæ*, ratio primi determinantis, primæque cauſæ competeret, atque *ſupremum Dei* in creaturas *dominium* corrueret; aut ſecus allata Thomiſtarum fundamenta ſubruerentur. 2. Etiam deducitur, dictam præmotionem *ad omnes cauſarum ſecundarum operationes Metaphyſice neceſſariam* exiſtere; ea enim neceſſitate, juxta Thomiſtas, neceſſaria eſt creaturis præmotio, qua neceſſitate Deo competit ratio *primi determinantis* reſpectu cujuslibet operationis: eſt autem Metaphyſice neceſſarium, ut Deus reſpectu cujuslibet operationis rationem Ac proprietates.

pri-

primi determinantis habeat: ergo &c.
3. Sequitur denique, quod Præmotio phyſica *omnes creaturarum operationes ordine cauſalitatis antecedat, ſimulque eſſentialem cum ipſis connexionem habeat;* hæc enim omnia rurſus exigit tum ratio *primi determinantis*, & conditio *entis in potentia*, ſeu voluntatis ex ſe *indifferentis*, tum ratio *ſupremi dominii* Divini, creaturarumque *ſubjectio*; nam, ſi præmotionem a Deo ſibi actu impreſſam abjicere creatura, vel ei reſiſtere poſſet, non jam quemlibet, quem vellet Deus, actum a refractaria voluntate poſſet obtinere. Accedit, quod decretum prædeterminans, quo Deus creaturam ad certos motus præmovere ſtatuit, juxta eoſdem Thomiſtas, ſit unicum medium, in quo Deus omnes futuros creaturæ actus *liberos* præſcire poſſit: ergo eo ipſo tanta debet eſſe præmotionis cum actu *connexio*, id eſt, tam certa & in impedibilis, quanta in Divina præſcientia infallibilitas reperitur: indeque fieri nullatenus poteſt, ut in cauſis ſive liberis, ſive neceſſariis *negatio actûs* cum phyſica præmotione componatur, cum plane repugnet, ut *otioſum* maneat agens, cum eſt ad operandum *phyſice determinatum*.

PRO-

PROPOSITIO I.

Deus nedum præmotione quadam generali ac morali, ſed etiam motione quadam ſpeciali (per gratiam) voluntatem humanam ad actus bonos & ſupernaturales phyſice movet.

DLVI. Probatur I. *pars.* Præmotio *generalis* eſt impreſſio ſeu inclinatio voluntatis creatæ ad *bonum in genere:* (DLI.) atqui Deus voluntatem creatam phyſice ſic movet atque inclinat: ergo. p. m. nihil creatura habet *a ſe ipſa*. ergo cum hujusmodi *niſus* aut *propenſio* in voluntate creata ſemper vigeat, (LX.) debet profecto a ſolo Deo jugiter influente conſervari. Et quidem, ſi per *præmotionem generalem* intelligatur *niſus* quidam & *inclinatio naturalis ad finem*, a Deo ſingulis creaturis præfixum, recte ejusmodi præmotio admitti valet in corporibus rationis etiam expertibus; cum omnia tendant in finem ſuum. (CCXCVII.)

Datur præmotio generalis ad bonũ in genere.

Nec dicas. Si Deus præmotione generali voluntatem ſemper moveret ad

bo-

bonum, nunquam malæ forent illius actiones: atqui falſum eſt conſequens: ergo & antecedens. R. D. S. M. Niſi voluntas creata ex libertate ſibi conceſſa impreſſionem illam & inclinationem ad bonum generaliter alio deflecteret, determinaret, ac ſiſteret, & in *privatis* bonis, quæ *apparentia* tantum ſunt, non *vera* bona, conquieſceret, C. S. M. ſecus. N. S. M. &c. Etiam anima, tanquam principium motûs in corpore humano, potentiam motricem non niſi ad greſſum *rectum* movet ac determinat, & tamen illud corpus quandoque *claudicat*: hæc vero claudicatio non ipſi *animæ*, ſed tibiæ læſæ vel curvæ, adſcribenda venit, utpote quæ impreſſionem animæ ad *claudum* potius greſſum, quam ad *rectum* determinat: æquali modo inclinatio, quæ a Deo proficiſcitur, ad *bonum* quidem *generale* voluntatem, quantum in ſe eſt, (relicta nempe illi ſemper *libertate electiva*) determinat, ab ipſa tamen perverſa voluntate ad *malum*, ſeu *bonum falſum & apparens* detorquetur.

Datur quoque præmo-

Probatur 2. *pars.* Motio moralis ea eſt, qua una res aut cauſa ab alia re aut cauſa excitatur *moraliter*, id eſt, ſecun-

cundum *morem* & conſuetudinem hominum, nempe blandiendo, minitando, exemplis externis provocando, aliisque ſimilibus modis: (DLI.) atqui Deus voluntatem humanam tali modo præmovet: ergo. m. patet ab experientia quotidiana; nam modo Deus juſtæ *vindictæ*, modo *miſericordiæ* exempla nobis ob oculos ponit, ut a vitiis nos retrahat, & ad virtutem exſtimulet: modo ſacrorum verbi ſui præconum miniſterio, aut librorum piorum lectione &c. ad meliorem vivendi rationem nos vocat: ergo.

Art. III. tio moralis,

Probatur 3. *pars*. Deus juxta Apoſtolum *ad Philipp. c. 2. v. 13. operatur in nobis* & velle & perficere *pro bona voluntate*, id eſt, pro gratuita & ſpeciali benevolentia operatur in nobis ſupernaturalem boni amorem, facitque per ſuam *gratiam*, ut contemnamus bona ſenſibilia, & ſolum æternum atque incommutabile bonum amemus: atqui hoc ipſum eſt humanam voluntatem phyſice movere, & *præmovere* motione *ſpeciali* ad actus bonos & ſupernaturales; nam certe operatio, quæ reipſa facit *velle* ex beneplacito, ſeu gratuita ſpecialique benevolentia, *ſpecialis* eſt,

Nec non ſpecialis ad actus bonos ſupernaturales,

non

non *generalis*, *phyſica*, & non tantum *moralis*: ergo. &c.

Conf. Ex eodem Apoſtolo 2. Cor. 3. v. 5. ubi de actibus *ſupernaturalibus* agens ita loquitur: *non ſufficientes ſumus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Unde S. Augustinus *l. de corrept. & grat.* hoc aſſignat diſcrimen inter gratiam *Creatoris*, ſeu inter gratiam, quæ data eſt ſub exordium creationis Angelis & primis noſtris protoparentibus, in ſtatu *innocentiæ* adhuc conſtitutis; & inter gratiam *Salvatoris*, (quæ ſcilicet datur nunc in ſtatu naturæ lapſæ hominibus) quod *prior* gratia ſubjaceret libero creaturæ rationalis arbitrio, ſano videlicet, & incolumi, eique *juxta deſiderium ac voluntatem ſuam* daretur, æque ac defacto concurſus Divinus ipſi a Deo ad libitum voluntatis ſuæ conceditur, ut in *art. præc.* dictum eſt: econtra iſta *poſterior* liberum arbitrium, peccato labefactatum, pravisque cupiditatibus continuo laceſſitum *prævertat*, & ad agendum determinet. Plura Theologi.

PRO-

PROPOSITIO II.

Deus quoque creaturam ad omnem actum, ut in individuo exiſtentem, prædeterminat.

DLVII. PROBATUR. Actus ſeu effectus *in individuo* eſt, qui gaudet principio *hæcceitatis*, tum extrinſeco, tum intrinſeco (CXLIV. item Log. *fol.* 59. & 60.) atqui ad ejusmodi actum creata voluntas ſe determinare nequit: ergo DEUS ipſam prædeterminat. p. m. Voluntas ſe non poteſt determinare ad aliquid omnino incognitum, juxta illud: *nihil eſt volitum, niſi præcognitum*: atqui actus, *ut individuus*, antequam ſit actu productus, eſt voluntati incognitus: ergo. p. m. Individuum *producendum* eſt mere adhuc *poſſibile*, ſeu in ſtatu *poſſibilitatis*: atqui nulla voluntas cognoſcit individuum *poſſibile*, ergo. p. m. Principium individuationis *extrinſecum* (quod *ſolum* voluntas in actu reſpicit, dum ipſum *phyſice* producit) eſt id, quod *ſenſibus* patet, ſcilicet *forma*, *figura*, aliaque hujusmodi, quibus mediantibus unum individuum aliter *in ſenſus* incurrit, quam alterum: atqui nullum *poſſibile* habet adhuc iſtud indi- Deus inſuper prædeterminat ad individuum actûs;

viduationis principium, eo ipſo, quod ſit tantum *poſſibile*, & nullis *certis circumſtantiis* veſtitum ac exiſtens; experientia enim luculenter nobis demonſtrat, quod hominem naſciturum poſſimus quidem nobis præſentem ſiſtere, at quales circumſtantias habeat, aut habiturus ſit, id eſt, quod nos latet. Dein, ſi homo æque *ſeipſum* ad *individuum* actûs determinare poſſet, ſicut ad *ſpeciem* ejusdem, tunc naturaliter poſſet dari *reſurrectio mortuorum*, poſſet enim v. g. Mater aliqua gravida *velle*, ut pariat *Moyſen*, vel *Anti-Chriſtum &c.* quod fidei repugnat: Igitur, quia creata voluntas non habet in ſe rationem ſufficientem ad exiſtentiam effectûs in individuo, ipſemet Deus ad τὸ *eſſe individuum* actûs prædeterminat.

Quia ſcilicet individuum plerumque non eſt cognitum, & conſequenter nec volitum.

DLVIII. *Corollaria.* I. Poſſumus equidem *cognoſcere*, quod unus actus ſit *intenſior* altero, indeque etiam nos ad unum præ altero determinare, attamen quia individuationis ratio non conſiſtit in ipſis *gradibus intenſioribus*, ſeu in ratione pura *intenſionis majoris* vel *minoris;* nam actus v. g. *intenſus ut octo* non neceſſario eſt *hic in individuo* actus, ſed poteſt eſſe vel actus A, vel

actus

actus B, vel actus C. &c. quorum unus poteſt eſſe æque *intenſus ac* alter: ſimiliter de actu *minus intenſo* loquendum eſt: ſicut ergo talis non eſt *cognitus*, ita nec ad illum ſe *determinare* voluntas poteſt. II. Econtra ex pluribus individuis actu *exiſtentibus*, v. g. ex pluribus hominibus actu exiſtentibus (adeoque & *cognitis*) poteſt humana voluntas *ſe ipſam* libere determinare ad *unum* magis quam *alterum* amandum &c.; non vero per *hunc* potius quam alterum *actum amoris*, quia hic actus, antequam eliciatur, eſt adhuc individuum mere *poſſibile*, & conſequenter *incognitum*, ſi autem producatur, eſt individuum *actuale*, & *cognitum*. III. Etiam quandoque dum effectûs individui plena cognitio habetur, non tamen creaturæ poteſtas convenit illum producendi, ob defectum *diſpoſitionum* neceſſariarum, quas ponere nequit. Sic v. g. Pater, etiamſi velit eundem numero filium ſibi mortuum & probe cognitum generando reproducere; in vanum nititur, eo quod conditiones individuales ex ſola ſua determinatione non dependeant; poſito autem caſu, quo creatura individuum non tantum *cognoſceret*, ſed & omnes *conditiones* requiſitæ in ipſius

poteſtate forent, utique tunc ipſa quoque creatura ad actum *in individuo ſe* determinaret: at quia hoc plerumque, imo ordinarie non contingit, manet adhuc ſtabilita noſtra propoſitio. IV. Dum dicitur, quod actus non ſolum, ut eſt *in ſpecie*, ſed & *hic numero* talis, ſeu *in individuo*, ſit vel *laudabilior*, ſi ſit bonus, vel *turpior*, ſi vitioſus, ſenſus eſt, quod actus ejusmodi, e. g. virtuoſus *ut ſex*, multa habeat individua, quæ ſimul ſumpta rationem ſpecificam *ut ſex* conſtituunt, ad quam *ſpeciem* actûs voluntas ſe determinat. (*n. ſeq.*) non autem quaſi ipſa voluntas ad τὸ *eſſe ſingulorum individuorum hujus actûs intenſi ſpecifici* ſe determinet; dantur enim *plures* actus individuales intenſi *ut ſex*, qui poſſunt æqualiter hic & nunc elici; V. Unde etiam humana voluntas non *vult* hunc in individuo magis quam alterum *actum* ponere, cum neutrum in individuo *cognoſcat*, aut quandoque, ſi etiam cognoſcat, diſpoſitiones tamen ad unum præ altero producendum efficere nequeat, ut mox dictum eſt. Et hæc ad ſolvenda argumenta contraria dicta ſufficiant!

PRO-

PROPOSITIO III.

Non tamen Deus creaturam rationalem ad ſpeciem actûs phyſice prædeterminat.

DLIX. **Probatur I.** Actus a potentiis creatis quoad ſpeciem ſuam procedentes ſunt vel *neceſſarii*, vel *liberi*: atqui ad nullum horum Deus phyſice prædeterminat: ergo. p. m. Præmotio phyſica in agentibus *neceſſariis* videtur omnino eſſe *inutilis* & *fruſtranea*, in cauſis vero *liberis* videtur earundem *libertatem* indifferentiæ tollere: atqui Deus nec aliquid *fruſtra* agit, (XIII.) nec *libertati* creaturarum unquam præjudicat (DXXI.), ergo. p. M. quoad 1*mum membrum*, cauſæ *neceſſariæ* ſive naturales jam ſunt ex natura ſua determinatæ ad operandum, & per hoc a cauſis *liberis* diſtinguuntur; (CCXLVII. & CCXLIX.) atqui *fruſtra* determinatur id *ab alio*, quod jam eſt *ex ſe* determinatum: ergo in cauſis *neceſſariis inutilis* eſt præmotio phyſica. Conf. Argumento *ad hominem*. Ideo potiſſimum juxta Thomiſtas voluntas creata indiget a Deo phyſice præde- Præmotio phyſica ad ſpeciem actûs nec datur in agentibus neceſſariis,

terminari ad agendum, quia ſine iſta præmotione illa ex ſe eſt *indifferens* ac *indeterminata* tum ad agendum tum ad non agendum. Ita Cl. P. Goudin p. 4. *Phil. Diſp.* 2. *q.* 3. *Art.* 4. §. 8. *quinta ratio:* ergo vel nulla eſt hæc ratio, vel phyſica præmotio in cauſis *neceſſariis*, utpote ex ſe jam determinatis, ac neutiquam indifferentibus eſt prorſus inutilis & fruſtranea.

Nec in agentibus liberis.

P. etiam M. quoad *2dum membrum.* Illud *libertatem indifferentiæ* videtur tollere, quod impedit, ne voluntas ex æquo poſſit *agere*, vel *non agere:* (DXVIII.) atqui Phyſica præmotio ſic impedit: ergo. p. m. Voluntas in ſigno priori ad præmotionem non poteſt *agere*, ſimul vero cum iſta nequit *non agere:* ergo phyſica præmotio impedit, ne voluntas ex æquo poſſit *agere* vel *non agere.* P. A. præmotio enim juxta Thomiſtas eſt aliquid *eſſentialiter* requiſitum ad agendum, & ſi illa ponatur, nequit fruſtrari ſuo effectu: (DLIII. & DLV.) ergo. Confirmatur I. Omne *antecedens* cum aliqua actione *eſſentialiter connexum*, ſimulque *in-impedibile* libertatem indifferen-

tiæ

tiæ deſtruit: atqui ſic ſe habet præmotio phyſica: ergo. M. patet. Quia nulla eſt *libertas indifferentiæ*, niſi habeatur potentia, ad utrumque ex oppoſitis ita ex æquo proxime expedita, ut ejus optio inter utrumque differri ſerio poſſit: (DXVIII.) atqui potentia ad utrumque oppoſitorum ita nequit eſſe expedita, ſi *in-impedibiliter* ponatur aliquid ordine cauſalitatis *antecedens*, quod eſſentialem *connexionem* cum alterutro ex oppoſitis habet: ergo. p. m. Hoc enim poſito potentia eſt *ineluctabiliter determinata* ad unum ex oppoſitis, & ab altero ponendo plane impedita: ergo nulla ſupereſt voluntati indifferentia, ſi ponatur aliquid, quod omnem ejus actionem *antecedit*, & impediri ab illa non poteſt, ſimulque eſſentialem cum aliqua ejusdem actione connexionem habet. Prior m. etiam patet. Vel enim Cajus v. g. volens elicere actum *amoris* eſt phyſice ad hunc actum præmotus, vel non? ſi 1*mum*: ergo impoſſibilis eſt ei *non actus*, cum præmotio juxta Thomiſtas ſit *eſſentialiter connexa* cum actu & *efficax*. Si 2*dum*: ergo eo ipſo juxta eosdem Cajo tunc deeſt aliquod *eſſen-*

tiale requiſitum, ſicque *agere* non poteſt, & conſequenter phyſica præmotio eſt *antecedens*, *eſſentialiter connexa* cum actu, & *in - impedibilis*. (DLIII. & DLV.) CONF. II. Si præmotio phyſica ad omnem omnino actum creaturæ liberæ antecedenter influit, nec agere ſine illa voluntas poteſt, tunc etiam ad hoc, ut *male* agat creata voluntas, hæc illi datur: atqui hoc non: ergo. M. patet, nam etiam *malus actus* eſt aliquis actus, & quidem nonnunquam operoſior quam actus *bonus*: ergo, ſi ad *omnem* omnino actum datur, etiam ad actum *malum* præſto erit, p. m. Si ad ejusmodi actum datur præmotio, tunc profecto verum erit dicere; *ideo peſſime hominem vivere, quia ad peſſime operandum phyſice a Deo præmovetur*: atqui hoc derogat *ſanctitati* Divinæ; ſequeretur enim, quod eidem inhoneſta creaturarum vita unice imputanda foret, quin imo is ipſe cum homine peccaret: ergo. p. ſ. A. Culpam ille revera contrahit, & peccati alieni reus eſt, qui hominem ad male agendum ſolummodo *moraliter* præmovet: ergo multo magis peccati reus erit, qui alterum ad male agendum *phyſice* prædeterminat.

NEC

Nec dicant aa. Deum non prædeterminare hominem ad *formale*, ſed tantum ad *materiale* peccati; nam *contra eſt*. Etiam homo ſuadens alteri, ut *male* agat, ipſum *moraliter* non niſi ad *τὸ materiale* actionis malæ præmovet, & tamen juxta omnes Caſuiſtas *peccati alieni* culpam contrahit: ergo a pari &c. Certe qui Deum faciunt auctorem peccati, (inquit Cl. P. Fort. a Brix. *Met. p.* 3. §. 67.) non aliud ſentire puto, niſi eſſe a Deo *materiale* illius actionis, quæ *malitiam* habet annexam, nec ullus eſt *peccantium*, qui *malitiam* actionis ſuæ *directe* reſpicit, eamque *primo* & *per ſe* intendit; ut enim *materiale* actionis eſt id, quo mala *concupiſcentia* expletur, ita quoque illud eſt, quod unice a peccante reſpicitur.

Probatur II. Secluſa omni præmotione phyſica ſtat in Deo ratio *cauſæ primæ*, *ſupremum*que ipſius in omnes creaturas *dominium* ſalvum & incolume perſiſtit, neque etiam propterea illa requiritur, quia creaturæ dicuntur *entia in potentia* ac *indeterminata*: ergo omnia Thomiſtarum fundamenta, qui- Absque præmotione phyſica Deus eſt vere cauſa prima,

bus Syſtema ſuum ſuperædificant, (DLIV.) una cum hoc ipſo corruere videntur.

P. A. quoad 1*mum membrum*: Secluſa omni præmotione phyſica adhuc verum manet, quod nulla prorſus a creaturis actio ponatur, in quam Deus non modo cum illis immediate non influat per *concurſum ſimultaneum*, (DXLVII.) ſed etiam aliquo modo *prævium*, dando nimirum *potentiam activam*, aliaque ad agendum requiſita, præmovendo etiam *motione generali* verſus bonum in genere, (DLVI.) itemque *ſpeciali motione* eam excitando ad actiones ſupernaturales, eiſque gratiam conferendo, qua actiones ipſas eliciant, (*n. cit.*) ac denique ad *individuum* quoque actûs determinando: (DLVII.) atqui in his abunde ſalvatur ratio *primæ cauſæ*, ut ex terminis patet, nec major, ſalva creaturarum libertate, eidem *cauſæ prioritas* competere valet. Nempe propter iſta Deus veraciter *cauſa prima* dici poteſt ex triplici ratione, 1. *dignitate*; quatenus ipſe res omnes creatas perfectione ſua infinite ſuperat. 2. *Fœcunditate*, quia rebus ſingulis ipſe vim

vim tribuit, qua operentur. 3. *Independentia;* nam ille in agendo a nemine dependet, bene vero ab eo agentia cuncta creata ita dependent, ut ſine ipſius concurſu ne minimum quidem efficere poſſint. (DXLVII.)

7. P. A. quoad *2dum membrum.* Dominium Dei in actiones creaturarum ſatis deſcribit Apoſtolus, dum ait: *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. Act.* 17. *v.* 28. ex quo deſumitur, quod ſit eſſentialis Divini *adjutorii neceſſitas*, quodque habeat omnimodam poteſtatem, ita, ut etiam poſſit adjuvamen ſuum creaturis *ſubtrahere*, ipſamque earum operationem *irritam* reddere; certe nec ipſi A A. poſſunt plus requirere: atqui hæc omnia in Deo ſalvantur admiſſo ſolo *concurſu ipſius immediato:* ergo ſecluſa præmotione phyſica in Deo ſalvum & incolume perſiſtit *ſupremum* ejusdem in creaturas *dominium.* p. m. Stante enim concurſu ſolo revera in Deo *movemur* & *operamur*, cum ipſe in omnes omnino operationes immediate, immediatione non tantum virtutis, ſed & ſuppoſiti, influat, eſtque concurſus iſte eſſentialiter *neceſſarius*, quia ſine eo agere ne- Et ſupremus creaturarum Dominus.

mo

mo poteſt, poſſetque inſuper illum ſubtrahere, ſi vellet; cùm non alia ſit in Deo concurrendi cum creaturis neceſſitas, niſi *Hypothetica* & *conſequens*: ergo P. A. quoad 3*tium membrum.* Principium indifferens *activum* non eget alio alio, a quo determinetur: ſed potius *ſe ipſum* determinare valet; per hoc enim diſtinguitur a principio merè *paſſivo* v. g. inſtrumento: atqui creatura *rationalis* eſt principium indifferens activum, cum habeat *liberum arbitrium* agendi vel non agendi: (DXXI.) ergo ſe ipſam (cum *ſimultaneo* nempe Dei *concurſu*) determinare valet, & conſequenter ad hoc *præmotio phyſica* non requiritur; nam etiam Deus ab æterno eſt *indifferens* ad creandum mundum vel non creandum; & tamen hæc illius indifferentia non tollitur ab alio: ergo *univerſaliter* a Thomiſtis concludi nequit, quod omne ens *indifferens* ab alio determinari ac præmoveri phyſice debeat.

Neque creaturæ liberæ alio principio determinante indigent.

DLX. *Scholion* I. Teſte Cl. D. P. Amort. *Phyſ. part. p.* 3. *ſect.* 3. *q.* 7. prædeterminatio phyſica duplici modo conſiderari poteſt in ſententia Thomiſtarum, 1. prout refertur ad *eſſentiam* actûs li-

Duplex ſenſus præmotionis phyſicæ.

beri.

beri. 2. Prout refertur ad *exiſtentiam* actus liberi. Cum enim Thomiſtæ realiter diſtinguant *eſſentiam* & *exiſtentiam* cujuslibet entis, (CXXXIX.) clarum eſt, in eorum ſententia etiam realiter diſtingui *eſſentiam* & *exiſtentiam* actus liberi. Dicunt ergo *veri* & genuini Thomiſtæ, actum *formaliter*, ſeu *ſecundum eſſentiam* conſideratum, eſſe ex determinatione *creaturæ*, ſed ſecundum *exiſtentiam* conſideratum eſſe ex determinatione *Dei*. Alii Thomiſtæ *imperitiores* ita explicant prædeterminationem phyſicam, ut dicant, Deum determinare non ſolum determinatione ad actum liberum ſub ratione *entis*, ſeu *exiſtentiæ*, ſed etiam ſub ratione *talis entis*, ſeu eſſentiæ. *Contra priores ac* VEROS *Thomiſtas nil aliud habeo, niſi quod negem, eſſentiam realiter diſtingui ab exiſtentia; poſteriores vero* NON VEROS *Thomiſtas dico non ſolum errare, ſed etiam coincidere cum* JANSENISTIS &c. hucusque cit. Cl. AUCTOR. Et poſtea ex quinque damnatis Janſenii propoſitionibus, cum principiis talium *imperitiorum*, uti vocat, *Thomiſtarum* plane convenientibus, deducit, præmotionem phyſicam in tali ſenſu acceptam eſſe *hæreſi Janſeniſtarum*

 pro-

minate exeat in hunc actum vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. Demum *quodlib. 1. a. 7.* inquit: *ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* &c. Quare ex his Doctoris Angelici textibus ſat claris permoti alii præmotionem phyſicam non *Thomiſticam*, ſed *Banneſianam* appellare maluerunt, a Dominico ſcilicet Bannez, hujus ſententiæ ſeu inventore, ſeu promotore præcipuo; (DXLIX.) notumque paſſim de Bannezii aſſeclis iſtud profertur judicium: Thomas *non erat cum eis.* Quin imo ex *Hennao* & *Viva* Cl. P. Hausler *Theol. nat. p. 3. q. 4. Art. 1.* §. 234. refert, quod Reverendiſſimus Thomas Turcus S. Ord. Prædicatorum Magiſter generalis in publica diſputatione uni e ſuis defendenti, quod *præmotio* hæc conformis ſit menti Doctoris Angelici, palam edixerit: *oſtende mihi locum D. Thomæ, in quo phyſicam præmotionem propugnavit, & creabo te Magiſtrum!* addit etiam cit. Cl. Auctor, ex Thomiſtis antiquioribus multos nobiles eandem prædeterminationem tum non agnoviſſe, tum reſpuiſſe.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

DLXII. **O**B. I. *Ex Auctoritate.* Non pauca *Concilia*, multi SS. *Patres*, vel maxime D. THOMAS pluri-mis in locis, quæ enumerare longum foret, docent creatam voluntatem a DEO *præmoveri*: ergo temerarium eſt huic opinioni contraire: ita *Thomiſtæ*. R. N. A. Illa enim cuncta teſtimonia intelligenda ſunt vel de *concurſu* DEI *ſimultaneo*, vel de *præmotione generali* ad bonum in genere, vel de *præmotione* tantum *morali*, vel de motione etiam quadam *ſpeciali per gratiam* ad actus ſupernaturales & meritorios, vel denique de præmotione phyſica ad *individuum* ſeu *exiſtentiam* actûs, non vero de præmotione ad *ſpeciem*, ſeu eſſentiam actûs, ut ex textibus DOCTORIS ANGELICI mox allatis patet. Reſpôdetur ad authoritates contrarias.

OB. 2. *Ex Ratione.* Præmotio phyſica etiam ad *ſpeciem* actûs non tollit *libertatem*: ergo non eſt rejicienda. P. A. Voluntas in *ſigno priori* ad præmotionem *poteſt* adhuc *agere*, etſi nunquam actu aliquid *actura* ſit: ſive, ut alii dicunt, in voluntate datur *potentia poſſi-* Præmotio phyſica in vanum nititur ſalvare libertatem.

terminari ad agendum, quia ſine iſta præmotione illa ex ſe eſt *indifferens* ac *indeterminata* tum ad agendum tum ad non agendum. Ita Cl. P. Goudin *p.* 4. *Phil. Diſp.* 2. *q.* 3. *Art.* 4. §. 8. *quinta ratio:* ergo vel nulla eſt hæc ratio, vel phyſica præmotio in cauſis *neceſſariis*, utpote ex ſe jam determinatis, ac neutiquam indifferentibus eſt prorſus inutilis & fruſtranea.

Nec in agentibus liberis. P. etiam M. quoad 2dum *membrum.* Illud *libertatem indifferentiæ* videtur tollere, quod impedit, ne voluntas ex æquo poſſit *agere*, vel *non agere:* (DXVIII.) atqui Phyſica præmotio ſic impedit: ergo. p. m. Voluntas in ſigno priori ad præmotionem non poteſt *agere*, ſimul vero cum iſta nequit *non agere:* ergo phyſica præmotio impedit, ne voluntas ex æquo poſſit *agere* vel *non agere*. P. A. præmotio enim juxta Thomiſtas eſt aliquid *eſſentialiter* requiſitum ad agendum, & ſi illa ponatur, nequit fruſtrari ſuo effectu: (DLIII. & DLV.) ergo. Confirmatur I. Omne *antecedens* cum aliqua actione *eſſentialiter connexum*, ſimulque *in-impedibile* libertatem indifferen-

tiæ

tiæ deſtruit: atqui ſic ſe habet præmotio phyſica: ergo. M. patet. Quia nulla eſt *libertas indifferentiæ*, niſi habeatur potentia, ad utrumque ex oppoſitis ita ex æquo proxime expedita, ut ejus optio inter utrumque differri ſerio poſſit: (DXVIII.) atqui potentia ad utrumque oppoſitorum ita nequit eſſe expedita, ſi *in-impedibiliter* ponatur aliquid ordine cauſalitatis *antecedens*, quod eſſentialem *connexionem* cum alterutro ex oppoſitis habet: ergo. p. m. Hoc enim poſito potentia eſt *ineluctabiliter determinata* ad unum ex oppoſitis, & ab altero ponendo plane impedita: ergo nulla ſupereſt voluntati indifferentia, ſi ponatur aliquid, quod omnem ejus actionem *antecedit*, & impediri ab illa non poteſt, ſimulque eſſentialem cum aliqua ejusdem actione connexionem habet. Prior m. etiam patet. Vel enim Cajus v. g. volens elicere actum *amoris* eſt phyſice ad hunc actum præmotus, vel non? ſi *1mum*: ergo impoſſibilis eſt ei *non actus*, cum præmotio juxta Thomiſtas ſit *eſſentialiter connexa* cum actu & *efficax*. Si *2dum*: ergo eo ipſo juxta eosdem Cajo tunc deeſt aliquod *eſſen-*

tiale requiſitum, ſicque *agere non poteſt*, & conſequenter phyſica præmotio eſt *antecedens*, *eſſentialiter connexa* cum actu, & *in - impedibilis*. (DLIII. & DLV.) Conf. II. Si præmotio phyſica ad omnem omnino actum creaturæ liberæ antecedenter influit, nec agere ſine illa voluntas poteſt, tunc etiam ad hoc, ut *male* agat creata voluntas, hæc illi datur: atqui hoc non: ergo. M. patet, nam etiam *malus actus* eſt aliquis actus, & quidem nonnunquam operoſior quam actus *bonus*: ergo, ſi ad *omnem* omnino actum datur, etiam ad actum *malum* præſto erit. p. m. Si ad ejusmodi actum datur præmotio, tunc profecto verum erit dicere; *ideo peſſime hominem vivere, quia ad peſſime operandum phyſice a Deo præmovetur*: atqui hoc derogat *ſanctitati* Divinæ; ſequeretur enim, quod eidem inhoneſta creaturarum vita unice imputanda foret, quin imo is ipſe cum homine peccaret: ergo. p. ſ. A. Culpam ille revera contrahit, & peccati alieni reus eſt, qui hominem ad male agendum ſolummodo *moraliter* præmovet: ergo multo magis peccati reus erit, qui alterum ad male agendum *phyſice* prædeterminat.

Nec

Nec dicant AA. Deum non prædeterminare hominem ad *formale*, ſed tantum ad *materiale* peccati; nam *contra eſt*. Etiam homo ſuadens alteri, ut *male* agat, ipſum *moraliter* non niſi ad τὸ *materiale* actionis malæ præmovet, & tamen juxta omnes Caſuiſtas *peccati alieni* culpam contrahit: ergo a pari &c. Certe qui Deum faciunt auctorem peccati, (inquit Cl. P. Fort. a Brix. *Met.* p. 3. §. 67.) non aliud ſentire puto, niſi eſſe a Deo *materiale* illius actionis, quæ *malitiam* habet annexam, nec ullus eſt *peccantium*, qui *malitiam* actionis ſuæ *directe* reſpicit, eamque *primo* & *per ſe* intendit; ut enim *materiale* actionis eſt id, quo mala *concupiſcentia* expletur, ita quoque illud eſt, quod unice a peccante reſpicitur.

Probatur II. Secluſa omni præmotione phyſica ſtat in Deo ratio *cauſæ primæ*, *ſupremum*que ipſius in omnes creaturas *dominium* ſalvum & incolume perſiſtit, neque etiam propterea illa requiritur, quia creaturæ dicuntur *entia in potentia* ac *indeterminata*: ergo omnia Thomiſtarum fundamenta, qui- *Absque præmotione phyſica Deus eſt vere cauſa prima,*

bus Syſtema ſuum ſuperædificant, (DLIV.) una cum hoc ipſo corruere videntur.

P. A. quoad 1*mum membrum*. Seclu-ſa omni præmotione phyſica adhuc ve-rum manet, quod nulla prorſus a crea-turis actio ponatur, in quam Deus non modo cum illis immediate non influat per *concurſum ſimultaneum*, (DXLVII.) ſed etiam aliquo modo *prævium*, dan-do nimirum *potentiam activam*, aliaque ad agendum requiſita, præmovendo etiam *motione generali* verſus bonum in genere, (DLVI.) itemque *ſpeciali mo-tione* eam excitando ad actiones ſuper-naturales, eisque gratiam conferendo, qua actiones ipſas eliciant, (*n. cit.*) ac denique ad *individuum* quoque actûs determinando: (DLVII.) atqui in his abunde ſalvatur ratio *primæ cauſæ*, ut ex terminis patet, nec major, ſalva creaturarum libertate, eidem *cauſæ prioritas* competere valet. Nempe pro-pter iſta Deus veraciter *cauſa prima* dici poteſt ex triplici ratione, 1. *di-gnitate*, quatenus ipſe res omnes creatas perfectione ſua infinite ſuperat. 2. *Fœcunditate*, quia rebus ſingulis ipſe

vim

vim tribuit, qua operentur. 3. *Independentia;* nam ille in agendo a nemine dependet, bene vero ab eo agentia cuncta creata ita dependent, ut ſine ipſius concurſu ne minimum quidem efficere poſſint. (DXLVII.)

P. A. quoad *2dum membrum.* Dominium Dei in actiones creaturarum ſatis deſcribit Apoſtolus, dum ait: *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. Act.* 17. *v.* 28. ex quo deſumitur, quod ſit eſſentialis Divini *adjutorii neceſſitas,* quodque habeat omnimodam poteſtatem, ita, ut etiam poſſit adjuvamen ſuum creaturis *ſubtrahere*, ipſamque earum operationem *irritam* reddere; certe nec ipſi A A. poſſunt plus requirere: atqui hæc omnia in Deo ſalvantur admiſſo ſolo *concurſu ipſius immediato:* ergo ſecluſa præmotione phyſica in Deo ſalvum & incolume perſiſtit *ſupremum* ejusdem in creaturas *dominium.* p. m. Stante enim concurſu ſolo revera in Deo *movemur* & *operamur*, cum ipſe in omnes omnino operationes immediate, immediatione non tantum virtutis, ſed & ſuppoſiti, influat, eſtque concurſus iſte eſſentialiter *neceſſarius*, quia ſine eo agere nemo

Et ſupremus creaturarum Dominus.

mo poteſt, poſſetque inſuper illum ſubtrahere, ſi vellet, cum non alia ſit in Deo concurrendi cum creaturis neceſſitas, niſi *Hypothetica* & *conſequens*: ergo P. A. quoad 3*tium membrum*. Principium indifferens *activum* non eget aliquo alio, a quo determinetur: ſed potius *ſe ipſum* determinare valet; per hoc enim diſtinguitur a principio mere *paſſivo* v. g. inſtrumento: atqui creatura *rationalis* eſt principium indifferens activum, cum habeat *liberum arbitrium* agendi vel non agendi: (DXXI.) ergo ſe ipſam (cum *ſimultaneo* nempe Dei *concurſu*) determinare valet, & conſequenter ad hoc *præmotio phyſica* non requiritur; nam etiam Deus ab æterno eſt *indifferens* ad creandum mundum vel non creandum, & tamen hæc illius indifferentia non tollitur ab alio: ergo *univerſaliter* a Thomiſtis concludi nequit, quod omne ens *indifferens* ab alio determinari ac præmoveri phyſice debeat.

Neque creaturæ liberæ alio principio determinante indigent.

DLX. *Scholion* I. Teſte Cl. D. P. Amort. *Phyſ. part. p.* 3. *ſect.* 3. *q.* 7. prædeterminatio phyſica duplici modo conſiderari poteſt in ſententia Thomiſtarum, 1. prout refertur ad *eſſentiam* actûs liberi.

Duplex ſenſus præmotionis phyſicæ.

beri. 2. Prout refertur ad *exiſtentiam* actus liberi. Cum enim Thomiſtæ realiter diſtinguant *eſſentiam* & *exiſtentiam* cujuslibet entis, (CXXXIX.) clarum eſt, in eorum ſententia etiam realiter diſtingui *eſſentiam* & *exiſtentiam* actus liberi. Dicunt ergo *veri* & genuini Thomiſtæ, actum *formaliter*, ſeu *ſecundum eſſentiam* conſideratum, eſſe ex determinatione *creaturæ*, ſed ſecundum *exiſtentiam* conſideratum eſſe ex determinatione *Dei*. Alii Thomiſtæ *imperitiores* ita explicant prædeterminationem phyſicam, ut dicant, Deum determinare non ſolum determinatione ad actum liberum ſub ratione entis, ſeu *exiſtentiæ*, ſed etiam ſub ratione *talis entis*, ſeu eſſentiæ. *Contra priores ac* VEROS *Thomiſtas nil aliud habeo, niſi quod negem, eſſentiam realiter diſtingui ab exiſtentia; poſteriores vero* NON VEROS *Thomiſtas dico non ſolum errare, ſed etiam coincidere cum* JANSENISTIS &c. hucusque cit. Cl. AUCTOR. Et poſtea ex quinque damnatis Janſenii propoſitionibus, cum principiis talium *imperitiorum*, uti vocat, *Thomiſtarum* plane convenientibus, deducit, præmotionem phyſicam in tali ſenſu acceptam eſſe *hæreſi Janſeniſtarum*

proximam. Quin etiam paulo poſt, nempe n. 21. ait, Catholicos bene imputare Zwinglio, Calvino, & Bezæ, quod DEUM faciant authorem peccati, & tamen ab illis nil aliud doceri, quam quod a talibus Thomiſtis docetur; cum in æſtimatione morali idem ſit, dicere *Deum eſſe auctorem peccati, & eum ponere cauſam in-impedibilem peccati.* Ego autem, cum omnia in bonum interpretari me jubeat lex illa charitatis: *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, omnes & ſingulos præmotionis phyſicæ Patronos ut *veros Thomiſtas* reputans, ſi & illi mecum per *exiſtentiam* actûs idem ac *individuum*, (DLVII.) & per *eſſentiam* idem ac *ſpeciem* actûs intelligant, (DLIX.) ab omni prorſus cenſura vel parum odioſa libentiſſime abſtineo, non modo ne transgrediar SS. Pontificum decreta, (CXXXIV.) ſed ne mihi quoque, meæque ſententiæ, in citatis geminis propoſitionibus traditæ, notam quamdam inurere videar. Quæ igitur hactenus contra A A. dicta ſunt, (*n. præc.*) & adhuc dicentur, ea in *falſos* ac *imperitos* ſolum Thomiſtas dicta ſint, qualem re ipſa neminem eſſe excepto

pto

pto, nec ullum nomino, *ideoque* etiam, ut cum TULLIO loquar in *Orat. pro lege Manil. nemo eorum mihi iraſci poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri!*

DLXI. *Scholion* II. Hæc quidem *præmotio phyſica* vulgo etiam *Thomiſtica* dicitur: aſt dubitant plurimi, num D. THOMAS illam docuerit? niſi forte in ſenſu mox dicto ſaniorum *Thomiſtarum*, itemque juxta dicta in *Propoſit. I.* & *II.* non vero quaſi *per ſe* ad *ſpeciem* quoque *actûs* voluntatem creatam DEUS phyſice prædeterminet; etenim contrarium evincere licet ex multis ejusdem & clariſſimis textibus, e. g. *q.* 3. *de potent. Art.* 7. *ad* 13. ait: *cauſa prima non ita agit in voluntate, ut tam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam, & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis.* Item 1. *p. q.* 19. *Art.* 3. *ad* 5*tum. Voluntas non oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, ſed determinat ſe ipſam ad volendum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Item in 1. *Sent. Diſt.* 39. *q.* 1. *Art.* 1. *ipſa potentia voluntatis, quatenus in ſe, eſt indifferens ad plura, ſed quod determi-*

Cur a quibusdam dicatur præmotio Banneſiana, & non Thomiſtica?

minate exeat in hunc actum vel illum, non eſt ab alio determinante; ſed ab ipſa voluntate. Demum *quodlib.* 1. *a.* 7. inquit: *ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* &c. Quare ex his Doctoris Angelici textibus ſat claris permoti alii præmotionem phyſicam non *Thomiſticam*, ſed *Banneſianam* appellare maluerunt, a Dominico ſcilicet Bannez, hujus ſententiæ ſeu inventore, ſeu promotore præcipuo; (DXLIX.) notumque paſſim de Bannezii aſſeclis iſtud profertur judicium: Thomas *non erat cum eis.* Quin imo ex *Hennao & Viva* Cl. P. Hauser *Theol. nat. p.* 3. *q.* 4. *Art.* 1. §. 234. refert, quod Reverendiſſimus Thomas Turcus S. Ord. Prædicatorum Magiſter generalis in publica diſputatione uni e ſuis defendenti, quod *præmotio* hæc conformis ſit menti Doctoris Angelici, palam edixerit: *oſtende mihi locum D. Thomæ, in quo phyſicam præmotionem propugnavit, & creabo te Magiſtrum!* addit etiam cit. Cl. Auctor, ex Thomiſtis antiquioribus multos nobiles eandem prædeterminationem tum non agnoviſſe, tum reſpuiſſe.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

DLXII. **O**b. 1. *Ex Auctoritate.* Non pauca *Concilia*, multi SS. *Patres*, vel maxime D. Thomas pluri mis in locis, quæ enumerare longum foret, docent creatam voluntatem a Deo *præmoveri*: ergo temerarium eſt huic opinioni contraire: ita *Thomiſtæ*. R. N. A. Illa enim cuncta teſtimonia intelligenda ſunt vel de *concurſu* Dei *ſimultaneo*, vel de *præmotione generali* ad bonum in genere, vel de *præmotione tantum morali*, vel de motione etiam quadam *ſpeciali per gratiam* ad actus ſupernaturales & meritorios, vel denique de præmotione phyſica ad *individuum* ſeu *exiſtentiam* actûs, non vero de præmotione ad *ſpeciem*, ſeu eſſentiam actûs, ut ex textibus Doctoris Angelici mox allatis patet.

Reſpōdetur ad auThoritates contrarias.

Ob. 2. *Ex Ratione.* Præmotio phyſica etiam ad *ſpeciem* actûs non tollit *libertatem*: ergo non eſt rejicienda. p. A. Voluntas in *ſigno priori* ad præmotionem *poteſt* adhuc *agere*, etſi nunquam actu aliquid *actura* ſit: ſive, ut alii dicunt, in voluntate datur *potentia poſſi*-

Præmotio phyſica in vanum nititur ſalvare libertatem.

bilitatis ad actum oppoſitum, licet non detur *potentia futuritionis*: atqui talis potentia ſufficit ad libertatem: ergo. R. N. A. Cum *prob.* potentia enim ad *impoſſibile* non datur, impoſſibile autem eſt, ut actus *oppoſitus* producatur, aut ſaltem ut *liber* produci poſſit in illo ſigno, in quo non habetur, neque concipitur *præmotio*, tum quia hæc eſt aliquod *eſſentiale requiſitum* ad actum, tum quia actus *in-impedibiliter* ex aliquo naturâ *priori* ſe ſequi ſolet juxta Thomiſtas: hinc quæro ex ipſis: ſi voluntas in tali *ſigno priori* ad præmotionem *poſſit* quidem *agere*, nunquam tamen *actura* ſit, utrum *negatio* actûs, quæ in ejusmodi ſigno ſemper habetur, inde proveniat, quia potentia voluntatis tunc non eſt intrinſece *completa*, (prout illa ſe habet quoad actus *ſupernaturales* eliciendos, ſi ſit *gratiæ* auxilio deſtituta) vel num ex eo oritur, quia aliqua tunc ei deeſt *conditio*, quæ ad operandum neceſſario requiritur? Si 1*mum*: ergo falſum eſt, voluntatem in ſigno priori ad præmotionem *agere poſſe.* Si 2*dum*: ergo *negatio actûs* etiam cum præmotione phyſica conſiſtere valet; eſt enim de eſſentia *cauſæ liberæ*,

ut

ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit *agere*, vel *non agere*. *Subſ.* atqui hoc juxta AA. falſum eſt, cum voluntas præmota *agere debeat*, ne præmotio fruſtretur ſuo effectu. Denique " unum addo (verba ſunt Cl. P.
" FORT. a BRIX. *Met.* *p.* 3. §. 65.) quod
" in hoc negotio me ſemper plurimum
" movit, videlicet contendere etiam
" *fataliſtas* poſſe, voluntatis libertatem
" a *fatali* externa *cauſa* nequaquam læ-
" di; poſſunt quippe & ipſi dicere, vo-
" luntatem non habere a *facto*, ut *poſ-*
" *ſit* agere, ſed tantum, ut *agat*, ſive
" illam *poſſe* quidem non operari, etiam
" dum a *fato* determinata eſt, nunquam
" tamen *fore*, ut tunc non operetur:
" uno verbo, *fatalem* influxum non
" *potentiam* reſpicere, ſed *actum*; neque
" enim contra eos valet, actionem *fa-*
" *talis* cauſæ eſſe *priorem* actione vo-
" luntatis, *independentem* a voluntate, &
" cum illius actu *infallibiliter* conne-
" xam. Non valet, inquam; quia
" neque contra *prædeterminantes* id alicu-
" jus vel minimi momenti eſt; in tuto
" eſt enim, horum judicio, humana *li-*
" *bertas*, quamvis præmotio ſit *prior*
" actione voluntatis, ab ipſa volunta-

„te *independens*, eaque poſita fieri *ne*„*queat*, ut voluntas non operetur, ſi„ve *actionis negatio* tunc habeatur.„

Inſt. 1. Per præmotionem phyſicam voluntas humana non neceſſitatur in ſenſu *diviſo*, ſed ſolum in ſenſu *compoſito*: ergo *libertas* non læditur. p. A. Sicut enim ille v. g. qui *ſedet*, non poteſt *non ſedere*, ita etiam, qui eſt *præmotus*, non poteſt *non* eſſe *præmotus*, manet tamen ei potentia in *ſenſu diviſo* non factæ præmotionis. R. D. A. Si homo etiam habeat potentiam ad hoc, ut ſe ipſum dividat C. A. Si non habeat. N. A. & C. Quia diviſio a ſenſu compoſito, ſive exercitium potentiæ indifferentis non eſt in libertate hominis, (eo ipſo quod homo non poſſit *aliam præmotionem* ponere) ſed potius dependet in-impedibiliter ex aliquo naturâ priori ad diviſionem vel actuale exercitium, (ſcilicet ex ipſa præmotione phyſica) ideo libertas hominis omnino lædi videtur. Dein etiam N. *ſuppoſ.* quod præmotio phyſica detur *in* ſenſu compoſito; datur enim *ad* ſenſum compoſitum, & conſequenter jam *in ſenſu diviſo*, (utpote cum *ante* ſenſum

ſum compoſitum adhuc continuo ſit *in ſenſu diviſo non actûs*) quod maxime notandum eſt. Poſtremo etiam in ſenſu illo diviſo ita datur ad ſenſum *compoſitum*, ſeu ad *actum ſecundum*, ut cauſalitatem creatam *antecedat*, tanquam eſſentiale requiſitum ad agendum, ipſique creaturæ ſit *impoſſibilis* ceſſatio ſeu negatio actûs, *eſſentialiter* connexi cum præmotione &c.: ergo jam in illo *ſenſu diviſo* voluntas creata non habet omnia requiſita ad libertatem indifferentiæ, æque ac in *fato* non habetur.

Inſt. 2. Illa neceſſitas, quam ponit prædeterminatio, tantum eſt *conſequens*, non vero *antecedens* ad actum: atqui neceſſitas conſequens non tollit libertatem, quia actus voluntatis, dum eſt, neceſſario eſt: ergo. p. M. Prædeterminatio ſe non tenet ex parte actûs *primi*, ſed ex parte actûs 2*di*: ergo non *antecedit* actum 2dum, ſed potius eſt pars ipſiſſima actualis exercitii in libertate, adeoque eſt conſequens. R. D. m. ut prius. Si illa neceſſitas eſt conſequens ad determinationem creaturæ c. m. Si tantum eſt conſequens ad actum primum. N. m. & *Retorq.* Illa neceſſitas,

qua lux oritur a ſole, eſt tantum *conſequens* ad actum ſecundum, quia lux non eſt poſterior tempore juxta Thomiſtas, ſed naturâ: ergo neceſſitas emanandi lucem non tollit libertatem lucendi: adeoque lux lucendo *libere* agit. Sic autem & neceſſitas *conſequens* Thomiſtarum, quæ juxta ipſos reperitur in actu libero, conſequitur *in-impedibiliter* ex aliquo *naturâ priori* ad actum, ſcilicet ex præmotione phyſica: ergo ſimiliter libertatem tollit, vel ſaltem tollere videtur.

Inſt. 3. Stante etiam prædeterminatione manet adhuc in creatura *potentiâ voluntatis* de ſe *indifferens*, ſicut & *judicium rationis*, ad neutram partem *determinatum*: ergo ſalvatur libertas. R. 1. Tr. A. N. C. & *Retorq.* 1. ergo etiam vincula, quibus v. g. alligatur captivus, & quæ non tollunt potentiam voluntatis de ſe indifferentem, & judicium rationis indifferens ad eundum, libertatem ſalvant. *Retorq.* 2. Ergo etiam in dæmonibus daretur libertas amandi DEUM, non blasphemandi &c. eoquod ille ſtatus non tollat *potentiam naturalem* in dæmonibus,

nec

nec *primum judicium* indifferens ad utrumque, & tamen Theologi etiam Thomiſtæ docent, illos eſſe *inflexibiles*, & *neceſſitati* ſubjectos. Videatur Cl. P. Billuart. ſummæ S. Thom. Tom. III. Diſſ. 6. Art. 1. *Retorq.* 3. In *fataliſtas*, qui hoc ipſum dicere valent, ſi ad libertatem indifferentiæ plus non requiritur. Adeoque R. 2. D. A. Manet potentia indifferens, & judicium indeterminatum remote C. A. proxime N. A & C. eoipſo, quod præmotio phyſica in ſigno aliquo *priori* ſit eſſentaliter *connexa* cum actu ſecundo, & *in-impedibilis* ac *infruſtrabilis*, non habetur omnimoda indifferentia ad alterum ex oppoſitis.

Inſt. 4. Præmotio phyſica potius *promovet* & *adjuvat* hominis libertatem, cum non ſolum ponat *actum*, ſed etiam *modum*, nempe modum libertatis: ergo. R. N. A. Nam, ut ante cit. Cl. P. Amort loquitur: *hoc dicere eſt affirmare chimæram;* præmotio enim *poneret* modum liberum agendi, & ſimul *non poneret. Poneret*, ut Thomiſtæ volunt, & *non poneret*, quia in modo illo agendi libere ex parte cujuslibet prædicati aſſignabilis

datur formale *ſublativum libertatis*, ſcilicet *in-impedibilis conſecutio actionis ex aliquo naturâ priori ſe.*

Inſt. 5. Deus eſt *primum liberum*: ergo poteſt phyſice *præmovere* ſecundum exigentiam libertatis. R. D. A. Eſt primum liberum, in quantum cunctis cauſis liberis actualem ſuam eſſentiam ac libertatis indifferentiam nedum conceſſit, ſed etiam adhucdum conſervat. C. A. In quantum ipſemet ſua efficaci voluntate in actus creaturæ liberos influxu quodam prævio, atque a creatura in-impedibili influit. N. A. & D. C. Poteſt ſic præmovere præmotione *generali*, *morali*, & *ſpeciali* in quantum ad actus ſupernaturales C. c. præmotione ſpeciali phyſica quoad omnes actus liberos in ſpecie. N. C. & C.

Negatio præmotionis phyſicæ Deo non aufert rationem primi determinantis.

Ob. 3. Deus eſt *prior* quam creatura in eſſendo: ergo etiam in operando, quia *modus operandi*, juxta axioma, *ſequitur modum eſſendi.* R. D. C. Eſt prior in operando prioritate *dignitatis*, *fœcunditatis*, & *independentiæ*, ſeu, ut in ſcholis dicitur, *prioritate a quo* C. C. prioritate phyſicæ *prædeterminationis*, ſeu, ut ibi pariter dicitur, prioritate *in quo*, & *cauſalitatis* N. C. & C. (DLIX. *prob. II.*)

Inſt.

Inſt. 1. Juxta noſtram ſententiam creatura determinat Deum, ut ad hunc potius, quam ad alium actum ponendum cum illa concurrat: ergo creatura, non Deus, erit *prima cauſa*, *primumque determinans*. R. D. A. Determinat determinatione quadam *phyſica*, hoc eſt, tanquam cauſa phyſica ipſum impellens & movens. N. A. Determinatione quadam *Logica*, aut morali. C. A. & N. C. Nempe ideo Deus agere a nobis concipitur, quia voluntas creata, vi libertatis a Deo ſibi conceſſæ, ſe ad agendum determinat, & conſequenter etiam *concurſum Dei ſimultaneum*, ſine quo agere ipſa nequit, ad operandum, vi præmotionis generalis, decretique univerſalis (quo Deus vult, ut creaturæ motus ſuos agant) *exigere* ac poſtulare vult. Neque propterea Deus creaturæ quodammodo *ſubjicitur*, quod neceſſarium illi auxilium præſtet; nam poteſt ſemper illud negare, ſi velit. Cæterum *hoc permirum videtur* (verba ſunt Cl. Purchotii *Met. p.* 2. *Sect.* 1. *c.* 8.) *quod timeant adverſarii, ne Deus, cum extrinſecus & moraliter determinatur a creatura ſecundum leges a ſe conſtitutas, aliquam neceſſitatem patiatur; minime ve-*

ro reformident, ne creatura per præmotionem Divinam, quæ phyſica & efficaciſſima eſt, ad omnes & ſingulos actus, tum bonos, tum malos impulſa libertatis ſuæ jacturam faciat, quod tamen multo magis eſt pertimeſcendum.

Inſt. 2. Cauſa quæ determinat, magis ſibi ſubordinat illam, quam determinat, quam ipſa huic ſubordinetur, ut patet in artifice & inſtrumento: ergo, ſi voluntas creata Deum determinat ad concurſum ſimultaneum, magis ſubordinatur Deus creaturæ, quam hæc Deo. R. D. A. Niſi talis cauſa determinans ipſam potentiam & vires agendi ab illa ſubordinata acceperit, eamque inſuper in omni actu ſibi eſſentialiter concurrentem ſupponat. C. A. Secus. N. A. & C. Paritas de *inſtrumento* & *artifice* nulla eſt, quia creatura ſe in agendo habet *active*, inſtrumentum vero ſolummodo *paſſive*. Cæterum cauſæ ſecundæ, etiam absque eo, quod a cauſa prima *phyſice præmoveantur*, cauſæ primæ *ſubordinantur*, quatenus ſcilicet non ſolum vim operandi habent ab illa, ſed etiam in operando ita dependent, ut nihil omnino agere queant, niſi cauſa prima ſimul cum ipſis operetur.

Inſt.

Inſt. 3. Nequit voluntas creata Deum determinare, niſi ſuam libertatem *prius* exerceat quam Deus: ergo Deus non erit cauſa prima libera. R. D. A. Prius prioritate *Logica*, ſeu *conceptibilitatis* C. A. *prioritate phyſica*, ſeu cauſalitatis & actionis. N. A. & C. Videantur dicta ſuperius. (DXLVIII. *Ob.* 4. *& ſeq.*)

Inſt. 4. Saltem majus eſſet Dominium Dei in creaturas, ſi *phyſica præmotione* ad operandum indigerent: ergo phyſica præmotio, tanquam Deo magis congrua, adſtrui debet. R. D. C. Si non repugnet, ut creaturæ phyſice præmoveantur C. C. Si repugnat, ut hactenus probatum eſt. N. C. & C.

Concurſus DEI immediatus multum differt a præmotione phyſica ſpeciali.

Ob. 4. Etiamſi Deus ad *materiale concurrat* immediate, non tamen juxta nos *peccati auctor* dici debet: ergo a pari, licet ad materiale peccati phyſice ac ſpecialiter *præmoveat*, non tamen ei propterea *formalis* peccati malitia adſcribenda venit. R. N. C. *Diſp.* eſt, quia Deus, ut ſuperius dictum jam fuit, per *concurſum* ſuum neutiquam *determinat* voluntatem creatam, ſed potius ab ea, tanquam a cauſa *occaſionali determinatur*, quatenus ſcilicet ipſa *exigit*, ut in *tali eſſe*, v. g. in *eſſe peccantis* a Deo conſervetur; adeoque Deus ſo-

lum-

lummodo ut cauſa *univerſalis* cum ea tunc operatur, nec conſequenter ipſius peccati malitia in Deum refundi poteſt, ſed in ſolam cauſam *ſecundam*, (ſicut v. g. etiamſi Deus ut cauſa *univerſalis* & auctor naturæ cum ſole, tanquam cum cauſa ſecunda, concurrat ad *illuminandum*, non tamen Deus ſed ſol *illuminare* dicitur) econtra per *præmotionem* phyſicam *ſpecialem* vere Deus voluntatem creatam determinat ac *phyſice* impellit ad id volendum, quod æternæ *legi*, & rectæ *rationi* repugnat, v. g. ad furtum volendum, vel homicidium &c. adeoque non tantum ad eſſe *materiale*, ſed etiam ad *formale* peccati, utpote quod cum *materiali* plerumque conjunctum eſt, ut v. g. in mendacio, in pomi primis parentibus interdicti comeſtura, aliisque *ab intrinſeco*, ut ajunt, malis. &c. Certe autem abſque ſumma Dei injuria dici nequit, quod ipſe primos hominum parentes ad fructum, quem ipſis propoſita mortis pœna ſeveriſſime prohibuit, comedendum phyſice impulerit: quis ergo dicere non exhorreſcat, quod idem ille Deus hominem recens baptizatum, aut per ſacramentalem Confeſſionem a peccatis rite mundatum, atque in ſui ami-

amicitiam receptum rurſus ad furta, homicidia, adulteria &c. determinare ſoleat non tantum *moraliter*, per pravas nempe *ſuggeſtiones*, quod horribile dictu eſt, ſed etiam phyſice, hoc eſt, ad actus malos eum *applicando*? porro quomodo per præmotionem Dei ſpecialem ad *actus ſupernaturales* non lædatur hominis arbitrium, nec aliquid Deo inconveniens imputari queat? declaratur a Theologis in Tractatu *de gratia.* Itaque hæc de præmotione phyſica dicta ſufficiant!

DLXIII. *Scholion.* Solent equidem nonnulli philoſophi hic adhuc alia Dei *prædicata* tam *eſſentialia*, quam *attributalia*, operoſius pertractare, ſicut & aliam inſuper longam de Angelis diſſertationem pertexere: aſt non video, quomodo ejusmodi tractatus ad *Theologiam naturalem* pertineant, cum *Theologi* potius Scholaſtici ſatis copioſe, ac fere unice ex *fidei* principiis, de omnibus illis Dei *attributis* diſſerant. Et de Angelis quoque (quos Philoſophi *intelligentias* nominant) paſſim doceri ſolet, quod eorum quidem *exiſtentia ſuaderi* poſſit, tum ex eo, quia multum conferunt ad ornatum & *perfectionem* univerſi, tum maxime, quia videmus dari tam mira-

Plura de DEO & Angelis ad Theologiam revelatam ſpectant.

mirabiles effectus in *energumenis*, ſive a dœmone obſeſſis, ut ſunt v. g. *catenas ferreas confringere*, *variis linguis loqui*, *abſentia & occulta manifeſtare* &c, aſt nemo tamen dicere audet, eorundem Angelorum exiſtentiam pro certo *demonſtrari* poſſe; eoquod omnes hi effectus, ſi ad ſolam *rationem naturalem* attendamus, vel in *Deum* ipſum, vel in *animas ſeparatas*, atque e corporibus egreſſas, refundi queant; hinc, cum ſola *fides* tum in hac tum in priore materia prædominetur; illa ipſa autem *fides* cum ſit alterius fori, quam Philoſophici, vela tandem contraho, & ſecundum iſthoc opuſculum, haud ſecus ac primum, omnipotenti Deo, cujus auſpiciis utrumque incepi, tanquam ſoli ac unico omnium laborum meorum fini ac metæ ex toto conſecrans, verbis S. Bernardi, Doctoris melliflui, concludo:

Quæcunque dixi, abſque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejusmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare. *Epiſt.* 174.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX RERUM.

A.

Pag.

Abſolutum ens. 403

Accidens. 74 & 281

prædicamentale & prædicabile. 75

abſolutum & reſpectivum. 283

Abſolutum eſt poſſibile juxta PP. 287

impoſſibile juxta NN. 294

datur juxta PP. 302

non datur juxta NN. 336

nequit producere ſubſtantiam. 506

Actio. 272

productiva, & transmutativa. 501

non diſtinguitur ab agente & termino. 503

cauſarum creatarum explicatur. 512 & 513

in diſtans. 517

dari poteſt ſupernaturaliter. 518

non vero naturaliter. 519

in quo ſenſu actiones ſint ſuppoſitorum? 248

Actuale ens. 51

Actus primus, remotus, & proximus. 467

Acumen intellectûs. 1000

Æternitas. 670

in ea datur tantum ſucceſſio Metaphyſica. 674

Ætiologia. 463

Affectus. vide *Paſſiones*.

Agendi vis. 273

Analogum rationis. 999

Angelorum exiſtentia per rationem demonſtrari nequit. 1182

per locutionem Angeli non agunt in diſtans. 537

quomodo Angeli ſint in loco? 635

Anima

Anima in genere. . . . 694
differt a vita. . . . 690
humana in ſpecie. . 695 & 696
eſt forma ſubſtantialis. . . 697
ejus Etymologia . . 689
& origo. . . 796 & 826 &c.
nequit conſiſtere in certo corpuſculorum motu. . . . 710
neque in fluido nerveo, . Ibid.
Eſt ſpiritualis. . . . 712
Indiviſibilis. . . . 717
In-extenſa. . . . 718
ſimplex. . . . 720
poteſt agere in Corpus. . . 916
tam immediate, quam mediate. 927
Quomodo corporea dicatur? . 721
Quomodo in inferno crucietur? 724 & 725
Quomodo a corpore dependeat? . 726
Quomodo in corpore recipiatur, & langueat? 727
operatur ut ſenſitiva & rationalis. . 730
Non ſemper cogitat. . . 1019
Eſt ex natura ſua immortalis. . . 761
& per totum corpus diffuſa. . . 974
Animæ dormientes Leibnitii. . . 811
non differunt ſpecie. . . 954
plures nequeunt naturaliter informare idem corpus; . . . 967
bene vero ſupernaturaliter. . 969
Earum fons juxta Platonem. . . 803
Animalcula ſpermatica. . . . 811
Apperceptio. 985
Appetitus in genere. . . . 1046
ſenſitivus. 1047
rationalis. 1053

Appli-

Applicatio ſuppoſiti, & virtutis. . . 517
Ariſtotelis librorum fata. . . 3
Ars quomodo differat a natura? . . 594
nequit facere opera naturæ. . . 596
ejus quædam prodigia. . . . 600
Athei Theoretici & practici. . . . 1104
Attentio. 1001
Attributum eſſentiæ. 73
Attributa Divina. . . . 197
Aurum num fieri per artem poſſit? . 597 &c.

B.

Bonitas non eſt quid ſuperadditum enti. . 102
Bonum Metaphyſice. . . . 96
honeſtum, utile & delectabile. . . 576

C.

Carteſii propoſitio: *cogito: ergo ſum.* . 20
Caſuale. 63
Caſus fortuitus. 617
Cauſa in genere. 466
multiplex illius diviſio. . . 468 &c.
efficiens. 473
materialis 567
formalis. 569
finalis. . . . . 572 & 575
Idealis. 585
Artificialis. . . . . 593 & 594
Metaphyſica. 477
per accidens. 611
debet eſſe prior effectu. . . 588
atque perfectior. . . . 589
Theoremata de cauſa. . . . 478
Cauſæ internæ nil efficiunt a ſe diſtinctum. 437
materialis & formalis ultimo non ſunt cauſæ. 571
neceſſariæ quomodo agant? . 480 & 481
occaſionales. . . . 474 & 482

rejiciuntur. 484 & 862
duæ totales nequeunt ſimul eundem effectum producere. 544
bene vero diviſim. 545
Cauſalitas. 467
mutua nequit dari inter duas cauſas. 590
Cerebellum. 973
Cogi. 1056
Cogitatio. 985
animæ nequit Mechanice explicari. 707
poſt mortem erit optima. 757
quomodo fiat Juxta PP.? 1006
Juxta NN.? 1010
Continua animæ non competit. 1019
Cognoſcendi facultas. 984
Commercium mentis cum corpore. 853
ejus leges. 854
4. de eo ſententiæ. 858 &c.
Compenetratio corporum naturaliter implicat. 644.
Compoſitio phyſica, Logica, Metaphyſica. 77 & 78
poteſt ſtare cum aliqua ſimplicitate. 78
per ſe, & per accidens. 86
Compoſitum ens. 422
Theoremata de illo. 427
Conceptio hominis. 816
Concurſus Dei immediatus. 1128
datur. 1129
Conditio ſine qua non. 467
Confuſio. 93
Conſervat Deus res creatas immediate. 1122
Contingens. 62 & 71
Contradictionis principium. 17
Corpus phyſicum & Mathematicum quomodo differant? 376
Crater Platonis. 803
Creatura nequit elevari ad creandum. 541

D.

D.

Deus nequit producere aliquid impoſſibile. 33
ſimul immutabilis, & liber eſt. 1110
concurrit immediate cum creaturis. 1129
ejus notio declaratur. 1091
exiſtentia variis argumentis demonſtratur. 1092 &c.
etiam permiſſo proceſſu in infinitum. 1116
Carteſii demonſtratio a priori. 1102
rejicitur. 1103
Deiſtæ. 1119
Denominatio abſoluta & relativa. 404
Dictio. 1008
Differentia numerica, & ſpecifica. 236
Diſpoſitio naturalis. 77
Diſparata. 108
Diſtinctio realis, ejusque ſigna. 109
& duo genera. 114
Modalis. 110
datur in divinis, & creatis. 131
formalis Scotiſtica. 112
ejus explicatio non eſt obſcura. 113
varia ejus nomina. 170 & 171
datur, eamque docuit Scotus cum Ariſtotele. 172 &c.
non eſt realis. 120
Injuſte vapulat in Divinis. 196 & 198
datur etiam in Divinis 200
Formalis minor. 227
Pure formalis. 116 & 153
non datur inter gradus Metaphyſicos. 154
hanc Scotus non docuit. 158
poteſt tamen quoad rem convenire cum Scotiſtica. 159 & 160
Rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. 116 & 117
differt a virtuali Thomiſtica. 118

Virtualis, ſeu Thomiſtica. . 114
major, & minor. . 115
debet eſſe actualis, vel non datur. 139
Diverſitas eſt fundamentum diſtinctionis. 107
Diverſum. . 106
Diviſio differt a diſtinctione. . . 87
Dolor quid ſit? . . 931 1042 & 1045
cur non ſentiatur mutilato & ſanato corpore, itemque in ſomno vel apoplexia? 945
Dualiſtæ. 699
Durandiſmus. 1129
Duratio abſoluta, & reſpectiva. . . 667
tres illius ſpecies. . . 670
abſoluta non diſtinguitur a re durante. 672
relativa connotat menſuram. . 673
ejus menſura eſt motus aſtrorum. . 675

E.

Effectus idem nequit produci ſimul a duabus
cauſis totalibus; . . . 544
bene vero diviſim. . . 545
Electrum quomodo attrahat paleas? . 523
Emanatio Metaphyſica quid ſit? . 82
Ens. 48
ejus definitio Platonica. . . 49
ſtricte, & minus ſtricte reale. . 50
rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Ibid.
actuale, potentiale, poſitivum, negativum,
privativum. . . 51
per accidens, ſeu per aggregationem. . 52
num ſit univocum Deo & creaturis? . 84
omne ens eſt unum. . . 88
verum. . . . 90
perfectum. . . . 101
& bonum. . . ibid.
Entitatulæ, uti vocantur, Scotiſticæ. . 81 & 82
Eſſentia. . . . 64

unius

unius rei ſub diverſo reſpectu poteſt eſſe multiple. 69
rerum eſſentiæ ſunt neceſſariæ, ac immutabiles. 67
atque æternæ. . . 68
non tamen quoad exiſtentiam. 69
Nominales differunt a realibus. . . 72
Eſſentialia. . . . 64
Exiſtentia. . . 65
non diſtinguitur realiter ab eſſentia. . . 223
nec proprie formaliter Scotiſtice. . 225
Exiſtere per eſſentiam. 70
per ſe & a ſe. . . . 268
Extenſio negativa non conſtituit corpus. . 377

F.

Falſitas Metaphyſica non datur. . . 90
Fatum in genere, & in ſpecie. . . 611 &c.
Figura, & gradus quomodo differant? . 444
Fingendi potentia. . . . 995
Finis, ejusque diviſio. . . 572
Juxta Cl. Ant. Gen. . . 573
Finis *cui.* 269
eſt vera cauſa. . . . 575
quomodo moveat? . . 576 & 577
propter finem quænam agant? 579 & 580
finem homo ſemper reſpicit. . 580
fines duos ultimos nequit ſibi quisquam conſtituere. . . . 582
Finitum ens. . . 444 & 445
Fœminæ non ſunt monſtra naturæ. 620 & 621
Fœtus quo die animetur? . . 831
a qua cauſa ejus organizatio fiat? . 833
Fons animarum. . . 803
Forma. 563
ſubſtantialis. & accidentalis. . . ibid.
ſpiritualis, & materialis. . . 564
quomodo hæc educatur ex materia? . 565

Formalis cauſa. 569
Formalitas Scotiſtica. 82 & 83
Fortuitum, ſeu caſuale. 63
Fortuna. 616

G.

Galeni opinio de anima refutatur. 828
Generatio ſubſtantialis juxta NN. non datur. 279
hominis declaratur. 811 &c.
Glandula pinealis. 973
Gradus Metaphyſici dantur a parte rei. 79
in eadem tamen re. 81
hinc non ſunt plures res, ſed realitates. 121
ſimul ſumpti diſtinguuntur *in* toto, non *a* toto. 166
habentque idem principium *quod*, ſed non *quo*. 169

H.

Habitus diverſi, eorumque cauſæ. 1084 &c.
quomodo fiant ex frequentatis actibus? 1087
ex duobus conſtat tota hominis eruditio. 1089
Hæcceitas. 235
eſt modus intrinſecus. 240
Harmoniæ præſtabilitæ origo. 871
& fundamenta. 874
Ejus repugnantia cum Theologia & Philoſophia, 878 &c.
Hominis generatio quomodo fiat? 811
Hypoſtaſis. 245
Hypothetice neceſſarium eſt contingens. 63

I.

Idea interna, & externa. 584
Idealis cauſa. 585
Idearum ortus, & œconomia. 933
Idem. 105

Iden-

Identitas. 106
generica, ſpecifica, numerica. 108
realis. 109
Modalis. 110
differt ab unione. . . . 118
ſub diverſo reſpectu ſtare poteſt cum
diſtinctione. . . . ibid.
Imaginandi facultas. . . . 991
& leges. . . . ibid.
Imaginatio bona. . . . 936
Immortale ex natura ſua. . . . 749
ſimpliciter. . . . 750
Immortalitas. 752
tria ad ipſam requiſita. . 750 & 751
Animæ V V. etiam Philoſophis nota fuit. 742
demonſtratur. . . 761 &c.
Immutabile. 63
Impedimentum ad finem. . . . 574
Impenetrabilitas radicalis eſt eſſentia corporis. 647
Impoſſibile. 32
Deus nequit facere. . . 33
abſolute, Hypothetice, & moraliter. . 35
ſumitur quandoque pro difficili. . 36
Inaleitas quid ſit? 282
Inclinatio. 1046
Incorruptibile ex natura ſua. . . 748
Individuationis principium. . . 235
non eſt ipſa eſſentia. . . . 237
nec materia cum quantitate. . . 238
nec exiſtentia. 241
ſed Hæcceitas. 239
Infinitum ens. 445
categorematicum, & Syncategoremati-
cum. . . 446 & 447
poſtremum eſt poſſibile. . . 449
non vero primum extra Deum. . 450
ejus proprietates. . . 452 & 453

Influxioniſtæ. 907
Influxus phyſicus animæ in corpus. 906
defenditur. 918
Ingenium. 936 & 1000
Intellectio quomodo fiat? 935 & 1010
Intellectus. 998
agens, & patiens. 1006
humanus nequit dici materialis, 703 & 704
active facit Ideas. 1011
dependenter a phantaſmate. 1013
Ejus objectum. 1022
Involutorum Hypotheſis. 813
Judicium. 1001
bonum unde dependeat? 936
Theoreticum & practicum. 1004

L.

Libertas a coactione, & a neceſſitate. 1058
ejus eſſentia, & actus primus proximus. 1059
Liberum arbitrium datur etiam defacto in homine. 1061
circa quæ? 1063
Limes. 444
Locus. 622
triplex de eo ſententia. 623
intrinſecus, & primarius. 625
extrinſecus, & ſecundarius. 632
quomodo angeli, & animæ ſint in loco? 635
in eodem loco naturaliter duo corpora eſſe nequeunt. 644
Loci præſentia circumſcriptiva, definitiva, & mixta. 652 & 653

M.

Magia. 601
naturalis quid poſſit facere? 602

diabo-

diabolica. . . . 604
ejus diverſæ ſpecies. . . 605
Canones circa illam. . 605 & 606
Magnes non agit in diſtans. . . 522
Malebranchii rationes contra Intellectûs activitatem refutantur. . . 1016
Malum Metaphyſicum non datur. . 102
cur dicatur? . . . . Ibid.
mala intrinſeca. 104
in hoc mundo unde oriantur? . 1111
Manichæorum mens de origine mali. . 104
de origine animæ. . . . 829
Refutatur. . . . 830
Materia triplex. 562
ejus potentia triplex. . . 566
prima defenditur a PP. ut entitative univerſalis. . . . 401
Materialis cauſa. . . . 567
Materialiſtæ. . . . 699
Medium ad finem. . . 574
Memoria ſenſitiva. . . . 936
Intellectiva. . . . 1024
Ejus phœnomena declarantur. . 1029
Ejus adjumenta. . . . 1039
Metaphyſicæ nomen, & derivatio. . 2
objectum. . . . 5
definitio. . . . 6
& diviſio. . . . 7
Metempſichoſis Pythagoræ. . . 797
refutatur. . . 801 &c.
Miraculum. . . . 550
Juxta Spinozam eſt impoſſibile. . ibid.
a Deo fieri poteſt. . . . 551
non vero ab angelis proprie loquendo. 552
Item etiam a Paganis. . . 553
ſupra, contra, & præter naturam. . 554
quomodo de miraculis Judicandum? 555

conditiones ad miraculũ requiſitæ. 557 & 558
Mixtio. 423
Modus. 74
phyſicus, & Metaphyſicus. 80
Modi vivi ſeu activi, & mortui ſive inertes. 126
Modalis diſtinctio. 110
datur in Divinis & creatis. 131
Monades. 426
Moniſtæ. 698
Monſtra, eorumque cauſæ. 618
quænam duplici anima gaudeant? 831
Morbi & mors unde proveniant? 937
Mutabile. 63
Mutatio. 272

N.

Nativitas hominis 817
Natura Metaphyſice quid ſit? 64
in moralibus. 65
ejus leges. ibid.
Neceſſarium agens. 1056
intrinſece, & extrinſece. 1057
abſolute, Hypothetice, Metaphyſice,
Geometrice, Phyſ. & moraliter. 59 & 60
in exiſtendo, vel eſſendo. 61
ad exiſtentiam, vel eſſentiam 62
Neceſſitas antecedens, concomitans, & conſequens. 60
Negatio facit aliquem conceptum. 259
Nervi. 910
Nihilum. 52
negativum & privativum. ibid.
ejus diverſa ſignificatio. 53
Nœvi materni. 817

O.

Objectum Intellectûs motivum & terminativum. . . 1022
Occaſionaliſtarum Syſtema. . . 482
rejicitur . . 484 & 862
Oevum. . . . 670
Omiſſio pure libera. . . 1073
Ontologiæ definitio. . . 11
ejus accuſatio, & defenſio. . . 12
diviſio. . . . 15
Oppoſita privative, poſitive, relative, & diſparate. . . 107
Ordo. . . . 92 & 93
ſimplex & compoſitus. . . 94
ejus regula. . . ibid.
datur in omni ente. . . 95
Origenis opinio de anima. . . 805
rejicitur. . . ibid.
Ovula fœminea. . . 813

P.

Pars. 429
aliquota, & aliquanta. . . ibid.
Paſſio. 272
non diſtinguitur a patiente. . . 505
Paſſiones animi prævenientes, & reflexæ. . 928 931 & 1050 &c.
earum cauſa, & diviſio. . 1051 & 1052
Perfectio. . . . 97
quadruplex. . . 98 & 99
Perfectum eſſentialiter. . . 97
eſt omne ens. . . 101
Perſeitas. . . . 267
Perſona. . . . 245
realiter a natura diſtinguitur. . . 246
dicit duplicem negationem. . . 261

huma-

humana quomodo ſuppleatur a Verbo Divino? . 262
Phantaſia. . 991
Platonica entis definitio. . 49
Platonis mens de origine animæ. . 803
rejicitur. . 804
Polytheiſmus ex ſola ratione refutatur. . 1108
Poſitivum ens. . 51
Poſſibile Metaphyſice, aut Logice. . 28
differt a probabili. . 29
intrinſece, extrinſece, naturaliter, moraliter &c. . 30 & 31
poſſibilia unde habeant ſuum eſſe? 36 &c.
Poſſibilitas in accidente. . 75
Potentia obedientialis activa, & paſſiva. . 538
datur ad aliquos effectus. . 539
quodlibetica. . ibid.
non datur. . 541
Potentiale ens. . 51
Præciſiones quid ſint? . 194 & 195
Prædicata Dei eſſentialia, & attributalia . 197
eſſentialia non diſtinguuntur actualiter. 198
bene autem attributalia. . 200
Præmotio generalis & ſpecialis. . 1141 &c.
phyſica, & moralis. . 1142
ejus fundamenta, . 1145
& proprietates. . 1147
ac ſenſus duplex. . 1164
cur Banneſiana vocetur? . 1167
non datur ad ſpeciem actûs. . 1157
Præſcientia Dei libertatem creaturæ non tollit. 1068
Principium, & principiatum. . 464
eſſendi, cognoſcendi, & cauſandi. . 465
primum cognitionis. . 16
rationis ſufficientis. . 22
Identitatis indiſcernibilium. . 402
Individuationis. . 235

Priva-

Privativum ens. . . . 51
Proceſſu etiam in infinitum permiſſo demonſtratur exiſtentia Dei. . . 1116
Propenſiones naturales, univerſales, & particulares. . . . 1048
Providentia Divina. . . . 1119
datur in rebus etiam minimis. . 1120
Pſychologiæ nomen, & præſtantia. . . 683
Pulchritudo. . . . 99
Juxta Platonem. . . . 100
Pulveris Sympathetici actio. . . 522

Q.

Quantitas quid ſit Juxta PP? . . 351 &c.
Juxta NN? . . 361 & 364
Modificata. . . . 356 & 357
ſola non ſalvat doctrinam conciliorum &c. 378
non differt a ſubſtantia extenſa, ſi in genere ſpectetur. . . 376

R.

Rabbinorũ fabula de origine mentis humanæ. 823
Ratio. . . . 999
Rationalitas adæquate conſtat ex potentia apprehendendi, Judicandi, & diſcurrendi ſimul. . . . 167
Rationis ſufficientis principium. . 22
datur in omnibus. . . . 24
limitari tamen debet in Myſteriis fidei. 27
Realitas Scotiſtica. . 50. 81. 82. & 83
quomodo a re differat? . . 82
Reflexio. . . . 1003
Regula ordinis. . . . 94
Relatio. . . . 403
Ejus fundamentum. . . . 404
& diviſio. . . . 405 & 406

forma.

formaliter ſumpta non diſtinguitur a ſuo fundamento. 408
Relatio in Divinis. 197
Replicatio triplex. 651 & 652
circumſcriptiva naturaliter non datur; bene vero ſupernaturaliter. 656

S.

Sedes animæ. 972
non eſt in ſolo cerebello. 976
nec in glandula pineali tantum. 977
Senſatio quomodo ab intellectione differat? 1003
quomodo phyſice contingat? 930 & 987. &c.
Senſus communis. 985
internus. 984
Sentiendi facultas. 986
Simile nequit agere in ſimile. 590
Simplex ens. 422
ſimplicitate compoſitionis, & mixtionis. 423
quædam de hoc ente Theoremata. ibidem.
Simplicitas aliqua ſtare valet cum compoſitione. 78
Singulare ens. 382
Spatium in quo ſenſu locum conſtituat? 625 &c.
male confunditur cum corpore. 631
Species Euchariſticæ quid ſint juxta NN.? 298 & 308
impreſſa & expreſſa. 1007
rejicitur. 1013
rememorativa quid ſit juxta PP.? 1025 & 1026
juxta NN.? 1027
Spinoziſmi origo. 271 & 870
Spiritûs idea. 700
definitio negativa. ibidem.
poſitiva. 701
juxta Carteſium. ibid.
& Wolfium. 702
poteſt agere in corpus. 939

Spiritualia accidentia. 703
Spiritus animales. 910
non agunt phyſice in animam. 942
Status. 272
Subjectum quid ſit juxta PP.? 265
juxta NN.? 270
triplex modus eſſendi in ſubjecto. 265
Subſiſtentia. 245
differt ab exiſtentia, & a ſuppoſito. 247
conſiſtit in negativo. 250
Subſtantia quid ſit juxta PP.? 267
juxta NN.? 270
univoce convenit Deo, & creaturis. 273 & 274
una nequit produci ab altera. 279
Subſtantiæ incompletæ differunt ab imperfectis. 275
creatæ diſtinguuntur ab increata. ibidem.
ſunt ſimplices, non compoſitæ. 276
Subſtantialis generatio non datur juxta NN.? 279
Subſtrata Metaphyſica. 79
Succeſſio Metaphyſica & Phyſica. 667
animarum refutatur. 827 & 844
Superficies corporis ambientis quomodo locum conſtituat? 692
Supernaturale Theologicum & Philoſophicum. 550
Superſtitioſa quomodo diſcernenda ſint a naturalibus? 527
Suppoſitum. 245

T.

Tempus male definitur ab Ariſtotele. 669
quomodo rectius definiatur? 670
extrinſecum, & intrinſecum. 667
per quid ſit præſens? 678
Theologiæ naturalis Etymologia, & objectum. 1090
Tœdium quid ſit? 1041
Totum & pars. 429
diſtinguuntur, diviſim acceptæ; 432
non vero unitim ſumptæ. 433
etiam juxta Scotum. 435
Tourneminianũ Syſtema de cōmercio animæ cum corpore. 925 &c.
Traducianorum ſententia de animæ origine. 807
rejicitur. 808
ei non favet S. Scriptura. 834
nec peccati originalis tranſfuſio &c. 838

V.

INDEX RERUM.

V.

Vacuum coacervatum. 637
diſſeminatum. ibid.
coacervatum naturaliter non datur. 638
bene vero ſupernaturaliter. 639
Verbum mentis. 1003
Veritas Metaphyſica. 89
non eſt quid realiter ſuperadditum enti. 91
competit omni enti. 90
Virgula divinatoria. 525
Virtus plaſtica. 812
Vis agendi. 273
differt a potentia activa. ibidem.
non eſt accidens. 509
Vita quomodo differat ab anima? 690 & 697
phyſica, & intentionalis. 692
Unguentum armarium. 524
Unio differt a commercio? 956
moralis, artificialis, & naturalis. 957 & 958
formalis non differt ab extremis ultimis. 959
non habetur per ſolum decretum Dei. 960
hypoſtatica non eſt entitas realiter ſuperaddita. 962
Unitas entis. 85
generica, ſpecifica, & numerica. 87
eſt quid poſitivum. 88
competit omni enti. ibidem.
Univerſale ens. 382
in eſſendo, ſeu Scotiſticum. 383 & 384
datur a parte rei. 388
ſervans unitatem eſſentialem. 390
per indifferentiam, non per inexiſtentiam. 391
Univocatio entis. 53 &c.
Voluntas, ſeu appetitus rationalis. 1053
ejus actus, & objectum. 1054
non eſt potentia materialis in homine. 705
a judicio practico non neceſſitatur. 1076
eſt nobilior intellectu. 1078
Voluptas phyſice quid ſit? 931 1041 & 1044 &c.
ſenſualis, & mentalis. 1042
Wolfii Syſtema de animarum origine. 809 & 810
impugnatur. 818 & 840 &c.

Digitized by Google

/2.

005655996





Digitized by Google